UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Vita Et Institvto S. Ignatii Societatis Iesv Fvndatoris. Libri Qvinqve

Bartoli, Daniello

Lvgdvni, 1665

urn:nbn:de:hbz:466:1-10840

Visual Library

N. IV. 13. ~~IIII~~ ~~17~~ Th. 4862.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

DE VITA ET INSTITVTO

S. IGNATII SOCIETATIS IESV FVNDATORIS.

LIBRI QVINQVE.

Ex Italico R. P. DANIELIS BARTOLI
Societatis IESV, Romæ edito.

Latinè redditi, à P. LVDOVICO IANINO *ex eadem Societate.*
Collegii Societatis JESV Paderbornæ



Bibliot. Coll. Soc. Jesu Paderb.

Anno 1669.

LVGDVNI,
Sumptibus LAVRENTII ANISSON.

M. DC. LXV.

CVM PRIVILEGIO.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN




IHS
Vera Effigies S. IGNATII. Fundatoris et primi
Generalis Societatis IESV expressa a Iacobino del
Conte pictore sui avi valde excellenti ipso die quo Bea
tus sanctam suam animam Deo reddidit XXXI VLII
MDLVI aetatis LXV
J. Cars fe. Lugduni
J. Cars ex.

S. IGNATIO
PARENTI OPTIMO
INTERPRETIS VOTVM.

TIBI, *Optime Parens, & amantißime tuorum! qualiſcumque hic meus debetur labor; tenuis licèt, ſed non in tenui: grati erga te, cui omnia debeo, monumentum animi exile; ſed grande ab tua caritate, à qua omnia expecto, ſolliciti, & anxij leuamen; metæ ſi quidem radendæ iam propior, Æternitatis ancipiti ſuſpendor, & terreor aditu; quem tui fiduciâ, externis, & barbaris toties probatâ, mihi filio tuo quamuis immerenti, ſpero fore non modo ſecurum, ſed etiam tutum. Ob hoc Italico ex fonte, tuas glorias orbe toto; orbis & Eccleſiæ lingua ſpargo; tu arentis eloquij, ſenili ex vena, & iam maioribus impari, ne*

aſpernare humilem glaream, & qui vni quondam ex Filijs (tametſi refractario,) de cælo ſpectabilis, benignè profeſſus es, paruo te eſſe obſequio contentum; leui huic meo, annue illam opem, quam à te in decretorium momentum æternitatis ineundæ, expecto, & flagito.

Vir

Vir verè, quem præelegerat Dominus, vt eorum dux foret, qui portarent eius Sanctissimum nomen coram Gentibus, & populis; & infideles, ad veræ fidei cognitionem inducerent, ac rebelles hæreticos ad illius vnitatem reuocarent, suíque in terris Vicarij auctoritatem defenderent.

Vrbanus VIII. Pont. Max. in Bulla Canonizationis S. Ignatij Loyolæ Societatis IESV *fundatoris.*

LECTORI.

SOCIETATIS Historiam dum scribo, nomen exsoluo quod Publico debet, supputandarum interdum rationum collatæ in populos operæ; quod etsi arbitrarium est, iis ordinibus qui Deo, ac sibi sat habent viuere; quibus tamen salus incumbit aliena, necessariò videtur impositum; & inde quidem Societati præcipuè, quòd ei abortu informandæ, augendæque; tum exercendæ, atque occupandæ, suas Populi omnes iunxere operas. Patrem illi dedit Hispania: eandem Parisiis Gallia, velut matre concepit vniuersitate: nascituræ animam afflauit Italia, cum à Paulo III. cooptata est in album ordinum Religiosorum: mox ab Lusitanis, Apostolorum censa nomenclatione primos fundendi se latiùs aditus inuenit: exin Germania, iam quasi adultam, & bello maturam, cum hæresibus illorum temporum commisit; Asiatici demùm Indi, & Africæ regna, & America vtraque, superstite adhuc Ignatio exceptam, in campos miserunt, in quibus dum sæcula fluerent, sementem faceret, eamque haud parciùs proprio sanguine quam sudoribus rigaret. Sic præter officium, finis sibi à Deo propositi, eius item seruitij iure quo se omnibus deuouit, planè videtur statis temporibus debere cum iis ratiunculas suas subducere, & accepti, datique, iustum iis examen probare; ad hæc indidem nobis compendium duplex, historiæ simul, & apologiæ: nec enim desunt, & absque numero Hæretici, & magno Catholici, quorum linguis & calamis in contemptum & inuidiam vocatur. Est qui laceram & incompositam; est qui etiam noxiam; qui sensim defluam; qui sibi iam minimè similem repræsentat; atque

que vt talis (quod auertat Deus) minimè sit, sunt qui talem conentur effingere, atque vt olim sui, Hieronymum in Palestina æmulis duas in Gallia pari sanctitatis & doctrinæ laude; Franciſci, & Dominici familias; ita nunc Societatem nostram libenter cupiant texendis sportis, & oluſculis rigandis, sacra ministeria mutare, quibus publicam alit pietatem, & cellæ angusto circumscribi; vbi neminem spectans, nullius & ipsa spectaculum, viuis (vt scitè Nazianzenus) aut mortua, vel sibi dumtaxat vni viua, vulgo nusquam occurrat maledico, aut vulgi nusquam maledicentia, dignum satis argumentum appareat: tunc quidem pro illa minimè opus foret defensionibus quandoque, & rationibus, certum ius verumque armari. Atenim prodigus sui Deus, nec Solem concludi latebris voluit, nec tam turbulentis Reip. Christianæ rebus, tantáque necessariæ opis penuriâ, in priuatos vsus, & solitariam quietem nouum hunc ordinem vocauit; sed in commune subsidium, & commoditates publicas, Infidelium errori, Hæreticorum perfidiæ, malignitati morum, ac temporum illum opposuit: ex quo fieri non poterat, vt aduersariis careret, & in arenam missa, cruentas in se Cacodæmonum manus non verteret, à quibus (Deo labores fortunante) tot prædas partim extorquebat, partim auertebat. Neque verò me nomen fallit; dum historiam simplicem, apologiam vocare excidit; vt enim Zenonis, motum omnem negantis subtiliores argutias, mouendo sese Diogenes retudit, sic ad refellendos, si qui fortè negabunt religiosæ familiæ, quam profitetur pietatem, atque industriam; longè omni conatu, & impressione disputandi, apud recti amantem, validior sit gestorum narratio, quibus tantum probatur, quantum re ipsa gestum ostenditur; quam depellendæ calumniæ formam Societatis parens Ignatius, inde à principio adhibuit, criminosam illi ab Sorbona, inustam censuram, expuncturus, (quam tamen haud multo post eadem abrogauit) fœliciùs vtique alia quauis refutatione, & patrocinio. Collectis siquidem quæ à præcipuis Europæ vrbibus de Societate acceperat, quibus æquè fructuosa, & religiosa laudabatur, impressam illi minus religiosæ, imò & noxiæ maculam eluit, qua præter omne ius Viri sapientes, sed falsò imbuti, eam fœdauerunt. Ad hæc spero nec leui fore solatio, nec præsidio debili, Societatis hominibus, spectare coram velut in tabula, maiorum effigies, vittutum merita, &

sudorum fructus, vt eorum æstimatione, ad imitandum accendantur; aut si qui ab illo virtutis heroicæ tam excelso gradu, se longè positos senserint, quem illis notat Societas; humili saltem viri valdè sancti (quem diu Ignatius à Confessionibus habuit) Patris Eguiæ exemplo, profiteantur se inter homines tam pretiosi spiritus, perinde censeri, vt in summâ grandi probatissimæ ex auro monetæ, paucos non ita legitimi pŏderis nummulos. Accedit quod habituri sunt in ministerio quolibet, ac statu, quorum se factis inflamment, ac stimulent, tum multos numero, tum laude insignes, ex quibus semper ob oculos positis, apographum ducant absolutissimæ virtutis. Sic illud non incurrent, quod seris Adami posteris Philo credidit euenisse, vt eò parciùs retinuerint de illo perfectæ indolis, & naturæ flore, quem fons ille capútque mortalium alebat; quò illos ab ea generis sui stirpe longiùs sæcula tulerunt. Ad eum, inquit, fere modum, quo catenatim è magnete pensiles annuli, vt ab eo descendunt; ita minus de illa excipiunt latente animâ, quæ fusa ex magnete, suo quemque gradu suspendit vniuersos; sic planè homines iisdem spatiis, quibus recedunt ab Adamo, naturæ robore sensim destitui; & esto iis sic vsu veniat; sed hic vice versâ hæc ipsa nobis ætatum longinquitas, etiam lucro cedet, quod primigenius instituti, & Ignatij vigor, exemplis illustrioribus, sempérque recentibus incitatus, transfundendus sit in nopotes; vt fluuij ingentes vberiore tument aquarum agmine, quo excipiendis in decursu riuis, longiùs prouehuntur. Certè æquè in votis Indorum Apostolo B. Xauerio nihil fuit, quam vt nominatim de suis illis cognosceret fratribus, & quotidianis eorum rebus, quos in Europâ reliquerat; quare inde Romam ad eos scribens; oro, aiebat per Deum immortalem, nostrum de singulis fieri à vobis certior, vt postquam de illis facie ad faciem iterum videndis sperare nequeo, eos saltem in ænigmate videam. Ardebat scilicet vir sanctus de illis rescire non tam ad suos, vtcumque labores nunciis leuandos, quam factis domesticis incitandos. Ex iis deindè quæ ab Ignatio, vel amicis cognorat, discebat Societatem suo pretio æstimare, & condigno amore parentem prosequi; si minùs prole numerosa, saltem eximia, fortunatam. Sermonem, inquit, de nostra societate ingressus, neque loquendi, neque scribendi exitum reperio, sed vel nolentem, huic sermoni, atque Epistolæ,

ſtolæ, finem ponere, nauium feſtinatio me cogit. Clauſulam autem nullam inuenio accommodatiorem quam vt illud profiteat, ſi oblitus vnquam fuero tui Societas IESV, obliuioni detur dextera mea.

Non diſſimili euentu, maiorum noſtrorum acta egregia hic legi poterunt, quæ ſuis idcirco ſic locis digeram, vt non ſparſis diſiecta membris, & quaſi lacera; ſed quoad feret annorum ordo, vnum apta in corpus & integra reponam.

Nec tamen propterea ſuſpectum me velim cuipiam fieri, ſtyli ad gratiam famamque ſubornati, & pulchra ſolùm quantulacumque ſunt, reddituri, quibus hactenùs diuina bonitas Societatem commendauit, diſſimulatis interea, defendendo, celando, eleuando, ſi quæ interdum inciderint, grauia, leuia, ſiuè intra recti lineas trunca, & mutila; ſiuè extra rectum perperam egreſſa, quibus formoſam parentis faciem, deformes nonnunquam filij deturparint. Mihi pridem id certò conſtitit, tot hominum millia, etſi magno primum delectu conſcripta, maioribus ſtudiis, curiſque educata, haud tamen ſucceſſus feliciores habitura, quam aut vaſtæ illæ in cœlo mentes; aut in terrâ lecti, ab Chriſto Apoſtoli; eæ quidem à Deo ſimul, & conditæ, & ſanctimoniâ inſignitæ, & naturæ donis & Gratiæ diuites; hi verò Chriſti pollice formati; primis tamen illis ſtipantur inferi; ex his autem prolapſi ſunt aliqui; vnus etiam præceps iit; & planè, omnis in Eccleſiâ profeſſio fictos habet, inquit Auguſtinus, nec eſt religioſum inſtitutum tam adoleſcens, ac vegetum; tam cuſtoditæ, ſanæque regulæ, quod cum lobo ſanctiſſimo non profiteatur, rugæ meæ teſtimonium dicunt contra me. Hoc eſt, Gregorio Magno interprete, rugarum inſtar eadem ex eute, Verſipelles, & Prothei qui religioſos ſimulant, & profanos viuunt. Verùm hæc etiam quæ carpit hiſtoria, vti magis volentibus quam abuti, plurimum conferunt; nam & ſyrtes, & ſcopulos monſtrarunt incauta naufragia, quibus deindè, notata in cartis maria, cautas poſtmodum nauigationes, & magna ex parte tutas præbuerunt, dùm ex paucorum exitio omnes erudiunt; haud prorsùs aliter dùm ſignat hiſtoricus, qua diſiecti, fractíque alij; ſalutari clamore poſteros admonet, alias captent auras, curſus alios teneant; ſi velint caſus ſimiles declinare. Iam ſi ſpectetur diſciplina

quam hominum cœtus vnâ vitæ lege, ac formâ colligatus ex obseruatis ducit auorum successibus, clarum est eorum defluxu, damnisque non minùs proficere, quam eorum recordatione, quibus olim crescens sublimem in locum conscenderat. Docet enim nos de multis experientia, vt prudentiæ mater, sic temporis filia, ad quæ solitaria meditatio non pertingit; vtque fastorum correctio, & emendatio temporum, de mutationibus nascitur, haud quidem biennio, trienniove obseruatis, sed inspectione collectis annorum complurium; sic habet suos gubernatio quælibet regendi canones, & effata, quæ constare sat certò non possunt, nisi prudenti qualiscumque euentus, boni, aut secus, examine castigentur; quem vera præcedentium annorum historia repræsentat. Hæc ergo ratio cum fide iuncta, quam publico debent historici, apud me id aget, nihil vt referam, nisi valdè probatum; nihil quod referri conueniat, fileam, qualecumque id tandem futurum sit.

Verùm enim verò Societatis historia, res complexura tam multas, tam varias, locísque gestas inter se tam dissitis, necessariò confusa exeat, aliáque officiant aliis, nisi eas ordo perspicuus secernat: Is verò optimus & concinnior cæteris visus est, quem quadripartita orbis diuisio, rebus vnaquaque in parte ab Societate gestis commodabit; sed primam hanc reliquarum basim subiiciendum operi censui, & occupandam iis tantum narrandis, quæ Ignatij ortus decet progressus, & merita spectarent, vt sacræ auctor familiæ singularem, ac primum iure obtineat in monumentis eius locum; ad hæc, Ignatij filios paternis ex moribus fingi, eiusque vestigia premere, quibus si alia miscerem, quæ dum vixit complura & dissimilia contigerunt, omninò distractum vanesceret pulchrum illud, ac decens, quod grata cum toto consueuit partium articulatio reddere, vnde nec illa præterij, fortassis leuia, & tenuitatis præiudicio tacenda, quæ antiqui scriptores, de illo excidere passi sunt: Ribadeneira, Orlandinus, Maffeius, aut suo æuo sensere minùs oportuna. Si enim homines ad reipublicæ commoda, & gloriam nati, curiosum quemdam relinquunt posteris ardorem, cognoscendi qua oris specie, quo essent corporis habitu, dum viuerent; & eruderantur è parietinis veteribus eorum imagines, ac si desunt ex quibus ad viuum exprimantur, excogitantur saltem ad veri similitudinem, illorum

genio

genio, famæque conformes, *quo maius, vt equidem arbitror, nullum est fælicitatis specimen quam semper omnes, scire cupere qualis fuerit aliquis.* Aiebat Plinius. Hoc autem haud paulò certius ex historia habetur, faciem vultúsque hominum referente, quam ex coloribus, vel cælo vnam corporis vmbram reddentibus, dum stylus narrantis, fato pridem defunctos, tot modis in lucem reuocat, quot eorum præclara merita recenset. Iam sicut tabula exquisitè, de viuo & spiranti ducta, lineam habet nullam, ac neque apicem superuacaneum, modo ex archetypo venerit, sic in virorum præstantissimorum scribenda vita, minutiæ quædam, per se alioqui vix oculo dignæ, suum tamen ingens, ex eo momentum obtinent quòd totius cuiuspiam excellentissimi corporis pulchritudinem absoluunt, ac decorant. De Ignatio quidem si agitur, P. Ludouicus Gonzales, cum eo versatus, obseruatis, quoad licuit distinctè, & ex proposito, dictis illius, factisque singulis, demum redux in Lusitaniam Regi Serenissimo Ioanni sanctè professus est; repositam animo tantùm Ignatij memoriam (qualem sibi illius obseruatio diligens reponebat) plus sibi ardoris ad omnem vitæ sanctitatem, lectione quauis, aut meditatione contulisse. Alij etiam qui testari de rebus iubebantur, quas in eo vidissent, tam dulci ac tenero sensu illas reuocabant, vt multis cum lacrymis beatos se dicerent, quod magisteria virtutis de tanto exemplari haurire potuissent: nobis autem quos ordo nascendi, tantis ab ipso semouit spatiis, quid restat, nisi vt illum in auersa, sed quam fieri potest eius simillima, spectemus imagine, in eorum, inquam, enarratione quæ de illo nobis maiorum fides simplex, & candida transmisit. Et hos quidem ad summam virtutem aculeos æquum sit nobis à quouis subiici, quem coram spectauimus instituto nostro perfectè insistere; sed longè iis impares quibus nos pungit Ignatij sanctitas: vt enim ipsemet, agens cum Iacobo Lainio dictitabat, quos statuit Deus sacrorum ordinum auctores, iisdem planè viis ad metam solet deducere, quas cupit eorum posteros tenere; & hoc esse discrimen inter excellens autographum & expressam ex eo imitationem. Hoc tamen haud mihi assumam, vt veteribus de illo testimoniis interseram aliquid minoris auctoritatis ac ponderis, nempe omnia ex primis hausturus fontibus, ex quibus habuimus quæcunque à primis

Societatis initiis in lucem data sunt; ab recentioribus vero nihil. Ex primis dixi, & antiquissimis, Petri Fabri, Iacobi Lainij, Simonis Rodericij, Petri Ribadeneiræ, Ioannis Polanci, Ludouici Gonzales, Hieronymi Natalis, Oliuerij Manarei, Iacobi Mironis, Edmundi Augerij, Hannibalis Codreti, Iacobi Gusmani, & eiusmodi virorum, tantorum ac talium manuscriptis, qui vitam cum illo aliquandiu egerunt; ex literis item in multa spissáque volumina compactis; ex iisdémque auctoritatibus quæ ab quinque, & septuaginta supra sexcentos iuratæ sunt testibus, cum de illo est actum in sacra diphtica referendo; meo demum hoc primo in opere, licere id mihi putabo, quod sibi Gregorius Magnus faciendum putauit, fluuiorum in morem obliquos sinus præterlabentium; nam sic illos implent, vt ab cursu tamen quem inierant recto, non deuient; ita vbi forte res coget à proposito digredi, non errabo ab scopo summaque argumenti. Cythara, inquit Augustinus, non solis constat, quæ sonos edunt musicos fidibus; aliis quoque aptatur partibus, per se mutis, sed canoras fides tendentibus, & sua quodammodo consonâ operâ ad cantum iuuantibus; Non dissimili modo, inquit ille, humana quædam, diuinis suis Prophetæ intexunt, quæ apertè licet Christum minimè sonent, illum tamen arcanè, intúsque cum iis consonant, quibus artificiosè illigantur, quod in aliis item necesse est fieri, in quæ stylum diuertet occasio, vt in exercitiis spiritualibus; in aduersis Societatem vexantibus; in tutela qua semper Augustissima Deiparens Societatem nostram dignata est; in integra tandem instituti forma de qua tertij libri priore parte agendum fusiùs. Quæ quidem omnia vt effecta causis, & occasionibus ita sunt connexa, vt non obscurè etiam Ignatium loquantur; præterquam quod enim de illo agunt, veruit iusta necessitas propulsandæ ab illis obtrectationis, ea prætermitti; quod historico non planè rustico nemo iudex æquus vitio dederit. Præsertim vero circa Societatis ideam eodem fermè diuersi prospectus iudicio, vel traduci solitam vel, laudari quo duos olim philosophos, sic solem non nemo dixit intuitos, vt Pythagoras Deum, Saxum Anaxagoras pronuntiauerit. Si vnde aliquò figitur oculus, eò inde defigi posset, & ratio ad inuestigandum propius quod procul oculus intuetur; haud quaquam eò deuenissent animales quidam Philosophi, vt errantes stellas, pro

Max Tyr. serm. 9.

animantibus haberent, & Cœlum pro ſtabulo; ſed molè potiùs cæleſtium corporum ſpectata, eorúmque conſenſu, & ordine, ac ratis per illa ſtellarum flexibus, virginum inſtar choreas ducentium, vt loquitur Philo; ſapientiæ artificis diuinum ingenium, & potentiam conditoris, venerabundi ſuſpexiſſent: quæ tantis, tam vaſtis molibus, celeritatem expeditam, & rapidam addidit, motúſque adeò inæquales & diuerſos, tam certa, perpetuáque conſtantia firmauit. Pari modo Religioſam familiam, ſi quis procul tuens, concipere animo valeat, illam diuino conſilio, manúque delineatam, & fundatori (vt olim Dauidi templi deſcriptio) traditam; atque ipſo ex fine ſcopóque illius penitus colligat, deſtinata in illum præſidia, & vias quàm conuenienter ſapientiſſimus opifex diſpenſarit; de partium verò eleganti conſenſu, fabricæ totius præſtantiam ſi attendat, & æſtimet, profecto de illa haudquaquam tale iudicium is ferat, quale fert de opere teſſellato, qui tam anguſta eſt videndi facultate, vt præter vnum ex iis tantummodo ex quibus conſertum eſt lapillum videre nequeat. Hic enim vt pulchrè Auguſtinus *vituperaret artificem, velut ordinationis, & compoſitionis ignarum, eo quod varietate lapillorum perturbatam putaret, à quo illa emblemata in vnius pulchritudinis faciem congruentia, ſimul cerni colluſtraríque non poſſent.* Atque his planè ipſiſſimis oculis intuitus eſt Societatem Caluiniſta Lermæus (vt eiuſdem farinæ reliquos ſileam) qui damnatis primum eius conſiliis quod actuoſæ, & contemplatticis ſancta ſtudia copulaſſet, quarum alteram ſectari philoſophi veteres ſatis habuiſſent, ad extremum ſubdit; *ſola Societas Ieſu profeſſionum ſerenitatem, amœnitatem, diſciplinam, laxitatem, paupertatem, opes, vſus, abuſus complexa eſt.* Igitur mihi explicatius aliquanto ſcribendum id fuit, quod, vt deinde clarum fiet, obiectum ſolummodo oculis, vno ſui conſpectu tueri ſe poterat. Hinc illa redibit ad Ignatium laus quam Nazianzenus ait ex opere in artificem redire, dum palmatis illius operis excellentia demonſtratur.

Lactanti de orig. err. c. 5.

l. 1. de ord. c. 1.

CVM

PRIVILEGIVM.

GVILLELMVS de Lange Prouincialis Societatis IESV, in Prouincia Lugdunensi, iuxta facultates eidem Societati à Christianissimis Regibus Henrico III. 10. Martij 1583. Henrico IV. 20. Nouembris 1608. Ludouico XIII. 14. Februarij 1611. & Ludouico XIV. 23. Decembris 1650. permittit LAVRENTIO ANISSON Bibliopolæ Lugdunensi, typis mandare ac diuendere librum cui titulus est, *De Vita & Instituto Sancti Ignatij, Societatis* IESV *fundatoris libri quinque*, ex Italico R. P. DANIELIS BARTOLI eiusdem Societatis Romæ edito, Latinè redditi à R. P. LVDOVICO IANIN ex eâdem Societate, in decem annos proximos. Datum Lugduni die 18. Decembris 1663.

GVILLELMVS DE LANGE.

LIBER

LIBER PRIMVS

LIBRI SYNOPSIS.

Ignatij ortus. Ingenium. Vita in sæculo. Vulnus in bello, & secuta ex eo ad Deum Conuersio. Manresanæ commorationis asperitas, singularibus à Deo repensa donis. Exercitiorum liber ibidem compositus. Peregrinatio ad sacra Palestinæ loca. Studia literarum, piis erga proximum mixta laboribus. Variæ inter hæc Compluti, Barcinonæ, Salmanticæ, Parisiis impugnationes.

I.
Ortus, & ingenium Ignatij.

CANTABRIÆ veteris partem illam quæ Guipuscoa dicitur, Pyrenæos inter, & Cantabros; ad Septentriones mari obiacentem, Balda, & Ognes familiæ illustrarunt; notissima vtraque, generis claritate, antiquitate, ac numero. Suam longo ab æuo ditionem vtráque tenuit, primariis aucta præfecturis, bello ac literis insignes per totam Auorum seriem plurimos censuit. Ognesia ex gente Loyolæ Domini prodiere; ex his Bertramus; Ognes, & Loyolæ toparcha, per natu maiores familiæ caput, vndecim parens liberorum; quos de Marina Saezia Balda tulit, fœminas tres, & octo masculos. Horum vltimus in hanc lucem venit Ignatius, anno Christi ante sesquimillesimum nono, Innocentio octauo Pontifice, Federico tertio Imperante. Hunc præter indolem ortu suo dignam, excelsus quidam tollebat animus, in quo cuncta cerneres eminere, quibus adolescentes nobiles spem sui faciunt. Erecta illi mens, & capax, impetus ad quæuis ardua, par gloriæ ardor, & genius ad omnem militiæ cuiusuis meditationem. Comitas verò tanta & affabilitas vt mira sibi popularitate omnes adstringeret. Quare hunc velut aulæ natum ei destinat parens, & quod aliud ætas, adhuc mollior, non ferret Castellæ regi Ferdinando honorarium in ephebum tradit. Verum longè aliis intentum numen dum Ignatium formaret, has naturæ tot dotes, iam eò retulerat, vt nobilioribus gratiæ studiis ancillarentur aliquando, & melioribus quam aut cuperet pater, aut ipsi tunc iuueni saperent. Quod enim postea Ignatius dictitabat, expertus ipse est, quos fuerat naturæ bonitas ad amplam fortunam in sæculo prouectura, hos

quoque in Dei gloria strenuè proferenda successus habere vberrimos. Robur enim illud inuicti pectoris quo ne vitæ quidem periculo territus, per acerbissimos dolores, gloriolæ ante meruerat; in patientiam vertit affligendi alacriter, & implacabiliter corporis; excelsitatem cogitationum, & animi, quicquid esset vulgare dedignatam, integrè retulit ad amplificandam diuinam gloriam; procliue illud ad arma, & bellica, totum incubuit ad conscribendam militiæ nomine, ordinandamque societatem nouam, cuius vnum opus, ac studium foret, orthodoxam fidem & auctoritatem Ecclesiæ tueri, latiúsque in dies propagare.

II. *Auctorum nomina (quorum nemo ex societate) qui scribunt Ignatium eiusque Ordinem, hæresibus nostrorum temporum diuinitus oppositũ & Indorum conuersioni destinatum Greg. XV. Vrban. VIII. Pius IV. Breui ad Philip. II. an. 1561. Pius V. ad Episc. Colon. 1568. Card. Ludouisius Monti, Alanus Ro. Rotæ audit. Concil. Terracon. 1602. Geneb. Stond. Torn. Ioan. du Perron, Petrus Matth. Marcellus Pisan. capuc. Flor. Raymond. Falbius, Ref. Dupleix, Surius Payua, Rodr. tom. 1. qq. reg. Stenartius Maurolicus Sandoual Ep. Pamphil. & alij complures.*

Atque hîc iuuat memorare, inter cætera Ignatij decora, singulare hoc, ipsique proprium, & ab summis quà Pontificibus, & Præsulibus; quà huius, & superioris æui Scriptoribus plurimis illi attributum, quod ex militia sæculi eius belli ductor cœlitus lectus est, quo ad præsidium, vexata; ad defensionem, laborans Dei Ecclesia, esset magnopere vsura. In calamitoso videlicet Henrici per Angliam schismate, in Lutheri desertione per Germaniam; in rebellione Caluini per Galliam; in extendendis per Castellæ, & Lusitaniæ Indias religionis veræ limitibus, quos per Europam hæresis impie arctarat. Fuitque hoc Deo ab ortu Ecclesiæ solemne, vt effusis in campum, hæresum ducibus, apostatis, tyrannis, propugnatores opponeret, nunc quidem singulos, nunc in turmas digestos, ad hoc peculiari prouidentia euocatas. Sic olim Athanasium Arrio; Basilium Eunomio; Iuliano Gregorium cognomento Theologum; Nestorio Cyrillum; Hieronymum, & Augustinum Eluidio, & Pelagio; ante annos demùm quadringentos Albigensium furori, & grassantibus latè hominum vitiis, sanctissimorum Francisci, & Dominici Patriarcharum familias geminas. Et certè dignum obseruatione Ignatij ortus, conuersio ad Deum, & conscriptæ ab eo Societatis institutio, publicis Ecclesiæ necessitatibus quam opportune occurrerint: quo enim anno Ferdinandus Castellæ rex cum Christophoro Columbo de nauigatione decernebat quam hic nouum in orbem ab se primùm repertum instituit; eodem Ignatium Deus huic mundo dedit, vt barbararum tot gentium eruderatio, & in Christo cultus, eius tùm operæ pretium, tùm filiorum labor foret. Sexto vero post anno Orientem versus Vasco Gama in detectas ab se Indias nauigauit, quo item Xauerius nascitur, hoc est, 1497. Inde post quatuor, & viginti annos Martinus Lutherus Vormatiæ, effrontem coram Carolo quinto apostasiam professus, & desperatam emendationem Vatbergæ se abdidit, vbi nouus Ioannes, nouæ Patmos iactator ridiculus, præsentis veneni contra religiosa vota librum scripsit, qui pestifera sui lectitatione, breui cœnobia in solitudinem mutauit; è contrario hunc ipsum in annum cecidit humanis ex rebus Ignatij fuga, votúmque Deo militandi, ex quo receptis post curatum vulnus corporis viribus Manresam secessit, vbi clara in luce æternæ veritatis libellum composuit Spiritualium Exercitiorum, cuius, vt dicetur, mirabili ductu & suam ipse sacram familiam collegit, & reliquas mirifice auxit. Vnâ Ignatius, & Caluinus Parisiis agebant; vnâ discipulos, & sequaces, quàm diuersi diuersos! legebant. Illic Fabrum sibi finxit Ignatius, *qui vitæ & doctrinæ suæ malleo* (verba sunt Florimondi Raymondi) *hæresim fortiter obtriuit*. Ibidem Caluinus,

aie

ait idem autor, alterum sibi Fabrum cudit, insignem oppidò suorum in fornacibus hæresum, Cyclopum ministrum. Henricus denique octauus Angliæ rex, qui valedicente mundanis Ignatio, Defensor fidei, gloriosè fuerat appellatus, eodem prima societatis rudimenta Parisiis designante, deuouentéque illam defensioni Ecclesiæ, Christique Vicario, ab Ecclesia sese, eiusque capite Ro. Pontifice penitus abscidit, anno 1534. & pœna capitis eradi Papæ nomen quibuscumque in libris, cartisque legeretur, edixit. Licet id quoque aduertere, quantum Catholicæ fidei, postremis his annis, vtrasque per Indias lucra, iacturam superent, quam paucis ad Septentrionem in prouinciis fecerat; indiciis verò euentuum, quàm manifestis docuerit Deus fuisse saluti populorum Societatem ab se destinatam. Nec enim defuit diligentissimus calculator, castigatorque damni, iuxta & lucri sæculis quindecim ab Ecclesia facti, qui diceret, Franciscum Xauerium, plures vnum Christo animas peperisse quam hæreticorum quantùm est, ac fuit, perdidissent. Deum autem præter consilium frangendi per Ignatium Lutheri, virum sibi in eo legisse idoneum qui Castellanis, & Lusitania, trans vtrumque Oceanum vela parantibus, fidei magistros, & Dei præcones eodem mitteret; maiori teste non possum asserere, quam Pontifice ipso, ita de Ignatio loquente [Dudum felicis recordationis Gregorius Papa XV. prædecessor noster Piè attendens quid ineffabilis Dei bonitas, & misericordia, quæ miro consilio, suis quæque temporibus aptè disponit, & præteritis sæculis, siue ad disseminandum Euangelium inter gentes, siue contra subnascentes hæresiarchas, destinauit plures sanctitate ac doctrina illustres viros, nouissimis temporibus cum per Lusitanorum reges in longinquas Indiarum terras, ac remotissimas insulas, latè patentem vineæ domini propagandæ aditum aperuissent; nec non minorem Catholici Castellæ reges, nouum in orbem, ad occidentem repertum, patefacerent; veterem autem religionem, omnémque illius sanctitatem, ac perfectioris vitæ professionem, Lutherus, monstrum teterrimum, aliæque detestabiles pestes, blasphemis eorum linguis, in Septentrionis partibus corrumpere, & deprauare ac sedis Apostolicæ auctoritati detrahere conarentur; excitauit spiritum Ignatij Loyolæ qui ex medio honorum cursu, & à sæculari, & terrena militia, admirabili quadam ratione vocatus, ita se diuino imperio regendum, & formandum tradidit, vt demùm noua Societatis Iesu, (quæ inter alia pietatis, & charitatis opera, gentilibus conuertendis, hæreticis ad fidei veritatem reuocandis, & Ro. Pontificis potestati tuendæ, ex instituto, se totam impendit) religione fundata, vitam admirabili sanctitate traductam, sanctissimo pariter concluserit exitu, ac plurimis sit miraculis illustratus eiusdem Ignatij, catalogo sanctorum adscriptioni, de qua dudum agebatur, decreuit intendere] hactenus Pontifex in Bulla Canon. S. Ignatij.

III. *Arma capessit Ignatius Pampelonam propugnat, vulneratur.*

Sequamur iam cœpto itinere, & iuuentutem Ignatij repetamus. Annos aliquot in aula egerat, cum vulgato fratrum bellicis in rebus egregio robore pungi cœpit, excitataque indole, aulæ seruitutem deinceps odisse, aulæ otium cum tædio ferre, & hanc eius impatientiam, duci Nagaræ Antonio Maurico, ex Principe nobilitate viro fortissimo denique explicare. Is bellicosum ingenium complexus, propinquitate etiam sanguinis impulsus, erudiendum iuuenem suscepit quotidiano ar-

morum in quibus excellebat ludo, nactusque haud imparem magistro discipulum, breui ab rudibus, ad militaris Doctrinæ apicem perduxit, ita Ignatius ex vmbra ad solem, arma iam seria & decretoria poscere, parendo primùm, postea iubendo, ea vtrobique, paucos intra menses fortitudinis fama, vt merito posset in stipendia opima, & militiæ gradus præcipuos, spes volucres mittere, hac verò in arte iis attemperabat legibus vitam omnem, quæ militem potius gloriæ cupidum decerent, quam Christianum exquisitè pium; nullum quidem ex eo verbum licentius, nihil quod saperet inhonestum, necdum tamen sibi vitio vertebat apertos amores, & obsequia Principum fœminarum, iuuenili magis vanitate, quàm prauo animo susceptatin conciliandis inter se militibus eminebat, magnóque tum rei multorum priuatæ, tum publicæ commodo id egit; nec semel scissum in studia populum, & in cædes ruentem composuit, ad sustinendum tamen magni animi nomen nihilo ipse ad capulum segnior, quam ad sensum offensæ promptus; quod autem rarum in milite, amorem pecuniæ tam procul habuit, vt expugnata in finibus Nagara, datáque ad diripiendum, præter victoriæ honorem, & saporem vindictæ, nihil inde legerit, ab ludo præterea, & otiis valdè abhorruit, quæ pangendis Castellana lingua carminibus, libenter fallebat, eo quidem profectu, vt de Petro Apostolo poëma elucubrarit benè longum, cuius grato animo accepit mercedem, postea vitam ac valetudinem recepit. Fuit hic Ignatio morum cursus ad vsque annum ætatis trigesimum, quo visum Deo est, hominem à via militarem gloriam vnicè spectante, in aliam flectere, tantò vltra ipsius generosos, sed caducos ambitus exituram, quantùm omnibus præcellit animæ sanctitas, hominumque ad Deum conuersio, quod eo qui sequitur modo se habuit.

Cantabriæ Occidua.

Nonnullis Castellæ populis longinqua Caroli quinti absentia pronum fecerat moliri res nouas, & bellum ciuile pro libertate publica audere, hoc, vti assolet, colore prætexebantur tacitæ rationes quorumdam procerum, quorum impulsu hi motus ciebantur. Castellæ Prorex Federicus, vrbium quas regebat, (nam erat regni Admirallus) periculo cauens, muniendis illis, Nauarram omnem armorum, hominum, commeatusque præsidio nudauit, occasione hac recuperandi eius regni tam opportuna & facili Rex Galliæ vsus restituendique cognati Henrici Alberti, ex eodem regno, iam inde excluſi ex quo Ioannem tertium eius patrem, Ferdinandus rex Aragoniæ inde expulerat, conficiendæ rei prouinciam Andreæ Fuxiensi cum exercitu tradit; erat Andreas Fuxiensis Aspatotti dynasta, Odetti Fuxiensis, illius nominatissimi, Lotrecij toparchæ, frater natu minor. Hæc vbi prospicit Antonius Manricus Nauarræ tunc Prorege imperans, exarmatique regni fiducia gallos huic ingruere. Castellæ Proregem mox adit ipsemet, vrgenti periculo properata ducturus subsidia; verùm interea Nauarram, Guipuscoa ingressus Andreas, portui imminentem S. Ioannis vrbem capit, occupatisque aliis minoris negotij locis ipsum regni caput Pampelonam obsidione arcta cingit. Hic ciues hostium numero territi auctisque in dies eorum copiis, defectarum conscij virium, ac ne spatium quidem tuendæ vrbis ad vsque reditum Proregis, ausi sibi sat tuto polliceri; de deditione agere, ne vel restitando vel morando, conditionem eius facerent grauiorem

grauiorem neque illos ad defensionem promissa auxilia, & adfutura quantocyus mouere, nec aut ignauiæ, aut perfidiæ nota ab Ignatio exprobrata, cuius fidei magis quam auctoritati atque imperio credita ciuitas fuerat. Diu ergo frustra in torrentem connisus, relicta vrbe in arcem se recipit, vbi arcis præfectum comperit nihilo ciuibus meliorem, & omnia timentem; maximè cum vidit, hostes vrbe potitos, applicitis machinis impressionem in arcem parare: prius tamen obsessis Gallus colloquium vltro defert, eò præfectus cum aliquot aliis descendit; ipse quoque adesse Ignatius voluit quod persuaderet sociorũ timor, futurum vt acquiescerent conditionibus qaamlibet iniquis, & propudiosis, nisi adesset qui eos erigeret. Nec vero alium vel minus timidum, vel minus animosum ea res poscebat. Hostis enim obsessis longè viribus præstãs, & ex deditione vrbis tam subita multùm sibi præfidens, conditiones ponebat durissimas, nec diu licèt multísque agitando (quicquam agebatur, quo statuerentur æquiores, ad hæc arcis præfecto cum suis nutante, & deditionis coactæ, velut ineluctabilis indicia prodente, Ignatius illorum magis ignauia quam fastu hostium offensus, vultu, verbis, animo indignans negotium abrupit retractis secum in arcem sociis, vinci malens pugnando fortiter (si belli sors ferret, quam turpiter cedere inde milites hortari, fidem, & meriti præmia inculcare, atque ad extremum mortem glorioſam, deditioni timidæ præstare. Ita paribus vtrimque animis inuadunt illi, repellunt isti, & fertur Ignatius in propugnaculi fronte quà feruebat impetus hostium ad ascensionem, mira edidisse fortitudinis documenta. Gallorum interim machinæ quam partem obtinebat Ignatius vehementissimè quatiebant, cum Deo volente, vicini muri ex margine reuulsus globo lapis, crus eius sinistrum verberat, sed idem retortus muro globus dextrum comminuit, sternitur itaque duplici vulnere, vnáque militibus animus, quos exemplo vocéque sustentarat, & destituta præsidio in manus hostium arx venit Maij decimonono, altero à Pentecoste die Anni 1521.

IV. *Periclitatur eius vita, sanatur & B. Petro. Curationes cõminuti cruris fortiter tolerat.*

Ignatium Galli perhumaniter habuere, virtutem mirati etiam in hoste amabilem, delectatíque tum fide nobili tum animi robore quo deditionis consilia fregerat, & pro sua virili egregiè pugnarat; vulnerum tamen grauitate curationem poscente, haud paulò doctiorem quàm posset is locus suggerere, post dies aliquot liberum per lecticarios baiulos reportandum Loyolam curarunt, illic malè primum repositis ab castrensi chirugo, tibiæ schidiis, deformem claudicationem cum perpetuo dolore minantibus, nisi diuulsa iterum, suis aptè committerentur locis, nihil ipse veritus totum se chirurgis ad nutum permisit, quàm carnificinam nec voce nec verbo testatus, eius sensum dumtaxat cogendis in pugnum digitis expressit, post acerbitatem tot dierum nouo huic tormento succubuit natura, vnde periculosiùs afflictus, vel spasmo corpus variè conuellente, vel humorum perturbatione nouas morborum causas proritante, fatiscere stomacho, & eo vsque viribus defici, vt supremo vicinus articulo animum ad mortem sacris mysteriis compararet. Dies erat Apostolorum Petri & Pauli priuilegio sacer, & medicorum iudicio decretorius, nisi quid melioris indicij nox sequens afferret, vel medicina præsentior cœlitus adesset. Hanc B. Petrus ipsa illa nocte

tam efficacem ipsemet attulit, vt extra periculum, iacentem posuerit, non tam opinor in præmium religiosi; de quo paulo ante attigi poëmatis, quàm quod sciri vellet Apostolus sua interesse Ignatium viuere, cuius interitu sua Sedes propugnatorem eximium, ducem fortissimum amissura esset Ecclesia. Hinc ergo dolor vanescere, instaurari vires, cibo stomachus refoueri, redire valetudo. Sed adglutinatio fractorum tot ossium quantumuis scita & diligens, tam esse fœlix non potuit, quin ex iis vnum deformi adspectu sub genu extaret, ac breuius altero crus illud remaneret. Ignatius, vt erat elegantiæ imprimis curiosus, deformitatem hanc ferebat tam impatienter vt eam cruciatu quouis corrigi cuperet: ad hoc eò venit, vt nudatam denuo carnibus, ossis illius protuberantiam secari iusserit, cruris deinde breuitatem machina ferrea quotidie ad mensuram alterius distendi, ne quam, incessus inæqualis speciem præferret. Vbi sanè memoratu digna mentis inflexæ constantia, cùm enim chirurgi prænuntiarent osse resecando, incidendísque carnibus cruciatum iri longè acerbiùs quàm esset vsquam in vita expertus, tantùm abest vt resilierit, quin expedito iam in oculis ferro ne ligari quidem sustinuit, vt solent alioqui maximè animosi, quorum, in similibus, virtus, naturæ satis non imperat, & motus etiam perleues, non leue periculum inferunt. Incidi tamen & secari tam æquali vultu, & tam immobilis passus est, ac si ferramentis saxum, non corpus viui hominis scalperetur. Fuit hic Ignatio animus sui adhuc amore deliranti, suæque martyrio vanitatis: neque tamen prorsus fructu in posterum caruit: nam præter vberem flendi materiam, relegenti stultitiæ veteris errores præbitam, exstimulauit deinceps hominem ad quæuis ardua in Dei gloriam, ne plura studio placendi hominibus quam Deo, ab se facta, atque tolerata exprobrantibus ossibus proderet.

V. *Legenda Christi, & Sanctorum vita, conuertitur ad Deũ Ignatius.*

Dignus tanto ciue non erat mundus, nataque mens ad sublimiora funditus interibat; nisi, omissis quæ cœperat, assurgeret altiùs quàm quo sua illum desideria leuarant. Glorioſiùs aliud spectabat seruata Ignatio vita, quamuis enim gratia interdum, velut miraculo, homines nihili ad magna adhibeat, vbi tamen capacibus animis sese infuderit, credas illam vires geminare, & ausus haud quaquam triuiales generosis moliri consiliis. Collatum Ignatio à B. Petro beneficium id modo egerat, vt donatam sibi diuinitus vitam agnosceret quidem, eius in melius formandæ quo teneretur titulum nondum attenderet. Quare dum lentiùs ex crure postremùm resecto consanescit, fallendo tempori, & discutiendo tædio, repetebat animo vanitatis pristinæ simulacra, vtque Patri Gonzales familiari suo postea fassus est, totus erat in confingendis vrbanitatum nugis, quibus nobiles fœminas in sui traheret admirationem, interque illas vnam præcipuè, quam gerebat pridem animo impressam, & cuius ducendæ quanto spem nullam dabat conditio celsior, tanto maius vt fieri solet eius ambiendæ studium inflammabat. Sed ne istud quidem laxamentum inane, in quo integras horas hærebat defixus, illam satis diei totius solidam nauseam sorbebat; & illa denique vigilantis perpetua, in vno somnia, fessam mentem fastidio opplebant. Sua ergo figmenta vt interpungeret alienis, librum aliquem ex iis popoſcit, qui per artificioſi mendacij

mirabi

mirabiles exitus, & varietatem fabulæ sic oblectant vt sibi legentem suffurentur vixque sentienti, curas, & tædium adimant. Verum Dei omnino, nutu factum, vt qua in domo talium copia librorum passim occurrebat, ne vllus quidem tunc diligenter quærenti, vllo vsquam in angulo se daret. Duos fortè sors bona obtulit, sed longe diuerso ab iis qui expectabantur argumento. Landolfi Carthusiani alter, de vita Christi Iesu; alter verò de Sanctorum gestis Castellano vterque idiomate. Ad eos itaque legendos, magis quod alij deessent, quàm quod pietas suaderet, oculos adiecit. At enim diuina, cum multo aliter sapiant quàm caduca; palatum, licet nec syncerum nacta, nec bene comparatum, suum tamen quoddam huic dulce affundunt cuius primo mox sensu quicquid terrenum est insulsum sapit. Legere itaque cum voluptate Ignatius, quod ante ne aspectu quidem, nisi molesto dignaretur; ac mirari primum summopere, quàm duris, & prolixis pœnis viri sancti, quàm crudè in propria corpora sæuîssent; Exin Deo agente in se ipse tacitis cogitationibus redire, & ex se quærere, cur non & sibi tantumdem animi, quantum & illis ad eadem foret? Huic dura silex pro lecto est; ille catena ferrea stringit latus, & nudis carnibus cilicium adprimit, precando alius noctes ducit, alius multorum dierum longa ieiunia, crudis herbarum radicibus, & frigida soluit; est qui se viuum speluncæ cauo condit; qui peregrinatur ad ignota loca, & nudus hyemes, pluuias, solemque perpetitur. Erant hi forsitan ex ære fusi, aut ex scopulis nati, qui nihil sentirent, dolerent nihil? aut si mei fuere similes, cur idem non postero quod & ipsi? Vixêre casti, intra corporis, lutum; spreuêre honores, & quicquid in sæculo eminet, prognati licet nobili sanguine, & magnos spiritus ab initio sortiti cumque omnibus egerent, contenti adeò hac sorte; totque in ærumnis tam alacres hanc vitam traducebant, vt possessione aliqua ingentis boni necesse fuerit illos hæc infima calcare. Venam profecto sugebant quandam suauitatis incognitæ, quæ vitam conditet tot cruciatibus amaram. At hæc nisi vsu intelligi non valent, expertique dumtaxat ea norunt? hem igitur quid si & ipse pœnitentis cultu, nudus pedes, catena præcinctus in sacco compaream? si me ludibriis hominum, & sannis exponam? Quid si semota in heremo solus, Deo soli ac mihi posthac viuam? si pulpam hanc miseram vexando edomem, partémque nominum disuam quæ peccando infœlix contraxi? quo potest mundus stipendio me sibi auctorare? aut ego ab illo quid tantùm sperare? vtrumne aliquid, quod non iusto cariùs, aut emptum doleam; aut me velociùs interiturum sit, si tamen hoc ipsum assequi potero: si quanta vt mundo placerem perpeti libuit, Dei causa pati maluissem; quantum inter sanctos nunc locum tenerem? ad hoc ergo si nihil præterea opus est, per me vnum stabit quominus eo perueniam: his incensus curis, ad legendum redibat; inde nouis subinde illuminatus flammis, ad eam quæ post secuta est sensim mutationem parabatur: qua in re dignum admiratione, quam ab Ignatio nec supremæ, tunc horæ metus vrgens, nec adspectabilis B. Petri præsentia; nec probè cognitum receptæ ab illo valetudinis donum, vitæ mutationem extorserat: hanc piorum librorum simplici lectitatione ab eo sta-

bilitam

bilitam : iisce libris in eius animum penetrauit Deus, & lucem intulit, ad quam sua cum sanctorum gestis, studiisque componens, displicere sibi vehementer cœpit, & cupere ardenter in virum alterum recudi : Sic magnum quondam Augustinum, quem nec lachrymæ sanctæ matris, nec fidorum preces amicorum, nec Ambrosij flexerant rationes, breuis domuit S.Pauli locus, totúmque Christo dedit. Ea vis est sanctorum librorum, & latet is vigor in eorum verbis quibus arcanos legentium animos alloquitur Deus, vt sæpè momento in sanctos euadant, quamuis vel otio leuando, vel vt Beato Ioanni Columbino euenit, ex nonnulla etiam indignatione. Hinc iure omnino societas debuit (quod & hactenus præstat) laborum suorum partem non minimam scribendis,vulgandisque addicere,quæ ad promouendam facerent pietatem siue arte hac admodum potenti, animarum saluti quod maximè agit: profutura,siue gratum Deo animum testatura, reddituraque nonnullam gratiam, quod eò Patre nata sit, qui piis ex libris renatus, primos ex iisdem ad progignendam ipsam spiritus duxerit. Haudquaquam tamen victoria conuersi ad Deum Ignatij;vno ictu stetit.Reducentis ab libro oculos,reuellere mox etiam mentem sexcenti dæmones contendebant,redibat ardor genij militaris, recurrebant sperati honores quos præcipuè deperibat, voluptatum trahebant illecebræ quibus ille flos ætatis potissimum capitur, verum præ cæteris animum reuocare dicteria & risus,quos erat de se hominibus daturus,iterum enim per ora, scriptaque omnium, vt primum aliqua mutatæ vitæ indicia ederet,Ignatium Loyolam amissa Pampelona,impatientem iam publici factum,ne agnosceretur,heremita se regere,ignauiæ suæ vituperia &fannas non ferre,abdidisse se syluarum recessibus, &viuentem cauernis sepelisse,sic partim pellectus,partim exterritus,nec resistẽdo par cedebat sibi ipsi,non damnans quidem susceptum propositũ,sed veterem ducens delitiarum,& gloriæ saliuam;post Paulum verò meliore instinctus cogitatione librum resumebat in quo seipse quem perdere cœperat, rursum recuperans, repetebat simul priores impetus,& nouis accinctus viribus, acnoua in luce,mentem in Deo ægram obfirmabat,redituras in hostem valentior:elusas pia lectione impressiones,& machinas denuo iterantem, quæ boni, prauique consilij alternæ vices, aliquamdiu tenuerunt, dum eodem ex libro toties, mutandæ vitæ idem versans, tundénsque propositum id denique excudit, victorque tandem in ipso Deus,ipséque in Deo,perpetuum statuit,& quia,vt semper animaduersum est, ea fingebatur Ignatij sanctitas,quæ magis ratione,quàm incitatione animi ageretur, voluit ipsius iudicio Deus,quæ constituebat ab eo exigi ; ergo eius animum aduertit vt ex obseruatis diligenter affectuum momentis conficeret, quoties Deo inseruire, vitamque aggredi quam postea tenuit, siccam & asperam decreuisset; toties solitum decreta hæc subsequi mentis quoddam serenum, iis delibutæ solatiis nihil vt præterea cuperet,sed impleretur penitus alta pace cordis intima occupante; quod ex caducis mundi delitiis, nec poterat,nec sibi vnquam, senserat contigisse, at cum vice versa reuolueretur in priores nugas, fingerétque se optatum apicem diuitiarum,& gloriæ,voluptatumque prehendisse ; hæsisse hinc animo sequacem eius consilij mœrorem, & inquietam amaritudinem. Præterquam quod etiam cernebat, quidquid sibi dulce, venire ab terrenis posset, cum vir,

prima

prima in cute fusum, solidum animi non peruadat, nunquam desideriis explendis par fore. Ita probe ratiocinantem,ac fidum interpretem seipsum sibi adhibebat, dum iis se tædij ac tristitiæ vocibus moneri sentiebat: In ferendo de legendis rebus iudicio, hærendum non esse in fuco quem præferunt, sed prospiciendum quò desinant, opponendáque in lance altera, quas in discessu relinquunt miserias, cum iis bonis quæ secum videntur aduentu suo inuehere. Quis cæcus non videat, æterna quanti sint præ iis quæ fluunt cum tempore? ac demus, fastigium attingas fœlicitatis illius auido ambitu cogitatæ, nedum meritis parandæ; quid inde? cum vt maximè fida sit,ad sepulcrum, nec vltra comes sit iturai, nde qui ea fruebatur præter infelicem eius memoriam, aliud secum ad inferos nihil refert, nisi soluenda æternùm nomina, æternùm exigenda. Hi sensus nouitium diuinorum rudem, tunc quidem confirmarunt, & concepti de mutanda vita tenacem propositi fecerunt, pòst verò perspicaciorum accessu luminum, claráque intelligendi vi, affectus contrarios mœroris, & lætitiæ relegens, ex diuerso boni malique spiritus impulsu consequi solitos,pro certa regula habendum statuit,posse quemlibet motuum quibus agitatur, authorem iis quiescentibus, cuiusmodi fuerit bonus, an malus, discernere ex conditione affectuum quos menti impressos reliquerint. Dei enim est tranquillum, alacrem, ac mirè lætum; dœmonis è contrariò, tristem,conturbatum, & sibi similem tenebricosum efficere.

VI.

Primus Ignatij ad pietatẽ ardor, concutitur demum dum se deuouet Deo, visendam se illi B. V. præbet, singulari dono castimoniæ illum ornat.

Iam erat Ignatio fixum illos sequi viuendo, quorum egregia virtute, deforme suum damnari sentiens, se ipsum horruerat; restabat tam vario ex vitæ genere in iis effulgente, exemplum sumeret, quod sibi promptius ad imitandum esset; in quo illi non fuit diu deliberandum, vt qui magno ardore ad saccum, cilicium, & speluncæ rupem; ad noctes orando peruigiles, somnos nuda in humo carpendos, carnem catena, inedia, itineribus frangendam, se rapi sentiret, & modis omnibus diuexandam, seu vitæ conscius anteactæ delere lacrymis, ipsóque sanguine admissa satagebat; siue quod noua, nascensque pietas, sanctimoniæ medullam, summámque virtutis in excruciando corpore statim ponit;aut fortè quod solet recens ad Deum conuersio susceptæ feruoris eiusmodi habere laxamenta, quibus se diuina gratia opportunè coaptat, vt nouos homines ab sui & sensuum amore diuellat, quem voluntariæ corporis afflictationes præcipuè impugnant. Hæc animo voluens, dum conualescit Ignatius, nequaquam vt antea tempus insumere percurrendis tantum Christi Iesu, eiusque Matris sanctissimæ, & beatorum gestis; sed imitandi iam cupidus, seligere ex iis maximè heroica quibus pro exemplari,vteretur,eadémque referre in quaternionem trecentis constantem foliis, diligentia singulari, & eleganti charactere; neque hic debet vt leue, omitti, magnæ pietatis argumentum, modus ipse illa adnotandi, reuerentia nimirum quædam, & æstimatio eorum quæ sibi deinceps factis exprimenda colligebat: ratus enim hæc tam illustria parum decore atramento scribi, varios ad hoc colores adhibebat & Virginis quidem laudes eximias cœrulo; Christi autem minio pingebantur, Sanctorum aliis coloribus aliæ, pro cuiusque gradu pulchrioribus, aut minus præstantibus, vt eminere magis

minúsve singula videbantur; fuitque hic liber tota res quam domo abiens ex bonis omnibus secum tulit. Mulcebat ex parte occupatio hæc flagrantem desideriis animum, sed iis adeò non fiebat satis, quin tempus, & moras sanitatis lentæ incusaret, coactus ea quæ constituerat differre, dum solidata iam probè crura gressum tutò corpúsque sustentarent. In iis primum erat, vnà domo & sæculo exire, tum ignotis procul in oris abditum, & vili habitu obiectare se contemptui hominum, mendicitatis incommodis, & tolerantiæ cuiuslibet aduersis. Ad ista anxiè assiduéque anhelantem, nocte quadam, desiderium vehemens ita inflammauit, vt cum illud explere nisi vnis affectibus non valeret, lecto desiliens, aduolutúsque coram imagine Dei matris, incensis vocibus multóque cum fletu totum se illi eiusque filio ad quæuis ardua dicaret, instaurato promissis fidelibus veteri suo proposito. His totum palatium inopino succussu intremuit, magis tamen Ignatij conclaue eiecto de fenestris vitro, rimísque apertum patentibus, quæ nunc etiam visuntur. Creditum palam dæmonis rabie id factum, futuros iam tum Ignatij progressus ex iis principiis metientis. Nempe in hunc optasset, ædium ruinam impellere eaque sepultum obterere. Sed enim, dum in cassum furit, totum cum Deipara cœlum gestit, quæ deuoti iam sibi recentem Ignatij clientelam placere testata est: alias siquidem nocte intempesta visendam precanti se obtulit infantem Iesum brachiis sustinens, vultúque amabili, ac familiari, in conspectu diu stetit, spectari facilis, & cernentis oculos explere; quos sanè haud sola videndi rapuit voluptate, sed per eos ingens præsidium animo infudit: nam eo spectaculo dum tenetur, quod quidem sat diu tenuit, moueri se quadam arcani artificis suauitate sensit, transformaríque penitus, & alios sensus, nouasque cogitationes velut interiore sibi manu excudi, quibus totus in alium ab eo qui fuerat mutabatur. Cum enim sensuum incustodita licentia multis eatenus implesset animum imaginibus parum castis, quæ non rarò nolenti importunius adsultarent, omnes vna hæc Virginis species & prorsus erasit, & in perpetuum excluſit. Quod tanti fauoris, & tam paucis çommune beneficium Ignatius tam excellens accepit, vt inde quandiu vixit, tanquam emortuo corpore, sensúque omnis voluptatis, ne motum quidem illius vel minimum senserit.

VII. *Ignatiũ frater natu maior frustra nititur à proposito dimouere.*

Firmatis inter hæc viribus quantum opus erat, vt lecto pariter, & paterna domo proriperet sese, peragendæ rei modum tacitus, designare; Manricum ducem cognatum suum rependendi officij gratia visendum fingere; commeatum eundi fratri suo Martino Garziæ natu maximo probare; quod ore constanti peragens, nulláque molliti animi specie, quamquam vale postremum hoc fore statueret, suspicionem tamen consilij germano fecit. Notatis enim morum vestigiis tantùm à pristino diuersis, nimium clarè perspexerat, iam non esse illum qui fuerat; & de meditabundi vultu perpetuo, secúmque habitantis; de oculis etiam recenti sæpiùs ex fletu ardentibus; & de illo iam ita flaccido, ita emortuo iuuenili acríque militiæ genio, nihil vt ei placere, nihil non displicere videretur, coniiciebat illum noui aliquid moliri; auxítque suspicionem, profecturi salutatio præmatura, nutante etiamnum valetudine, maléque

que conserta. Quare tam præstantis, ac tam cari fratris desiderio, famæ simul timens domesticæ, seorsum sed velut addubitans, suas illi suspiciones edit: [Si tamen, inquit, hæc suspicio est, non potiùs certa res, quæ tot mihi tam certis constat argumentis, alter enim totus, mi frater, ab illo es, qui ante fueras cum te hic casus deprehendit. Dissimulare hoc mihi vt studeas, euincunt facilè res ipsæ, tuáque ista viuendi ratio: huius vero tam subiti animi ambages, vt me quam diligentissimè cælatum voluisti, ita causas illius multo magis apud te premere, velut hoc quo te imbuisti tuimet odium, tuos etiam tibi fecerit odiosos, & fratris erga me atque adeò amici, te satis iure absoluerit, ne fidei meæ arcanam mentem committeres. Benè est, itaque iam meum fuerit hoc ipsi tibi vt retegam, quod omnibus titulis me ex te potiùs, quàm te ex me discere oportebat. Hæc ergo, Ignati, profectio, fuga est, quam visendi officio prætexis. Fugis, esto; at scirem, quo saltem? & qua tandem ex causa? Verum quo te cumque tua ista mens ferat, quodcumque illud est quod tamdiu animo versasti, grande aliquid est, (ingenium noui) momentique in posterum non vulgaris; ad hoc porro tanti, haud alio te vsum consiliario quàm teipso? Quanquam, faxit Deus, vt etiam teipso, ac non tristi quadam, & recocta bile, pietatis vultum ementita, quam esse profecto necesse est in tui deceptione vehementem, si ne suspectam quidem patitur tibi esse, quod tute ipse iudicas tam scitu indignum, vt hoc vel vni prodere te pudeat, qui tibi & natura frater, ætate, amoréque plusquam pater. Si ad genium tuum arma non faciunt, aut in iis, scilicet, aliquid extimescis; deerunt nempe alia in quibus acquiescas, nihilo minus glorioſa, neque ab tuis natalibus aliena? Si vero perfectæ sanctitatis desiderio traheris; per me licet, non obsto, quin & inuideo, & laudo: at vnde, te quæso, ad illam raperis? rea est adeò hæc domus, nos adeò perditi, vt inueniri Deus apud nos non possit? non potes scilicet hic tibi viuere, vbi tu hactenus magis tecum & solus, quam nobiscum egisti? Quid dicam nescio, nec enim scire me pateris de quo dicam. Certò quidem, amore non erro, & persuasum habeo me frustra non loqui; id tamen quicquid est, si fixum tibi est abire; scito te, Ignati, quocumque ieris, tecum generis famam palam circumferre: ac si quid nostro parum nomine dignum (quod auertat Deus) admiseris, penes te priuatim admissi culpam; commune nobis omnibus damnum fore. Ac si tui te cura nihil tangit, patrem, maiores, me etiam cogita, cui futurum sit, inconsolabile, si qua fratrem aliud professum, aliud habitu præferentem homines videant, quam quod splendorem familiæ deceat.] Aurium tenus hæc, & similia excepit Ignatius, aut si animum quoque vellicarunt, commiseratio id egit fraternæ cæcitatis, cui mundi contemptus pro abiectione, pro insigni probo crucis gloria cernebatur. Paucis ergo se ab eo expediens, sua Ducis visendi officia, minimè ficta confirmauit, & videri sibi valdè mirum quod suspicaretur, vel inturum se eam viuendi rationem, vel quicquam ausurum quo nobilitas sanguinis, & maiorum decora fuscarentur. Sub hæc vale dicto, duobus tantum equitibus famulis comitatus, intendit Nauarretum iter, vbi dux Manricus tunc agebat. Sed paterno excedens lare,

ita omnem eius cogitationē,& amorem excussit penitus,vt Loyola,& Ognes, & domus suæ, ac familiæ nomina, pro barbaris vocibus apud ipsum sonarent, & significatus peregrini. quin multis etiam post annis, rogatus ab Sobrino suo quodam duce haud scio, consilium, an opem ad iungendum fœdus nuptiarum quod foret etiam Loiolæ dominis decorum; ab eo ministerio refugit, velut ab se alieniſſimo, qui mundi contemptum Christi causa professus, domum illic haberet nullam quam agnosceret pro sua, cuiusve honori, & commodis laboraret; atque istæ (subdebat) germanæ sunt illorum comitates, qui vt Christum sequantur, sæculo nuntium remittunt, exuere animo quoad possunt omnem terrenorum memoriam, vt meminerint tantùm cœlestia; & vrbanitates vsitatas eo minoris ducere, quo magis diuino obsequio studeant. Addit autem, totis vndecim retro annis, nihil se quicquam, ex familia Loiolæ cuiquam planè scripsisse; quòd olim sæculum relinquens apud se ratum fixumque statuisset, nullam sibi deinceps illic familiam, domumque superesse. Iam quas inde acciperet literas, aliud ab eo responsum non ferebant præter serias ad humana spernenda, & sanctimoniam sectandam adhortationes: factum nihilominus aliquando vt è domesticis adiutor, quasi rem ferret illi gratissimam, importunè cubiculum irrumpens, fasciculum ei ab Loiola, redderet litterarum; ille, vt erat Deum orans, exceptum statim in ignem coniecit præsente adhuc illo qui tulerat, haud pensi plus habens recreandi suos aliquo responso, quam eorum literis recreari.

VIII. *Quanta sit veneratione Loiolæ palatiū, & quanto illic animarum bono festus Ignatio celebretur dies.*

Nec verò propterea ingloriam domum reliquit Ignatius, quod perinde illam habuerit velut ab se nunquam habitatam: imo ipse plus vnus splendoris, ac nominis, ex ea aufugiens, eidem consciuit, quam quicquid auorum fuerat censendis maiorum titulis, ostentandisque honorum insignibus. Palatium quidem, siue vt incolæ appellant, Loiolæ turris, in qua & mundo natus, & ad Deum conuersus, totâ dum hæc scribo Hispaniâ, nedum Cantabriâ, pro celeberrimo habetur frequentatúrque sanctitatis illius monumento. Sita est, quo more, & aliæ tractus illius ditiones, ab domorum frequentia procul, aperto in campo, qui se duo inter oppida expandit; vni Aspeitiæ; Ascoitiæ alteri nomen est. Illuc vicinis circum ex populis, toto quidem anno, sed potissimum Iulio ad festum S.Ignatij, qui pridie Calendas Augusti colitur, per totum octiduum, vis hominum innumerabilis confluit, veneratura nomen, sacraque monumenta popularis sui, tutelarisque Sancti. Estque vt pium sic mirum spectaculum, prospicere integros supplicantium populos, per angustos calles illarum rupium ex quinque prouinciarum pagis & oppidis per multa etiam nonnullos milliaria decurrentes, & audire procul sacra illa, & syluas, Rosarij Virginis, sacris cantibus personantes, interiectis venustè vernacula lingua carminibus in Beati laudes, pia magis quàm eleganti vena promptis. Et quia ædes sacra multitudini tantæ, longo spatio impar est, celebrandis sacris vestibulum illi pro Sacrario fit, planities latè à vestibulo patens pro Templi Basilica. Iam beneficia, iam & miracula, quibus serui sui glorioſum nomen illustrat Deus; iam anathemata Eucharistica, in memoriam appensa impetratorum ab eo munerum quis facilè numeret? inter

ter quæ tamen, pretium fert omnium maximum, animarum prouentus, quotannis inde colligi solitus, & ab inueteratis flagitiis, perditorum ad frugem reductio, quos vbi fortè vicini comites, aut festi pompa, aut etiam nundinæ, quaqua versum immunes, eò pellexerint, pungit mox, vritque diuina lux quædam ex ijs velut parietibus expirans, qua salubri dolore colliquescunt; nec priùs abscedunt, quin multo cum fletu confessione sacra animum expiarint. Ad excipiendos porrò pœnitentes, quorum multi vitæ anteactæ annos omnes retexunt, alij complures; neque Societatis Patres, nec propinquis duobus ex oppidis Sacerdotes in subsidium acciti sufficiunt, solenni concursu totos octo dies occupante, quos & pontificia pœnarum venia, & musici concentus, & præstantium Oratorum exornant conciones. Accumbentium verò mensæ Christi annuus numerus ad quindecim millia. Est hæc pars altera pij cultus qui S. Ignatij natali domui exhibetur. Nec minor altera, quæ publica gratulatione, lætitiisque peragitur. Est enim ijs locis in more positum, vt Sanctorum virtutem, maximè tutelarium, militaribus ludicris cohonestent; quare statis inter octo quos dixi diebus, prodire turmatim videas hinc inde, aduersus & ante palatium acies, schemate Maurico, partitis coloribus elegantes, & strictis ad manum breuibus gladiis, singulari primum certamine: post manipulatim, mixto denique confusè vtrimque prælio, belli ciere simulachra; nec deest agitatio taurorum ijs regionibus vsitata; nec alicubi etiam scenarum choragia, in quas decus aliquod viri Sancti ab egregiis actoribus edatur; noctes demum ipsæ & pingui lampade, & lætis funalibus, & missilibus ignium cometis vincuntur. His in sanctum Patrem addicti obsequij studiis, haud quidem prius vti cœpit illarum prouinciarum ingenua pietas, quam illi publicos honores suprema authoritas decreuisset. Verùm multò ante, ipsoque adhuc superstite, solum illud natale, domusque parietes, quòd eum mundo, & cœlo dedissent; & illic editus, ibidem se totum Deo consecrasset; apud magnos viros eosdemque Sanctos venerationem habuerunt B. Franciscum Borgiam, & Hieronymum Natalem, qui piis osculis, & lacrymis ea coluerunt, censueruntque digna æstimatione quam à posteris nacta sunt. Certè cubiculum vbi flens ac gemens Ignatius primos vitæ annos melioribus mutauit, & nouos de cœlo instinctus hausit, donumque perpetuum castimoniæ singularis, eum veluti sensum sanctitatis illius retinuit, vt quem mala sors ad illud violandum, impulerit, aliqua præsertim fœditate, ipsi parietes sentire iniuriam visi sint, etiam priusquam ex profanis vsibus ad sacros transferrentur. Rescitum de quodam externo milite; nec diu postea de viro magis nobili quàm probo; ab Loyolæ dominis hospitio exceptos, & in illo Ignatij quondam conclaui locatos, dum nescio quid minus castum tentassent, concussæ domus terribilimotu, visisque ingentibus ita exterritos, vt horrerent toti. Contra verò nonnullis bonæ mentis, ibidem pernoctantibus contigit, abrumpi derepente somnos, infundique nunc insuetas alioqui de rebus diuinis cogitationes; nunc eorum quæ fortè peccassent detestationem, affectusque suauissimos ignotæ sibi antea pietatis.

Sed redeamus ad Ignatium in viam. Remissis ergo Nazareto famulis duobus, IX.

Votum nuncupat castitatis, & Deiparæ honorem contra Saracenũ tuetur.

duobus salutatéque duce, & quam illic habebat, sorore, solus & Dei, suíque iam totus ad Montem Serratum viam init; & mente interea reuoluens, quo ornatu Parenti Virgini, cui visendi honorem vtcumque reponebat, sistere se posset maximè gratiosum, decreuit (quod deinde præstitit) dicare se illi perpetuo voto promissæ Deo Castitatis, sicque huius ab ea inuisente coram sibi collatum munus eximium cumulare: at ecce his curis interuenit casus, qui proba specie inexpertum adhuc, rudémque nouitium tantum non euertit. Viator Maurus, Mahumeti sectator (cuiusmodi tunc Valentiæ regnum, & Aragoniæ habebat plurimos) dat se Ignatio comitem; vtque primo affatu de iis facilè quæ propius occurrunt, sermo inducitur, de profectione Ignatij ad Montem Serratum, primùm agi, deinde etiam disceptari: Mahumetano siquidem, Virginem à partu, Dei Matrem impiè pernegante, connitebatur Ignatius, quibus poterat modis, & rationibus, quas suggerebat ingenio pietas, sacrilego homini persuadere contrarium. Ioco Maurus vertebat quicquid diceretur, & dicta dicere pergebat impius in religionem Christianam, rebus quæ fieri non possent stolidè credulam, donec fastidiens loquentem vrgentísque petitionibus iratus, subditis repente calcaribus, insalutato Ignatio, inde se proripit. Ictus acriter barbari hominis duplici probro Ignatius, contemptu sui, & iniuria Virginis; iráque pariter & religionis studio incensus deliberat, possítne, aut debeat, iniuriam Virginis, Saraceni morte continuo vlcisci; ídque vt deberet officij ratio suadebat, quod Christi iam miles cum esses, in matris ipsius tuendum honorem stringi ab se ferrum oporteret; auocari se tamen ab ea mente, arcano instinctu sentiebat, quo admonebatur, reorum pœnas penes publicum esse; priuatam, homini Christiano vindictam minimè licere. Inter hæc dubius, ancepsque consiiij, sententiam casui, vel Deo, vt putabat, permittere statuit. Quà se igitur in duas semitas scindebat via; saxosam alteram, in montem asperam & arrectam; alteram planiorem, & latam in pagum exeuntem, cuius in prospectu quadragesimo vix passu patebat porta; illic equo habenas remittit liberas, certus si viam iniret qua Maurus præcesserat, quasi sibi traditum cœlitùs aut compellere ad palinodiam sacrilegiorum, aut restitantem de medio tollere; sic religioni, & conscientiæ satisfacere dum putat, quæsita desuper inter contendentes, quam ignorabat sententia, misertus est tyronis sui Deus, nondum satis edocti Christianum, à militari iure distinguere. Præter omnem naturæ impetum, omissa equus via facili, & plana, proritantéque ad pabulum diuersorio vicino quò Mahumetanus præierat, per montis ardua iter cepit; interpretante inde Ignatio velle Deum vt barbarus viueret; aut nolle saltem ab se interfici.

X. In pagum venerat ad radices Montis Serrati positum; illic sibi ornatum comparat peregrini simul, & palam professi pœnitentis, qualis deinceps videri volebat; pro veste vilem crassa ex cannabe tunicam, pro zona funem, cucurbitulam aquariam, & viatorum baculum. Hac equi ephippio alligata sarcinula, mox vt templum Deiparæ attigit, præuertere omnibus voluit, vt totius ætatis maculas confessione sacra elueret, quod ex scripto fusè

fusè & distinctè peregit. Est Monserratense cœnobium & miraculis clara imago Deiparæ ad quam orbe toto concurritur, in tutela Patrum Benedictinorum, apud quos regulæ seuera custodia sic viget, vt cum eius loci dignitate pulchrè incolarum consentiat sanctitas. In iis tunc erat, cum eò Ignatius peruenit, Ioannes Chanones, natione Gallus, Mirapicensis olim Ecclesiæ Vicarius, qui veneraturus Deiparam cum se aliquando illuc contulisset, religiosis captus Monachorum exemplis, & innocentia, valedixerat sæculo; abdicatáque ab se officij dignitate & facultatibus, monasticam vitam professus fuerat anno ætatis trigesimo altero, inde ad octauum, & octogesimum eodem quo primum ardore in eo Ordine durauit. Valens aut ægrotus, iuuenis aut senex decrepitus carnes attigit nunquam, & ex diurno quotidie dimenso, partem in pauperes tertiam diuisit. Vestitus illi viliſſimus, promissum ad genua sub veste cilicium; noctes, demptis paucis ad quietem horis, precando peruigiles partim cum cæteris in choro, partim in cellulæ secreto. Morbis diuturnis & grauibus viri patientiam excoxit Deus, annis præsertim decrepitis (qui vel vni pro graui morbo sunt) in iis dolores æquissimo semper animo excepit, semper Dei laude, & gratiis rependit: demissione verò sui & obedientia tam sublimi fuit, tótque aliis eminens dotibus, vt ad instaurandam Ordinis disciplinam, multis per Hispaniam, & Lusitaniam domibus exemplar, auctórque fuerit. Hæc è tabulario deprompta Monserratensis cœnobij, breuiter attingere visum est, tum vt nomine sancti mei Patris, testimonij gratiam referrem, quod post memorabo; tum vt teste quali, & quanto dictum, quanti esse ponderis debeat, sciretur. Hîc ergo vir tantus peregrinis sacra pro officio ministrabat, cum in Montem Serratum aduenit Ignatius, quare apud illum vitæ omnis peccata deposuit, tam diligenti quidem exhomologesi, tam acerbo dolore fletúque toties abrupta, vt tres integros dies tenuerit; mentem præterea illi suam manifestauit penitus, & quænam in posterum de vitæ suæ ratione consilia agitaret, in quibus ab eo ita confirmatus, institutúsque est, vt sperare poterat feruidus pœnitens, ab tanta virtute, & regendarum animarum peritia. Confessione ritè iam obita, nouus hominem nouum decebat habitus, ad hoc latendi studio sub noctem mendicum quæsiuit cui vestes donaret pretiosas: quibus ad interulam exutus, pro iis incredibili gaudio, prælibatum sæpiùs osculo saccum sumpsit, fune cinxit, cucurbitula latus ornauit, prehensóque peregrinantium baculo in templum Deiparæ rediit, vbi sacrum in cultum vertit inanitatem fabularum, ex quibus legendo didicerat nobiles armorum tyrocinium posituros, priusquam accingerentur primo ense, consueuisse noctem totam armatos ducere, quæ dicebatur armorum vigilia, sibi quoque hunc morem militaturo iam augustissimæ Virgini eiusque filio seruandum putauit, beatámque illam quæ Annuntiati Verbi festum antecedit noctem, ante aram Deiparæ, stans, vel de genibus precando vigilauit. Primò exinde crepusculo ad veteris templi vicinam altari parastatam, pugionem cum ense pro anathemate appendit; diuinæ mensæ accubuit; equum monasterio dedit; ac ne per celebritatem loci, ac diei deprehenderetur, summo manè discessit. Hæsit

vigiliæ

tamen vigiliæ nobilis apud illos Patres memoria, quam & in exemplum vndique illuc peregrinantium, & Sancti honorem, vnus illorum Abbas marmorea lamina constare posteris voluit, ad latus altaris cum hac epigraphe affixa. *Beatus Ignatius Loiola, hîc multa prece, fletúque, Deo se, Virginique deuouit; hic tanquam armis spiritualibus, sacco se muniens, pernoctauit; hinc ad Societatem Iesu fundandam prodijt anno 1522. Frater Laurentius Nieto Abbas dicauit anno 1603.* Ibat alacer nouus Christi miles, séque illa in veste æquè mundo contemptibili, & mundi contemptrice per otium intuens, miris secum gaudebat lætitiis; cum vix leucam emensus sistitur à ministro Monserratensis fori; qui cursu hominem assecutus, quæsiuit ex eo sollicitè, num vestes eiusmodi, (& eas designabat) mendico donasset, qui cum ei etiam iurato parum crederetur, ex suspicione furti captus tenebatur. Indoluit nuntio vir sanctus, & lacrymas dedit; cumque rei totius ministrum fecisset abundè certiorem; nihil de se præterea, quantumuis interrogationibus lacessitus quis? vnde? cur vestes dedisset? efferre sustinuit; sed ignoti virtutem peregrini dum admirans recedit minister, ingemiscentem Ignatium, puduit quod benè pauperi facere, nisi cum eius infamia, & periculo non liceret. Manresam post hæc eodem itinere appulit.

XI. *Vita asperitas in Nosocomio Manresano.*

Est Manresa domorum ad quingentas vel oppidulum, vel pagus, tribus à Monserrato leucis, notissimæ hoc æuo famæ & reuerentiæ, ob ea quæ retinet S. Ignatij, & exantlatæ ab eo vitæ durissimæ, asperrimæque insignia. Erat tunc temporis hospitalis mendicorum, & ægrotorum domus, quadraginta ferè à pago passibus, pertinénsque ad illam Thomæ Apostoli, & B. Luciæ Virginis ædes sacra, ex qua nosocomio S Luciæ nomen fuit. Huc se Ignatius haud tam hospitij gratiâ recepit, quam vt campum haberet exercendi feruoris heroïci, virtutisque incensæ; contemptu, cruciatúque sui & pretiosis ærumnis saginandæ. Primum igitur ab sese, quicquid poterat corpus non modo delectare, sed vel reficere, abscidit; nocturnæ quietis definitus paucis horis modus; eadem humi, ne molestia careret, subiecto pro cerui cali saxo, vel ad summum ligno; idque perfrigida etiam hieme, corporisque habitu ita fracto & attenuato, vix vt illud miserè traheret; noctis residuum precatio, & flagellatio obtinebat; nam se quotidie interdum quinquies, ter interdum catena ferrea cædebat, & cædendi mensuram dictabat ardor pietatis. Horarum septem erat oratio, eaque de genibus, præter diuina Officia, & sacrum quibus intererat. Ieiunium verò nullis vnquam diebus interpunctum præterquam Dominicis, quibus præter diuinas epuli sacri delicias, pauca oluscula prandij nomine sumebat; verùm, vt posteà Iacobo Lainio narrauit, injecto cinere corrupta, quo omnis eorum elideretur sapor. Diebus cæteris fuit illi cibus frustum secundarij panis, inter illa quæ corrogasset deterrimum; & aquæ scyphus, idque semel in die. Ad asperitatem præduræ cannabis, quam induerat, cuius etiamnum Barcinone segmentum visitur, nihilo quàm cilicia mitius, cilicium aliud subdidit, adiunxitque deinde crassiorem ex ferro catenam qua latera præcinxit; quandoque B. Virginis Viladordiensis sacram ædem petens sesquimilliari Manresa dissitam,

textum

textum propria manu ex aculeatis herbis addebat fasciculum, ad erodendam carnem, configendámque comparatum, qui Viladordij etiamnum honorificè asseruatur. Ad has corporis cruces, interiores aliæ accedebant: motionum seuera perpesque compressio, nihil desideriis, & cogitationibus indulgens quæ carnem, aut sæculum olerent: hac imposita sibi lege, vt quicquid refugeret natura, cupidè huic occurreret; refugeret autem quicquid naturæ blandiretur. In quo ipsi antiquius nihil erat, quàm vt nouas excogitaret artes quibus in contemptum hominum veniret, nullâ re omissâ qua euaderet despicabilior, & pristinos suos gloriæ ambitus, fastumque ingenitum proculcaret. Quod illi per diem, vacuum erat à precando, mortificationi tribuebat. Ægrotis aderat omni ope, vt quisque maximè purulentus, & grauiori nausea auersandus, ita is maximè Ignatio carus. Ministeria verò hoc iucundiora, quò deformiora, magisque vilia. Nec solùm tractandis, ferendisque inter brachia ægrotis, lauandis, purgandis, sternendis eorum lectulis gaudebat, perinde vt qui Christum spectaret in singulis, sed in auctoritatibus publicis id quoque legitur, non semel eum vlceribus labra admouisse, saniemque illorum forti naturæ violentiâ suxisse. Ex nosocomio Manresam intrabat ad corrogandam stipem, colligebatque initio plus dicteriorum & ignominiæ quàm eleemosynæ (quod erat potissimum eius votum): saccum pueri vocitabant, & circumfusi nonnunquam, vt pessimè norant, certatim ludebant. Ac licet haud multo post pretio omnibus, & obseruantiæ fuerit, nunquam tamen defuit, quamdiu illic egit, homo publicè improbissimus. qui modestiam incessus, vestitus horrorem, humilitatem mendicantis; sanctimoniæ laruam garriret esse, & quòties oppidum ingrederetur Ignatius, obuiaret fannis, & deridiculo eorum mimo quæcumque ab Ignatio fierent, donec ad extremum, torquendi vultus, ludibriorum & risuum satur, turpissimis conuitiis oneraret; iteraturus eandem fabulam die proximè insequenti. Fuit hoc longum & arduum mansueti, patientisque animi examen, quo naturâ ardentem, & recèns militiâ defunctum, per illam hominis bestiam, certabant dæmones indignatione commouere. Sed huius in Ignatio sensus non sopitus modo, sed erat omnino emortuus, & vindictæ omnis cogitationes, sensumque indignationis, cum armis vnâ, Beatæ Virgini, Monserrati constanter appenderat. Arcto illo quem legerat pane, pro quo salutaria referre monita erogantibus consuerat, alios recreabat in nosocomio pauperes, frusto sibi quod esset vilissimum seruato. Verum enimverò tam inuisa dæmonibus fuit familiaritas, qua miseros illos pannosos, & graueolentes adhibebat, industriaque traducendi sui & mendicitatis illorum rusticæ, exprimendæ, ne alius genere crederetur, ab eo quem vltrò præferebat, vt tantam virtutem non ferentes, impressione valida aggressi sint illum euertere. Nam audire sibi objurgantem se animum videbatur; Hanc sui denique tam propudiosam despicientiam fas omne prætergredi, hac indignari Deum, cui cum nobilis Sancti, vellet in eo exemplum edere, placere non poterat in vile mendicabulnm exisse. Quantò glorioſiùs ipsi fore, & virtutis quantò

firmioris, sanctitatem colere in aulæ luce, quàm in sordibus mendicorum? daturum illic de se nobilitati quod imitaretur, non jocos, risumque pueris? Plur isne apud illum essent contemptus sui, quàm diuinæ gloriæ animarumque rationes? quàm multæ eatenus peribant, quas suo exemplo seruasset? Parem illi vel vnum abundè esse ad restituendam ciuitatis integræ probitatem, & hoc fuisse Dei consilium ac mentem, cùm ipsi præluceret, facemque subderet ad conuersionem, non autem vt creditum, obscuro domus hospitalis, talentum conderet; multò verò minus vt tristi specie & inamabili, sanctitatem omnibus faceret exosam. Ad hæc, si suum prodigus libebat profundere, qua lege profunderet alienum? Si parum placebant honores, procul absisteret, abderetque in tenebras sese; verum generis nomen decúsque attenderet, tanto partum maiorum sudore, ac sanguine, quod perditum ibat indignis modis, nec illud insanæ plebeculæ ludibriis, & contumeliæ tota vrbe spectante, inter mendicos objcere pergeret. Ad ista quiddam nauseæ tristioris, natura rediens viro sancto afflauit, & illas pauperum, & jacentium in lectis deformes vitas, & olentes pannos, & morem insulsum & agrestem primùm abhorruit; quod tamen vt animaduertit, vtrumque mox hostem eodem impetu inuadit, impugnantem se dæmonem, & naturam callidè prodentem. Nullo ergo quæ suggerebantur responso dignatus, ad suos illos cursu redit, & in oculis omnium, fœdiorem quemque, & horridiorem amplexu stringit, hærétque tam diu, dum auersantis animi renisus, & refugientis naturæ sensus planè vanesceret.

XII. *Mira in spelunca corporis afflictationes.*

Fuere Ignatij ex nosocomio, meritorum, & virtutis hæc lucra. Sed cum hoc etiam sentiret impedimento esse, quò minùs Deo arctiùs jungeretur, & ad vexationes corporis, in quas animo rapiebatur, liber esset, quærere aliquem in vicino secessum instituit, vbi vno spectante, & arbitro Deo, desiderium expleret. Quærenti facilè occurrit passu ferè sexcentesimo, Manresa distans, instituto valdè idoneus; spelunca fuit ad infimum collem, viua in rupe excauata, tenebricosa, nec multùm sepulchro dissimilis, loco tamen peramœno sita, & angusta in valle, cui apud incolas, Paradisi valli, amœnitas fecit. Calamis inde octoginta Cardanerus riuus limpidissimis aquis fluit; è regione est via regia: hanc inter, & specum è saxo crux visitur è tribus vna, ad quas Sancto mos fuit pias obire stationes; palmos habet in longum spelunca, duos & triginta, lata decem; alta, qua fornix multùm attollitur similiter decem; depressior verò provt interius magis in illam receditur. Qua parte Monserratum spectat, fenestella patet, ex scissura rupis commodè captata, ex qua prospici templum potest, & Virgo parens adorari. Cæterùm vndique nigra, & tenebris horrida, & incomposita, & prominentibus sursum, hinc inde ex caute cuspidibus aspera. Pauci hanc norant; adibat nemo, & hoc Ignatio opportunior visa. Aperto igitur in illam per objecta spineta, & condensa dumorum, angusto aditu, suam fecit. Illic alta loci silentia, solitudinem, tenebras, horrorem, totidem ratus ad pœnitentiam hortamenta, descriptarum sibi afflictationum laxare spatia, continuare noctes

noctes vigilijs; cibo triduum, & quatriduum abstinere; catenâ corpus ad sanguinem cædere; geniculationi ad septenas horas, alias addere; pectus quoque, vt olim Hieronymus, silice tundere (quod compertum est ab nonnullis, qui exploraturi quid rerum ageret, clam ad cauernam irrepserant) præter ærumnas cilicij, catenæ cinctum, hiberna patente in specu, & cannabina in veste frigora. Per hæc ita sensim viribus defecit, vt par miraculo videretur quod viueret: torquebant stomachum cruciatus perpetui; linquebatur animo sæpiùs, & inopinatò: destitutus haud rarò calore, ac sensibus pro mortuo deprehendebatur. Singulare fuit hac in re quod ei accidit Viladordium profecto, ad venerandam augustæ Matris effigiem: mortuo similis per dies aliquot, sine pulsu, flatuque jacuit, ex quo adeò fractus, & debilis redijt, vt in horas mori crederetur: refouenduſque properè cibo fuerit, quem piæ ad illum matronæ attulerunt, & suffultis in nosocomium brachijs reducendus. Hinc verò dæmoni altera tentandi, exterrendique ansa; quærendo, ecquid tantum haberet animorum quantum sat esset ad annos quinquaginta, in ea vitæ duritie traducendos, qua corpusculum infœlix, lethali dolore pænè semper discruciabatur: at ex eo insultu mendacij artifex nihil præter ludibrium retulit, interrogatus vicissim vnde illi tantum suppeteret rei, vt fide jubere, vitæ punctum valeret, cuius tam largiter annos spondebat quinquaginta? Interea tamen accisarum virium vsque eò imbecillitas processit, vt febri superueniente, ad extrema Ignatius vergeret. Quo morbi periculo, vnum expertus est, dignum in quod aduertat animus, & quod à me libenter enarretur, vt intelligamus quicum nobis pugna, & quantulis nostris, nitamur viribus, cùm possit etiam ipsa virtus Deo parum solidè inhærentem, in ruinam agere. Iacebat Ignatius in extremis, & salutem illius desperauerant medici, cùm ecce tibi, superbæ vanitatis impressione vehementi pulsatur. Mori certè alacrem debere, cùm moreretur sanctus: nam esse verum Sanctum, qui tantum rei in virtutis negotio fecisset, tantum meritorum haberet repositum. Hîc crassa & stupea cannabis, hîc cilicium, catenæ, ceruical saxeum, & spelunca, & numeratò dies, ieiunijs conditi, vigilatæ noctes, cruentata sanguine flagella, solùm lacrymis madens, obtrahant morientibus oculis: quæ licet auersaretur vehementer, & erubesceret tot sibi ac tantorum reo, posse menti visa hæc objici tam arrogantis jactantiæ, infigebantur nihilominus animo reluctanti, & discussa iterum concrescebant, adeò molesta importunitate vt esset ijs Ignatio & morbus, & vicina mors tolerabilior. Quare repetita vitæ præteritæ serie, quæcumque peccarat reducere grauiora quæque, & maioris verecundiæ præcipuè pendere; inferorum pœnas quibus toties fuisset obnoxius intueri. Tum ex se quærere, num possent quæ paucis mensibus egerat, cum ijs composita quibus Deum tot annos offenderat, lances justo pondere æquare? His & eiusmodi exardescebat in odium sui, & abjectionem coram Deo, à quo misericordem veniam multis cum lacrymis; non meriti præmium poscebat. Vitij denique, sed ex difficili, tam periculosi

meriti præmium poscebat. Vicit denique, sed ex difficili, tam periculosi temporis conflictu adeò redijt consternatus, vt adstantibus sibi necessarijs supplicarit, si quid præterea simile incidisset, occinere sibi magnis vocibus pergerent,& exprobare:Ignati peccator,recense in animo,quantorum scelerum, quot pœnas quantasque debeas. Caue tibi quicquam mercedis æternæ arroges; inferos cogita, & pudeat potiùs te toties illos esse commeritum.

XIII. Vt dura & multiplex Manresæ fuerit Ignatij periclitatio, nulla tamen capitalior scrupulis, nulla molestior. Sic Deo placitum, ijs vt ab dæmone vexaretur, opplente viri Dei mentem, subruentéque dubitationibus infinitis de confessione obita Monserrati, etsi nihil in ea absolutissimæ diligentiæ, nihil ad sensum doloris omisisset. In ijs etiam quæcumque agenda inciderent, graue aliquod scelus verebatur; ad hæc liquidæ illæ interioris hominis voluptates aruerant, mente perplexis jactationibus perturbata, nec iam idonea diuinis haustibus quos olim serena de cœlo traxerat; angebatur quin imo tunc grauiùs, cum ad diuinorum cogitationem animum applicaret: & hæc illi diurna nocturnaque occupatio, secum litigare, rixari, perplexari; in hoc, & illo, an ab se aliquid peccaretur,aut esset peccatum; & de pridem commissis, num quid resideret confessione expiandum. Vbi quantò satagebat magis vt extricaret sese, tãtò inuoluebat, implicabatque molestiùs. Restabat vna afflictissimo spes, qua se verbo vno persanandum putabat: si, quem habebat animæ ductorem, præterita omnia juberet obliuione sepelire, nec esse de ijs magis sollicitum quàm si pridiè natus esset. Verùm neque id vnquam Confessario succurrit vt juberet, nec scrupuloso pœnitenti, vt de eo illum consuleret. Ac vetabatur quidem aurem scrupulis dare; sed quid foret ab ipso scrupuli damnandum, hoc verò scrupulorum nouam materiam præbebat. Præterquàm quod, ita malè affectis, etiam quilibet leuissimus scrupulus, pro re saltem dubia habetur. Ita nihil se votis supplicibus, nihil assiduitate lacrymarum juuari sentiens, auersum ab se cogitabat Deum, & (quod solet ex ijs angustiis confici) velle se Deum æternùm perdere. Cuiusmodi sit hoc tormenti genus, nisi expertus, intelliget nemo. Cilicia, verbera, catenæ, ieiunia, nuditas,& quantum pœnarum est quod sponte suscipitur, vt corpus macerat vexando, sic jucundè animum solatur. Sed, hinc Deum quidem ardenter amare, velle fidem illi castam, inflexamque seruare; & anhelare ad fruendum illum votis ingentibus; hinc autem sibi perpetuo suspectum offensi numinis viuere; imo habere veluti persuasum te Deo ac tua non placere, contemni; odio esse verba omnia apud illum tua, conjectum quemlibet oculorum, criminis esse alicuius rea. Hæc verò carnificina est, quæ nec maiorem inueniat nec parem; & cuius vna tantùm hora perlibenter multorum dierum pijs cruciatibus commutetur. Hac sua dæmones tam dira infestatione, tanquam telo vulnus multiplex vibrabant. Id enim primum ab ijs agebatur vt confusione anxiarum cogitationum sanctam eius quietem sus déque verterent; deinde rigidioris quam susceperat vitæ cursum, ipsi propterea repræsentarent exe-

crandum,

crandum, quod pluribus animi quam corporis supplicijs horreret, ac pro spe salutis in tuto ponendæ, hominem duceret in æternum discrimen: ad hæc vt tranquillâ Dei fiduciâ, & tenero in illum filij amore exuerent, quem experiuntur qui liberalem Deo seruitutem nauant; sed hoc mouebant potissimùm damnati spiritus, vt tyronem vrgerent in vltimam desperationem, qua interiori lanienæ tam crudeli, ferédæ vitam iam imparem per se abrumperet; adeò vt omnia afflictissimus Ignatij animus sursum deorsum auara cernebat cuiusuis solatij, quo prohiberetur interire. Patres quidem S. Dominici Manresæ acerbum dolorem miserati, cœnobio illum exceperunt, sed loco sperati leuaminis, tam sæuo illic mœrore correptus est, vt versus cellulæ feneſtram protrudi se quodammodo violenter ad præcipitium sentiret. Totus ibat in lacrymas, & rugitus, & clamores in cœlum (vt postmodum retulit) ad Deum vociferans, inde vt aliquid sibi opis adesset, quam frustra ab hominibus expectaret. Hic illi cum fortè redijsset quod olim legerat virum quendam sanctum, vbi quod diu incensis precibus quæsierat, minimè impetrasset, decreuisse tamdiu cibo abstinere, donec id à Deo exorasset, si minùs meritis annuente, afflicti saltem miserente. Visa Ignatio pia vis Deo adhibenda, nam etsi extremum remedij id erat, sed supremis adhibebatur malis. Nec dubitauit, mite pectus amantissimi patris, labore infelicissimi filij, tactum iri, nec passurum diu languere prostratum, sed piè indulturum, quod preces, & lacrymæ emereri jure non poterant. Ergo inediam sabbato inchoatam in sequens sabbatum producit, ne panis quidem micâ, vel aquæ stillâ per octiduum admisâ, quod in exangui, & exhausto perpessionibus homine, nihilque propterea de vsitatis vexationibus remittente, videri possit instar miraculi. Et progressurus erat vltra has etiam ieiunij metas, nisi Confessarius rem edoctus, pergere vetuisset, eóque ipso die jussisset de more refici. Tam insolens ratio diuinæ expugnandæ bonitatis, haud scio an confidentiùs vsurpata, an obedientiùs omissa, primam Ignatio quietem, & conscientiæ serenum reduxit; iámque se victorem gaudebat, cum lapso vix biduo, improuisa denuo scrupulorum, diffidentiæ, tristitiæ, desperationis tanta est simul coorta tempestas, vt nec ipsis damnatorum pœnis mitior videretur. Fuit quippe nobiscum erudiendus de re grauissima, & Dei famulis perneceſsaria; non esse nobis Dei voluntatem vi, & machinis impetendam, quasi aut non videat laborantes, aut surdam aurem nostris vocibus præbeat, aut sit denique ita durus, vt nisi desperatis nostris & lethalibus casibus ad ferendam opem non emolliatur. Prima sit nobis & vltima volendi regula, quod Deus voluerit. Egere aut affluere cœlestibus gaudijs; nubilam, aut serenam; placidam, aut tentamentis exercitam duci à nobis vitam Deo placuerit, promiscuè nobis accipiendum est, si extra Deum nihil quærimus. Ad hoc sanè prosint intimi cruciatus vt nostram Dei fiduciam accendant, dum quod illi gratissimum fuerit ex eo poscimus, liberationem, aut tolerantiam: At ne extra fines diuini arbitrij vel transuerso vngue nos impellant. Cœterùm breui secundus hic turbo posuit,

nempe admonendo potiùs quàm plectendo Ignatio immissus. Suum enim menti tranquillum cœlum, clarumque rediit, sua alacritas, etiam priore vberior; is enim Deo mos fœneratò refundere, quod in experimentum subduxerat. Præter hæc Deus in hoc discipulo magistrum effingens animorum, primam illi rerum magistram dedit experientiam, quarum disciplinam aliis erat traditurus. Ex iis profectò tam diuersis, & oppositis animæ vicibus, irriguæ & arentis; anxiæ & securæ, tristis & hilaris, tam peritus euasit alternantium motuum, quibus diuina bonitas suos agit, vt cùm instituendi essent de iis alij, non aliundè exemplum ducere quàm ex se ipso oporteret. Quod quidem feciſſe sua quadam epistola videtur documentis referta sapientissimis, quibus Monialem Barcinone agentem Venetiis scribens, sic inter alia consolatur. [Duplici nos via instituit Deus, imò alterâ quidem ipse per sese, alterâ instrui per alium sinit. Constat illa interiore sensu miræ voluptatis; quæ vbi se cordi affuderit, omnem ex eo tumultum abigit, & Dei amore pleniùs occupatum, in Deum totum rapit. Splendor verò quem secum inuehit, mentem corroborat ad pernoscenda quæ detegit arcana complura, & qua tuto, qua periculosè virtutis itinera capessantur. Iam eiusmodi est quem incendit ardor, nihil vt occurrat tam laborioſum, quod non vertat consolationi; nullus sudor adeò molestus, quin pro quiete sit: nullum pondus graue, nullæ non suaues pœnitentium ærumnæ. At enim hæc mentis solatia non habent fixam in nobis sedem, temporaria sunt, tenéntque sibi diuino arbitratu descriptas periodos, cuius nutu eunt, & redeunt, nostro tamen vtrimque compendio. Abscedenti porrò diuinæ consolationi, quasi aditu laxato, suos dæmon inducit atræ bilis affectus satellites, & tristitiam omni leuaminis defectam luce, modisque nos agitat diuino mori planè contrariis; hoc ardens scilicet vt boni studium in nobis extinguat, & diuini obsequij desiderio nos auellat. Mœrore itaque profundo nos opprimit, cuius haud rarò nec ipsi qui mœremus, causam deprehendere sat scimus: precatio sicca, & sterilis: contemplationi nullus sapor: de Deo loqui, & audire, tædio plena, & odiosa res. Accedunt præterea de nobis ipsis adeò turbulentæ cogitationum imagines, vt vnum iam lubeat illacrymari nobis, & ingemiscere, velut prorsus à Deo extorribus, destitutis, penitusque abscissis; nihil ipsi eorum quæcumque egimus, probari; quæ acturi sumus in posterum, nulli bono fore. Hinc deserentis seipsum animi abjectæ vires, hinc diffidentia, & desperatio, & culpæ cuiuslibet criminosa & imaginosa taxatio; cuiusvis autem molestiæ animum prægrauantis fixa opinio, tanquam nullâ sit curatione sanabilis. Ad extremum tamen neque ista interuallis suis caret vexatio; quare alteri opem, ab altera nos accersere oportet; vt læti, modestè cogitemus quàm subitò mœror in alios nos mutet; mœsti vice versa erigamur, redituræ spe consolationis, & caliginosæ tristitiæ, ad primos illius radios, reducta luce, dissipandæ:] huc vsque Ignatij literæ. Ex iis autem quæ in se ipsemet expertus compererat, tam peritum in cernendis, curandisque scrupulorum morbis, magisterium

est

est adeptus, & in sedandis conscientiæ iactationibus, tam certam manum & habilem, vt quem is postea non sanasset, nullâ arte sanandus crederetur, Scripsit etiam generatim aliquot de iis regulas, quarum solida, & arcana doctrina, potest pio lectori magno vsui esse. Sunt autem quæ sequuntur.

Primum, vulgò scrupulum appellant, quando ex proprio liberi arbitrij motu & iudicio, aliquid concludimus peccatum esse, cùm peccatum non sit, veluti si quis animaduertens se crucem, ex paleis humi figuratam, in transitu calcasse, crimini sibi vertat. Hoc autem non scrupulus propriè, sed iudicium potiùs erroneum vocari debet.

Secundum, scrupulus propriè dicendus est, quoties post calcatam crucem eiusmodi, vel post cogitationem, loquelam, aut operationem aliquam, oboritur nobis extrinsecus, peccati admissi suspicio. Et quamuis altera ex parte veniat in mentem, nos minimè peccasse; ambiguitatem tamen quandam, atque animi perturbationem sentimus, à Dæmone videlicet obtrusam.

Tertium, prior scrupuli species, impropriè sic dicti, prorsus abhorrenda est vt erroris plena. Posterior verò, per tempus aliquod (dum præsertim recens est vitæ melioris institutio) animam rebus spiritualibus vacantem, non parum iuuat, cùm eam mirum in modum purget, atque ab omni peccati specimine abducat, iuxta illud Diui Gregorij: *Bonarum mentium est, ibi culpam agnoscere, vbi culpa non est.*

Quartum, callidè obseruare solet inimicus, qualisnam sit animæ cuiusuis conscientia, crassiórne, an delicatior. Et si quam inuenit delicatam, multo quoque delicatiorem efficere nititur, & in extremum quendam redigere anxietatis gradum, vt sic miserè turbatam, à profectu spirituali tandem deiiciat. Putà, si animam nouerit, quæ peccato nulli consentiat, mortali, siue veniali, imò ne vmbram quidem (vt sic dicamus) voluntarij peccati sustinere queat; tunc, quoniam non potest veram peccati rationem illi obijcere, eò satagit adducere, vt peccatum sibi esse credat, quod reuera non est, cuiusmodi est, de verbo aliquo, vel cogitatiuncula repentina. Crassam è diuerso animam, seu conscientiam, reddere crassiorem studet, vt, quæ negligebat priùs venialia peccata, mortalia quoque nunc parum curet, ac in dies minùs respiciat.

Quintum, vt anima progredi valeat in via spirituali, ad illius partis oppositum tendat necesse est, in quam inimicus tentat pertrahere: vt, si laxiorem iste conscientiam facere adnititur, faciat illa strictiorem: aut relaxet contra, si dæmon nimium velit restringere. Sic enim continget, vitatis extremæ vtriusque partis periculis, animam ipsam in medio quodam quieto, & securo statu jugiter manere.

Sexta, quotiescumque homini, dicere, aut agere aliquid volenti, quod ab Ecclesiæ vsu, vel maiorum nostrorum sensu non dissonat, quódque tendit in Dei gloriam, obuiat extrinsecus suggestio dissuadens, ne dicat, aut agat illud propositum, adducta vel vanæ gloriæ, vel mali alterius cuiusvis fucatâ quadam ratione. Tunc ad Deum eleuanda mens est: sique

appareat,

appareat, ad eius gloriam spectare dictum, aut factum eiusmodi, vel certè contrarium non esse, tendendum recta erit aduersus talem cogitationem, atque obstrepenti nobis inimico respondendum cum diuo Bernardo : *Nec propter te cœpi, nec propter te finiam.*

XIV. *Dona singularia Manresæ cœlitùs in Ignatium collata.*

Verum fuit mensura donorum quæ Manresæ Deus in Ignatium congessit haud paulò exaggeratior, quàm ærumnarum ; licet ingentium, quibus eius patientiam ad purum excoxit. In quibus dignum est admiratione, pulchrum quoddam amoris, Dominum inter seruumque certamen. Nam etsi norat Ignatius, vitæ in sæculo transactæ debere se Deo multas pœnas ; eò tamen (quod seni dicere excidit) spectauit nunquam, dum Manresæ fuit, vt quæ tulit, ac fecit imputarentur suis rationibus exæquandis, ac ne lacrymulam quidem misit animo satisfaciendi. Tendebat altiùs, & nobiliore commercio id spirabat vnum vt Deo placeret, honorémque deferret, totumque se illi, agendo, tolerando, ad maiorem ipsius gloriam, holocaustum sacraret. Ex oppositio Deus Ignatium visus non est attendere veluti hominem è luto sæculi emersum, multisque nominibus obstrictum ; sed manu tam larga suis eum bonis cumulare, vt quo familiares suos, & intimos, post diuturni famulatus egregia merita ; eò Ignatium statim à principio efferret, vt mox consequenter videbimus. Imprimis itaque cœlestium luminum tantam illi copiam profudit, & mentis aciem in prospectum rerum diuinarum eò vsque prouexit, vt potuerit Lainio suo, asserere plura se vna hora Manresæ orando cognouisse, quam quicquid doctorum est sibi tradere potuissent. Quod eum omninò nescisse oportuit, qui postremis his annis inter argumenta, quibus Exercitia spiritualia abiudicabat ab auctore Ignatio ; non esse id opus ascetæ nouitij notauit. Quasi diuinæ scientiæ schola, suorum profectus metiretur, ex diuturnitate potiùs discendi quàm ex docentis voluntate : hoc profecto si foret, haudquaquam toties senibus, in ea præuerterent iuuenes ; nec biduo ante sæculo egressi, plurimis anteirent qui pridem eodem in puluere, sed non iisdem præsidijs canitiem miserunt. Docente Deo, breui omnia discuntur, & subitum lumen rupta de nube momento fulgurans tam multa detegit, vt multorum annorum meditationi sufficiant. Sunt ista fateor priuatæ legis beneficia, non tamen idcircò Deo figenda lex ; qua nonnullis ea indulgeat, alios prorsus ab iis arceat. Visis deinde cœlestium dignatus est sæpiùs Ignatium Deus. Die quadam orans in gradibus quibus in templum S. Dominici ascenditur, vidit nitida in luce aspectus intimi totam ordinatim orbis conditi rationem, & maximè abdita potentiæ, ac sapientiæ creantis arcana introspexit. Sed longè sublimiùs aliàs eodem in templo cum supplicantibus procedens subuectus est, nam alienata ab sensibus mente, & in Deum translata, vidit inexplicabili formarum specie (quas quidem fas est à mortali cognosci) adorabile secretum Augustissimæ Trinitatis, ex quo tantùm illi teneritatis animo inhæsit, vt in eius spectaculi suauissima recordatione multos dies flendo transigeret, diuque nullus ipsi de re alia sermo suppeteret. Quamuis autem

autem de hoc mysterio siletur faciliùs quàm agatur, voces nihilominus exprimendis quæ mente conceperat, tam aptæ in promptu aderant, & iis illustrandis tam accommodata similia, vt hoc saltem constaret, aliunde illi dictari sententias, & verba, quam ab studio speculationis: Et affluebat disserenti tam copiosè quod diceret, vt homo tunc literarum expers, folijs constantem octoginta de eo argumento, librum conscripserit. Neque verò nunc tantùm beatissima Trias dignata est seruo suo adspectabilis fieri; deuexa ætate, fuit hæc illi sanè frequens objecta species, cuius suo loco figuras referens, verba ipsa ponam quibus illam sibi adnotarat. Vidit præterea in diuinissimo Sacramento infantem Iesum: quo eodem momento, cœlesti radio afflatus, modum perspicuè cognouit, quo Christus in Eucharistia sub sacris Symbolis lateret. Et hæc quidem illi seorsùm singula monstrabat Deus; verùm alia simul quamplurima puncto temporis ostendit, cùm sedentem in ripa præterfluentis Specum Cardeneri, in profundum quoddam diuinorum conjecit, multaque illi tunc de ijs obiter indicauit, explicuit verò alibi enucleatiùs ad crucem oranti, Torti vulgò dictam, quæ Barcinonem euntibus objcitur: de qua opportunè illustre miraculum narrabo. Denique fidei arcana, tam claro, certoque in lumine manifestæ intelligentiæ perspexit, vt non dubitanter affirmaret, etiam sacris pereuntibus Literis, nihil sibi perituru, vitamque nihilo cunctantius pro ea posituru. Tot inter eiusmodi Manresani secessus eximia, vnum est quod iure dicatur singulare, illa nempè ab sese mentis abreptio quæ toto octiduo ita Deo immersum, fixumque tenuit, vt vacante ab omni officio corporis anima, iaceret pro mortuo, sepeliendus omninò, nisi tenui cordis palpitatione vitæ indicium dedisset. Contigit tam admiranda res ad S. Luciæ in nosocomij peranguſto conclaui, ab se ideò optato quod exigua fenestra in templum pateret, vnde infirmi Sacro intererant. Cœpit hæc ab sensu alienatio, sub serum diei Sabbati, dum vespertini pensum Officij, solitis cantibus compleretur; processitque in eandem horam Sabbati subsequentis, absque vllo sensuum destitutorum vsu: vbi interea temporis ab sese tam procul degeret, quibus visis tot dies pasceretur, quasve hauriret delicias, despicientissimus sui, Dei seruus, constanti semper silentio pressit, Tantùm ad se, vt primùm redijt, velut è placidissimo euigilans somno, sublatis in cœlum oculis, Ah Iesu! iterauit, proferendi modo haud paulo pluta significans, quàm paucæ syllabæ sonarent. Fuit præcipuorum Societatis Patrum existimatio, qui vixere cum illo familiariùs, & suis de rebus Manresanis loquentem audiere: fuisse iam tum manifestatum illi diuinitùs, quam in operis partem, ad præsidium Ecclesiæ legeretur; traditasque illius Ordinis, cuius designabatur Auctor, principes lineas, ex quibus aptanda essent vniuersa: cuius rei fidem id potest facere quod ei solenne fuit respondere, cum rogatus causam nonnullorum Societatis summam spectantium, dum eius scriberet Constitutiones; ijs se nimirum aiebat insistere quæ olim Manresæ didicisset. Quamquam autem in quotidiana horarum septem precationis schola, magistro

Deo, peculiaribus illius monitis, tam sublimia doceretur, vt posset quèmuis eorum peritum, in iis habere discipulum; se tamen adeò pro nouitio gerebat, vt totum animum accuratissimè iis explicaret quorum in curam se dederat, eorum monita audiret, obseruaretque diligenter. Horum præcipuus Monserratensis monachus Ioannes Chanones: adibat Ignatius statis temporibus sanctum senem primum animæ suæ patrem, apud quem initio retexuerat omnem vitam; & sui distinctam rationem ex quo illum non viderat, minutatim reddebat: ac licet cum Ignatio vir sanctus, quas decebat partes, magistri ageret, & ductoris; interiore tamen iudicio pro sancto reuerebatur Ignatium, nec aliter de illo quàm de absolutæ virtutis homine loquebatur, & ex ore illius auditum, antiquos eiusdem Cœnobij Monachos referre accepimus, fore Ignatium insignem Ecclesiæ columnam, orbis Apostolum, Paulúmque alterum in Euangelio, barbaros inter & idololatras spargendo. Fuit tamen hæc in illum adeò cumulata cœli benignitas, & partæ Manresæ virtutis gloria, vitæ insequentis rudiaria delineatio, si crescentis in posterum spiritus, quæstuosi progressus attendantur. Vnde ille Manresam, primitiuam suam vocabat Ecclesiam, vbi primùm vitæ cœlestis alumnus, pietatis vestigiis humum signauerat.

XV. *Magna Ignatij existimatio.*

Exin locis circum proximis vulgari, alium esse ab eo Ignatio, quem panni viles falsò exhiberent; latere illum sub stupea cannabe, & velle nesciri, vno abiiciendi sui, afflictandique desiderio, ex nobili in mendicum, & ex milite in heremitam defecisse: quare hominis mores curiosiùs seruare, eúsque singula studiosè rimari. Premi ergo diutiùs non valuit, modum supergressa vitæ asperitas, & singularis pars etiam aliqua fauoris quo dignabatur illum Deus: de illo quidem magnificè loquebatur mulier opinione sanctitatis tùm illic notissima, tùm reliqua Hispania, ipsaque in aula quo illam Rex Catholicus euocarat, de rebus animæ cum ea acturus. Præter hanc magnæ virtutis matrona, Agnes Pascalis, primo Ignatij Manresæ occursu, reuerentia quadam, & obsequij studio erga illum, affici se intimè persensit; quare illi obsequium in nosocomio, dein suæ cuiusdam familiaris in domo curauit: vt verò quæ Ignatij erant accuratiùs pernorat, & certiùs; ita de illo mira referebat. Ex quo fama illius vsque adeò creuit, vt ex scrupulorum quem dixi angore in phthisin vergens, cùm esset è S Dominici transferendus in domum cuiusdam Amigantis illic prædiuitis, exinde Simeon cognominatus sit; velut expressum in Ignatio Christum excepisset; vxor verò ipsius Martha, quod ille hospitium, hæc mensam Christo præbuisset. Inter illos verò, qui discedentem Manresa Ignatium assectari aiebant, fuit qui eius consuetudinem, & quos inde carpebat fructus, facultatum suarum anteponeret curæ: quare nolens ab eo seiungi, & patriam, & litem magni ponderis omisit, flocci ducens quæ ex litis euentu incommodatura timebantur, quæ sanè nec leuia nec paucorum annorum fuerunt. Exeuntem interdum precandi gratia ad lapideas cruces tribus extra Manresam locis, aliasque circum peregrinorum stationes, ponè plurimi sequebantur;

sed

sed confertim tunc, magnoque affluxu cum de rebus diuinis esser verba facturus; quod solitus erat ex editiore saxo, & hoc hodieque visitur ante S.Luciæ nosocomium vetus. Nec multis opus erat, ad pungendum acri detestatione scelerum auditorem, ipsa dicentis species sat erat. Vestitus asper, isque vilissimus; capilli quantum olim crispati, tantum nunc inculti & sordidi; squalor oris exesi, catenatum latus, pedes nudi, præterquam initio cum intumescens quot noctibus pes dexter, fuit sparteo calceo inuoluendus. Haud paulo tamen verborum vis maior, quæ ignito ex corde vibrata, ipsa ignea ignem audientibus subdebant. Accedebat multorum non expectata conuersio, quos priuata eius colloquia, & prima quædam salutis principia, ipsorum tradita meditationi, ad maiorem perductos Dei æternorumque notitiam relicto sæculo, Religiosis ordinibus manciparant. Et hanc primùm expertus ad reuellendos ab terrenis, Deoque reddendos homines, vim admiràbilem, solidorum quorundam, veritatis æternæ dictatorum, quam & senserat ipse maximè validam; conferre illa decreuit in methodum, & interioris vitæ disciplinam, quod aureo illo Exercitiorum Spiritualium libello perfecit; superiore instinctu sanè superioris intelligentiæ concepto; scripto verò ad lumen diuini vultus, & mox in vsus fructúsque publicos collato; eo bonorum ingentium prouentu quem per primos Ignatij filios diues illa vena in Ecclesiam fudit vniuersam; subministrato iis generoso illo, ad magna & ardua robore, quæ in salutem mouebant animarum. Et haustura est ex eodem fonte animam & vires, dum qualis nata est, talis spirabit Societas, nec alio egebit, poteritve iuuari præsidio ad reficiendos spiritus, si quando à primigenio vigore languerit. Verùm cuiusmodi sint, & quanti Exercitia hæc, cùm futura sit eorum in huius operis decursu sæpiùs mentio, videtur paulò accuratiùs explicandum.

XVI. *Quid sint, quo fine, & ordine condita S. Ignatij Exercitia.*

Non sunt Exercitia Spiritualia S.Ignatij, summa quædam piarum meditationum, commodè in librum digesta breuissimum, ex quo artem secum vtiliter, religiosè cum Deo agendi, lectores ediscant; id enim si forent, præterea nihil; nec S.Ignatij Exercitia dicerentur, nec prærogatiua gauderent nouitatis, cùm neque is primum hoc nomen excogitauerit, nec formam meditandi. Id ille, nec frustrà, spectauit, vt curationem animæ in artem redigeret, quibusdam fidei principiis methodum imponens certis legibus adstrictam, quæ viis ad finem idoneis progressa, nunquam non optato exitu clauderetur. Quæ sancti viri mens, si rectè attenditur, tantum distabit ab simplici meditandi occupatione, quantum herbarum, & mineralium discretio, varié sque in succos expressio, ab arte integra medicinæ, quæ probè perspectis tum humani corporis elementis, tum pharmacorum viribus ad intemperiem corporum corrigendam, & restituendam mediocritati; ex iis corpus juris medici componit, certis aptum, ac tutis legibus sanitatis. Fuit sanè ante Ignatium, finis cognitio in quem Deus hominem condidit; inferorum pœnas, peccati grauitatem, conscientiæ examen, & confessiones generales ignorauit nemo, vt Christi mysteria, & vitam, &

reliqua ; verùm artem vnam, quæ & explorata penitus ægritudine animæ, perturbatione affectuum laborantis ; & comperta vi cuiusque meditationis ad componendos illos efficacis, modóque illius admouendæ, disciplinam ex iis plenam conficeret suis regulis definitam ; quibus purgata, corroborataque, & confirmata mens, à primo spreti sæculi rudimento, perduceretur ad constantem Dei perfectúmque amorem, hanc profecto artem ante Ignatium tradiderat nemo : cuius rei fides vt fiat clarior, pono hic summatim vniuersam Exercitiorum S.Ignatij rationem. Meditationem primo loco præscribit quam ob sui præ cæteris momentum, Fundamenti nomine appellat, estque huiusmodi. Cum in eum finem vniuersa ferantur in quem à Deo sunt condita, ministerium scilicet hominis, & commoditatem ; nobis quoque inquirendum esse, cur simus à Deo in hanc lucem educti : ad diuitias congerendas : nihilque præstantius & maius ? Cúmque liquidò sterit, nihil tale à Deo nobis propositum : verum vt, vsu rerum ad vitam conditarum, famularemur Deo dum viuimus, post verò æternùm Deo frueremur ; ex quo necessariò conficitur, rebus his infimis parandis vtendisve non plus tribuendum quàm ad illum conferat supremum finem, in quem à Deo illas accepimus ; conficitur item paupertatis & diuitiarum ; honoris, & ignominiæ ; valetudinis, & morborum, cæterorúmque pretium non esse nobis ex eo æstimandum, quo vitæ huic fragili vel obsunt vel commodant, sed quo illi æternæ atque immortali. Lubet concepta ipsius Sancti verba hic reddere, vt expendantur ab omnibus quorum in manus hæc historia venerit, feratúrque de illorum incredibili virtute iudicium ad permouendas hominum voluntates, quamuis leui oculo percurrantur. Sic enim is loquitur : Creatus est homo ad hunc finem, vt Dominum Deum suum laudet, ac reuereatur, eique seruiens, tandem saluus fiat ; reliqua verò supra terram sita, creata sunt hominis ipsius causa, vt eum ad finem creationis suæ prosequendum iuuent : vnde sequitur vtendum illis, vel abstinendum eatenus esse, quatenus ad prosecutionem finis vel conferunt, vel obsunt. Quapropter debemus absque differentia nos habere circa res creatas omnes (provt libertati arbitrij nostri subjectæ sunt & non prohibitæ) : ita, vt (quod in nobis est) non quæramus sanitatem magis, quàm ægritudinem : neque diuitias paupertati, honorem contemptui, vitam longam breui præferamus. Sed consentaneum est, ex omnibus ea demum quæ ad finem ducunt, eligere, ac desiderare. Consideratio tam potentis exploratæque veritatis, horæ vnius spatio sensim hausta, dici non potest quàm validè animum succutiat iniquis affectibus, & desideriis improbis prægrauatum ; tum crassioribus vitiatisque succis liberatum, quam consentaneè præceptionibus medicis, peruium iam tradat secundæ purgationi subtiliorum affectuum, esto non ita lethalium, sed tamen caduca olentium. Hinc nouum lumen, nouique adeò nascuntur oculi quibus longè alia cernuntur omnia quam priùs viderentur, cum cursus præposterè loco præmij amaretur, summaque industriæ ac laborum hæreret in infimis, velut satiaturis animam beatitatis supernæ capacem

pacem. Difficile dictu est quam multos hæc ratio altè in animum demissa potenter curauerit; ex cóque conclaui quo se ad eam percipiendam incluserant, quantum ab se diuersi prodierint. Martinus Olauius inter Doctores Sorbonicos insignis, non dubitabat profiteri plus se hora vna ex eius Fundamenti consideratione edoctum quam annis compluribus ex Theologiæ studio percepisset. Ipse hanc eius vim compertam habens Ignatius, vbi locorum vetaret longinquitas quo minus aliis traderet otiosiùs expendendam, suggerebat saltem, sat gnarus homini ratione vtenti, etsi leuiter cogitatam non leui præsidio fore. Sic eum egisse accepimus cum magni nominis Præsule, aduersis reflantibus vehementer afflicto, ad eius enim de eo literas; [Tanti est, aiebat, Illustrissime Domine, vnaquæque res in hac vita, quantum valet ad æternam illam; tantum è contrario nocet, quantum ab ea nos auertit: quare affectionibus æternis instincta mens, & illuminata, suum deponit in sublimi nidum, totaque in eo est vt nihil capiat præter Christum, & hunc crucifixum, cui si amat in hac vita configi, cum eo excitanda est in futura.] hæc ille. Quod autem horam vnam, huic versandæ veritati attribuit, hodierni vsus ratione habita dictum velim; non quòd spatio illo Sanctus definierit tempus, cui metas debet, non hora ponere, sed necessitatis apud diuersos diuersa ratio, vt quisque terrenis pro conditione, vel affectione leuiùs, aut tenaciùs adhæresit: quo modo annosæ, & altis diffusæ radicibus arbores, multo ægrè conatu magnoque reuelluntur, nouellæ ac teneræ facili: sic horæ vnius breuitas, cogitatione hac occupata, vix sufficiat homini, ab inueteratis malis in libertatem asserendo. Nec enim agitur de simplici quadam, & philosophica finis illius notitia, desinente in odium, vel amorem rerum extra nos positarum, aut fortuitarum; sed vnum in scopum vsumque collimante, formandæ scilicet in melius vitæ nostræ omnis; cuius pro varietate finium, necesse est diuersas esse actiones. Nec potest voluntas, aliis consiliis, desideriis, moribus viuere, cum sensu pugnantibus, nisi eius prælucens cœcitati, mens perspicax imbiberit penitùs, præter nouam illam quam præit voluntati viam, nullam esse rectam, nullam eò bonorum, tutò perducere, quò suapte naturâ voluntas anhelat. Quæ causa extitit sancto Patri, vt huic meditationi Fundamenti nomen tribueret, nempe haudquaquam superficiariæ, sed humo altiùs refossa demittendæ, vt ei valeat securè Christianæ virtutis tota fabrica imponi: & verò nouimus qui menses solidos cum in hoc descensu posuissent, tantò se inde in diuina, & mansura sustulerunt, quantò se in hanc cogitationem profundiùs merserant. De fonte huius tam ingentis manifestique veri, vniuersè, ac per se concepti, quæ sequuntur partes Exercitiorum ad singularia descendunt, quæ res bene perspectas in opus vsumque conuertunt. Iam ad decernendum tenaci proposito quod animus prouauit, abstinere scilicet ab terrenis, nisi quoad obtinendum id faciunt, cuius gratiâ in terra versamur; cùm æquè nihil iuuet, vti seria animaduersio confusionis & malorum quæ finis illius obliuio, & negligentia inuehit;

quisque, inquit vir sanctus, vitam suam omnem anteactam ob oculos ponat, accuratóque examine culpas eius sigillatim collectas intuens, in ijs attendat, quantùm & quoties ab supremo illo & beato fine miserè exerrarit; huius porrò exerrationis vt malignitatem, & damna intelligat; malignitatem docet contemplatio sequens de peccatorum grauitate; damna verò, altera ei suppar de pœnis quibus apud inferos luuntur: quæ quidem omnia, vt cuiuis palam est, eò spectant vt purgata mortiferis affectionibus anima sanitati, ac vitæ hoc est diuinæ gratiæ reddatur. Quod autem non semel idem catharticum iteretur, attemperetúrque medicaminibus, diuersæ quidem materiæ ac modi, vnius tamen efficientiæ; causa est quod ij humores affectionum viscatarum pertinacissimi, nobisque innutriti, & conscelerátus ille nostri amor, elidunt eludúntque remedia, & purgationis difficillimæ sunt. Huc vsque prima Exercitiorum hebdomada. Sic iam emendatis affectibus, respirare incipit valetudo: quam vt facit in animantibus temperationum inter se diuersarum ad vitæ actiones apta consensio; ita illam in animis efficit exæquata inter se affectuum, ad mandata diuina consideratio, quorum executione vita hominis vera continetur. Dat ergo initium secundæ hebdomadæ Contemplatio de Regno Christi, hoc est, Oratio Christi Regis ad bellum nobile subjectos sibi populos euocantis, tam opimis quidem conditionibus, nihil vt ipsi agere aut pati sinantur, cui non exemplo Rex ipse præiuerit: quæ conditiones blandam vim quandam, & incredibilem admouent ad complectendam Christi Iesu constantem imitationem, vt quotidiano experimento comprobatur. Hac in vniuersum bene deliberata Christi Regis imitatione, congruenter venitur ad singula, vt spectetur in singulis iter pandens, ac præiens Christus: habentur itaque deinceps Meditationes de Incarnatione, de Natiuitate, aliisque præcipuis Christi mysterijs. Verùm quia fato quodam (si loqui fas est) Christum verè, ac fortiter sectari volentibus, totas dæmon immittit suorum copias, vt eos promissis contrarijs, & sollicitatione perduelli ab Christo auertat, muniendi fuerunt egregio robore, quo virtus tenera contra hostiles impetus in gradu staret. Hoc præstat illa de duobus vexillis Meditatio incomparabilis, cui tot religiosæ familiæ tam multos debent præstantissimos alumnos: hinc illa Christum oculis obijcit; inde Luciferum, qui militem faciunt, & certatim proponunt quo stipendio depugnaturus sit: vnde æstimata auctoramenti (demus non dubij) quod in præsens spondet Lucifer tenuitate, atque breuitate; in futurum atrocitate & æternitate; stipendij contra, quo militatur Christo, labore breuissimo, & fructu immenso, atque sempiterno, ingentibus animis, spreta mundi fraude in Christi verba, & arma juratur. Fuit autem hoc toto apparatu opus, ad vltimam hebdomadæ huius contemplationem optato exitu solidè claudendam: Est enim de eligendo vitæ instituto, stabiliendáque ratione vitæ in posterum traducendæ, quo dici grauius nihil potest: cum igitur in eo agatur de tota re nostra, jaciatúrque periculosissima alea, non vitæ modo huius fluxæ, verùm etiam immortalis,

talis, tam certis ab S.Ignatio, tutísque regulis, támque habili manu ea tractatur deliberatio, vt si ex illius præscripto concludatur, nunquam eius postea subeat pœnitudo. Attendit enim res, tempus, ac modum eligendi. Res quidem, vt in delectum vocentur, bonas esse oportet, vel certe non malas: rerum autem cùm sint aliæ stabiles; mutabiles aliæ; obstricti iam illis prioribus non debent illas in dubium vocare, licet fines optassent terrena labe inquinatos dum ijs sese inuoluerent; sed eò conatus intendere, vt quo in statu locati sunt, illo quàm optimè defungantur, seu sacerdotum sit, seu conjugatorum: conditionem verò nacti suapte naturâ mutabilem, ne sic quidem debent de mutanda illa cogitare, nisi ad sanctius aliquid adspirent Iam opportunum delectui tempus, illud primum erit, cùm sic voluntatem vis diuina impellit, vt ne restet quidem facultas vlla de diuina vocatione dubitandi: sicut legimus B.Paulo, & Matthæo, & aliis nonnullis, vocante Christo, contigisse: secundum, vbi res non tam certò constat, nec persuadetur impressione tam valida; eo tamen impulsu, conflictuque pugnantium, successu contrario motuum, sese insinuat, vt pro minimè dubia teneatur. Tertium, quoties tranquilla & composita mens, seclusis omnibus quibus possit turbari, fallive judicium; ad fidei lumen sempiternique veri, sedatè complecti statuit, quod extra dubitationem agnoscit Deo gratissimum, suæque saluti maximè conducere. Sequitur nunc legendi modus, quem ita distinguit vt proferatur in medium res deliberanda, de officio, beneficio, rebusve cæteris, vel admittendis vel reijciendis. Deinde proposito creationis fine, in omnium rerum æquilibrio illo, de quo in fundamento dixi, mens jussa subsistere, paratissima sit eò ferri, quo diuinæ gloriæ & salutis pondus inclinarit. Postea Deo supplicetur vt mentem erudiat, & voluntatem impellat quocumque maximè oporteat tendere; si quà verò ab recto deflexerit, reducendæ in viam præluceat. Denique in vtramque partem exquirantur vtrimque rationes, opponanturque tum sibi confertim, tum singulæ singulis, librato cuiusque fideliter momento, idque ad examen supremæ trutinæ, vltimi inquam finis, diuini scilicet in hac vita obsequij; & felicitatis in æterna: vbicumque verò manifestè lanx altera, alteram superet, animosè illuc eundum est, eligendumque quod pars illa victrix suaserit: rei demum lectæ constans propositum Deo offerendum. Post hæc si quid anxios teneat, aut constabiliri fortiùs in cœpto cupimus, attendamus cuius ex duobus, auctores cuipiam nobis peramico malimus esse, eadem in causa dubitanti, ijsdémque æternis consilijs dirigendo: vtrum præterea ex duobus nos ipsi animam agentes velimus tenuisse: vtri denique institisse, vltimas rationes coram supremo iudice posituri; & huic iam nunc incipiamus adhærere quod factu optimum, ex cœlestibus illis principijs, certa consecutio à nobis euincit: Atque hic eligendi ordo secundam hebdomadam absoluit: in qua euidens est eius partes, vt etiam primæ, quo nexu inter se committantur, quàm necessario inter se habitu, sic à prioribus secundæ pendeant, vt vigorem ab ijs acceptum, in sequentes transfundant,

donec

donec hominem auulsum ab cœno cupiditatum infimarum, suis prudenter subuectum gradibus, perfectè cum Deo iunxerint; huc enim pertinent duæ sequentes hebdomadæ: harum prior in sanctis Christi cruciatibus versatur, ex quibus amandi sincera ratio ad perpessionum obrusam discitur, altera in lætis glorioſisque Mysteriis animum occupat, quibus afficitur dulciùs quoad tandem quiescat in contemplatione beneficentiæ, & excellentiæ diuinæ, ex qua illæ ardent charitatis flammæ quibus arctissimo complexu Deo copulatur. Præstant itaque promissi fidem Exercitia S. Ignatij; nempe quod statim initio spondent, [præparare & disponere animum ad tollendas affectiones omnes malè ordinatas, & iis sublatis ad quærendam, & inueniendam voluntatem Dei circa vitæ suæ institutionem, & salutem animæ]; hoc, inquam, agunt, ratione atque disciplina, tam accommodatis ad obtinendum finem adminiculis, vt propè fieri absque miraculo non possit, quin ex Sancti præceptis adhibita salutem pariant, quam in se quantum in ipsis est continent; cuius tanti boni securus qui ea composuit, eorumque virtutem, velut alter Noë satæ ab se vitis expertus, ab iis qui vellent aut vitam emendare, aut emendatam perficere, secessum tantummodo paucorum dierum exigebat, & ex iis horas dumtaxat aliquas meditationi capitum insumendas, quæ esset iis traditurus: hunc morem tenuit cum solutioris vitæ hominibus, & cum aliis mediæ virtutis, eo semper euentu quem expectauerat, vt illos ad frugem, istos ad perfectiora traduceret. Sic suum in Christo effecit discipulum, quem olim habuerat magistrum Emanuëlem Mionam Lusitanum eo enim Compluti dum studeret, à confessionibus vtebatur. Sacerdos fuit, Algarbiæ natus, rarisque ornatus dotibus, cuius inter multos idcirco libet meminisse, quod eius mentio propè necessariò me cogit ad reddendas hoc loco literas quibus illum ad Exercitia scribens inuitabat: quanta verò id, quam præiudicata de efficacitate illorum sententia, ex verbis epistolæ colligatur. [Magno desiderio teneor, de te tuisque rebus cognoscendi; nec potest profectò fieri quin me illius cura sollicitet quem amantissimum habui in spiritu patrem, quemque propterea filij amore prosequor: atque hinc etiam factum est, vt in aliquam, dum viuo, mutuæ vicem beneuolentiæ, non sim veritus suadere, vt mensis vnius receptum Exercitijs donares, sub illius manu quem indicaueram: hoc tu mihi sanctè pollicitus, si reipsa implesti, fac te rogo vt sciam ad Dei gloriam quo successu; sin autem; per Dei erga nos amorem, perque illos eius supremos dolores nostrâ causâ susceptos, iterum obsecro, vt quem dixi mensem dare tuæ saluti ne graueris; tum si te facti pœniteat, habe me sanè pro mendaci, & deceptore hominis cui tantùm debeo. Denuò ter, quater, ac sæpiùs obtestor, id age, in illius honorem, cui nolim esse sub postremum examen obnoxius adhibitæ parciùs operæ, vt hoc à te denique impetrarem: quippe ad salutis, & alienæ, & propriæ ingenerandum animo studium, nec præsentius quicquam inuenio, neque intelligo. Quare si te tui ratio parum mouet, quasi minus hoc bono indigeas, valeat apud te quam inde capies ad iuuandos alios ingens

vtilitas,

vtilitas. Precor diuinam clementiam, suam nobis lucem ac robur impertiat ad occupanda ex ipsius nutu quæ nobis credidit talenta, ne quando illa percellamur, atroci obiurgatione, Serue piger, sciebas, nec tamen fecisti] manus dedit Miona Ignatio; inde etiam diuino placito, quod in Exercitiis agnouit, seipso effectus melior, Deo sese addixit, vt alios faceret meliores, fundatæ demum Societati adiunxit sese, labores in ea strenuos quamdiu spiraret, Domino Deo nauaturus. Nec in eo solùm Exercitia hæc iuuandis aliis idoneos faciunt, quos aut instituti professio, aut propensio animi ad hoc applicuit, quòd qui frigidus est, difficilè alios incendat; sed quod ea id habent proprium, vt diuino igne, & Christi amore animum inflamment; & quidem ita vehementi, vt (quod in Asia scripsimus) generosæ illius inter Iaponios Christianitatis, viri iuxta, & fœminæ, vbicumque aduersum Christianos tyrannus cruentùm intonaret, ad nostros accurrerent, Exercitiorum præsidio armandi, quorum illic famam, incredibilis fructus probauerat: quantos inde tollerent spiritus, quantum robur diuini amoris ducerent, admirandæ post paulum inter sæuas mortes, & inauditam eatenus pœnarum barbariem patientia prodebat, atque alacritas: qui verò aliquo fungitur ministerio animarum, mirum quantum ex iis, quàm purum lumen excipiat ad perfectam æternarum rationum intelligentiam. Vnde longè alius de iis sermo, longè diuersa vis, illas audientibus imprimendi, quam exscribentium ex libris, vel à se concinnatas velut in scena recitantium: qui si volunt quod fingunt, verè factum videri, seipsos fallant necesse est, fingantque sibi, se esse quos referunt, non autem quod verè sunt. Est hoc vsque adeò certum, vt Mercurianus Societati Præpositus experimentis doctus continuis, idemtidem diceret, vna S. Ignatij Exercitia diligenti, assiduóque studio percepta, verbi Dei præconibus, & ductoribus animorum pro bibliotheca sufficere; & Foscararius ex S. Dominici Ordine, illorum approbator Mutinensi Ecclesiæ datus Episcopus Sylueſtrum Landinum illuc acciuerit prædicaturum Exercitia primæ hebdomadæ, nihil ad constantem & solidam commissi sibi populi conuersionem efficacius arbitratus, rationibus earum meditationum, si perita manu, vsuque assueta tractarentur, qualis erat Landini, qui alibi quoque multis in vrbibus motus ediderat ingentes, non exclamando & vociferando, plerumque inaniter, sed conuersionibus antea desperatis, & mutatione stabili animorum; Deo audientium mentibus per præconem suum affulgente ad perspiciendos viuendi fines, confirmantéque ad eosdem aptis moribus inquirendos.

XVII. *Non est cuiusuis exercitia S. Ignatij cum fructu tradere.*

Illud tamen pro comperto habetur, in Exercitiis cum fructu obeundis plurimum posse periti ductoris industriam, nec esse cuiusuis promiscuè id munus. Nam & sanctus Pater ex tam multis suo spiritu imbutis, & scientissimis rerum diuinarum tam paucos censuit ad Exercitia, suo ex ingenio, mentéque tradenda, vt vbi quatuor nominarat, de aliis omnibus sileret. Primo loco fuit Petrus Faber; deinde Alfonsus Salmeron; tertius Hieronymus Domenechus & quoad primam hebdomadam Franciscus Strada. Difficultatis

cultatis causa ex eo petitur, quòd exercitia, medicina sint ægrotantium animorum, cumque sit horum vt temperatio diuersa, sic intemperies, ita vnà æqualis, & immutata curatio non potest singulis prodesse. Vnde sapienter, ac peritè vir sanctus quasdam Additionum nomine præfixit regulas, partim exercenti animum, partim Exercitia tradenti. Ac si grandes illas mutationes morum in multis hodie post Exercitia non videmus, quæ primis illis temporibus elucebant (vnde nec facilè nunc fidem inueniunt, vti nec mirabilia effecta musicæ veteris, cuius intercidit caracter) primaria causa est, quam in schediis Iacobi Mironi viri in Societate grauissimi, scriptam in hæc verba reperimus: [Clarum est quæ dantur, tribuunturque nunc Exercitia, fructus illos præstantes non parere, quorum erat certus primis annis prouentus: neque huius rei alia occurrit, magni saltem momenti, ratio quàm quod Patris nostri Ignatij præscriptis nequaquam insistitur, bonum enim ex integra causa, & si Additiones aliquot, vel annotationes negligantur, boni iactura fit, quod erat integræ illarum obseruationi alligatum; imo si quid etiam immutetur in Exercitiis tradendis, iam non erunt Ignatij opus, sed diuersi ab eo spiritus, & inuenti; ita enim eæ Additiones, iis, & illis meditationibus intimè inhærent, huic & illi hebdomadæ; vt si aliter vsurpentur, careant suo fructu; multo magis si interserantur meditationes alienæ, aut meditationi cuilibet additio quælibet appendatur. Estque peculiaris hic illarum, & proprius regularum vsus, qui potissimum varia Exercitiorum genera modosque secernit.] Hæc Mironis: ex quibus palam fit num Exercitia sancti Ignatij obeant, & possint ex iis innocentiorem, aut perfectiorem, ex rea aut tepida vitam expectare quam certo spondebat experientia; qui sibi sunt in iis suo arbitrio magistri, aut habent ad hæc pro magistris libellos, quibus quadripartitæ in septenarios quatuor meditationes, vel etiam forma vulgatiore explicantur. Sunt autem nec pauca, nec modi vnius quæ iis regularum Additionibus iniunguntur. Primum vt Exercitia suscepturus, id aggrediatur, magna animi generositate, nec Deo manus arctare audeat, præfigens quatenus duci velit, nec plus vltra; sed sancti Spiritus beneficio motui se totum permittat, paratus quocumque vocauerit, mox sequi, *Ecce ad sum.* Hac animi comparatione in cellam subiens in qua se solum cum Deo inueniat; debet extra fores curam rerum fluxarum omnem deponere, quin & ita se totum in eius diei meditationem immergere, vt ne cogitet quidem quid postridie sit meditaturus, nec legat quicquam etsi maxime pium, quod extra propositum præsentis diei videatur. Idque ne dissipatus in varia, ad illud quod præcipuè molitur, obtusior euadat: victus ipse, solitudo, silentium, corporis afflictationes, orandi materiam, per suas quæque hebdomadas prudenti discrimine comitentur. Nocturnæ contemplationis præoccupatus memoriâ decumbat; eandem statim experrectus resumat; vno aut altero passu à precatorio cubitali, orandi principium faciat. Ibi apud se totus sub Dei præsentis aspectu se videat eumque humili corporis proclinatione veneretur; & prostratus, aut pronus, stans vel de genibus, aut si quid aliud orantem magis

magis afficiet, aggrediatur contemplationem; cuius si quod caput vberem venam præbuerit, ex eo cupidè effodiat, nec prius ad aliud transeat, donec auidam pietatem inde expleuerit. Si sterilem tædioque arentem, nihil tamen rescindat de spatio meditationi destinato, sui potius, tædiique vincendi gratia tantisper id proferat, in silentio, & spe cœli rorem benignum opperiens. Si autem ex aduerso mentis deliciæ affluent, & pleno alueo consolatio exundabit, sedulo caueat ne præcipitati voti religione se obliget, ad mutandam præsertim conditionem vitæ, aut aliud perpetuo seruandum. Postremo intimos animi sui motus bonos aut secus ductori euoluat, vt norit quem modum suggerendis iis tenere debeat, quæ præsenti statui conducant, nec timidiori nouum addat terrorem meditationum; nec præfidentia attollat, nimium audentem: non agat metu, qui spe melius, & amore aguntur; & ab corporis sui, & sæculi tabo nondum sat liberis, consideranda non ingerat quæ prouectioribus debentur. Cursum denique naturæ pariter, & gratiæ sic attendat, vt suam operam, personæ, ac tempori prudenter accommodet. Inspectam hactenus per summa capita Exercitiorum S. Ignatijn aturã, quæ vtilitates consequi soleant, supereſt saltẽ ex iis indicandum, quæ apud sui studiosos efficiũt.

XVIII. *Effecta Exercitiorum admiranda, eorumque pretium apud homines præstantis virtutis.*

Ad hoc mihi conferret plurimum quod Gabriel Lermæus Caluinista consueuerat garrire, & vero etiam prælo dedit, quanquam exitu votis plane contrario quibus stylum infecit, vt de Exercitiis quam absurdissima scriberet. Hic animaduersis conuersionibus hominum absque controuersia sapientum, doctorum, honoribus & nobilitate, omnique alio prærogatiuo iure insignium, quorum multi ab Exercitiis in religiosos strictioris virtutis Ordines transcribi certabant, euentum perosus, & causæ ignarus, stylum stringit in Exercitia non tam satyricum, vt maximè ardebat, quam panegyricum, quod minimè omnium volebat. [Quid hoc, ait, incantamenti est, quæ fascinatio, qua Iesuitæ homines dementant? sua quædam illos extra frequentiam ædium, in conclauia inductos, illic meridiana in nocte luce omni exclusa, profundo mœrore obruunt, tristique horrore consternant. Miseri quos ea sors prehenderit! vt qui olim in antrum Trophonij descendebant; sic dicant hi licet ab ipso limine, lætitiæ ac voluptatibus longum vale. Illuc enim homines ingressi, indidem stipites prodeunt, stupidi, amentes, vitæ deliciis funditus mortui, vnisque in posterum lacrymis, & tristitiæ victuri. Iis cauis sepulto, nec datur videre, nec videri, nisi magorum illorum ab aliquo bis illuc quotidie submissa voce, vultu attonito, magica carmina inferente, quæ paucis in carthula lineis infœlici tradit, vt iis apud se assiduè versandis grauius fascinetur. Quas vero illic chimæras fingant, quas forment imagines, quæ visa somnient, quis satis enarret? flent, exclamant, irrugiunt; velut iam fumo ignis tartarei morderi sibi oculos sentiant, & anticipatis vrantur flammis. Iurant quotidie se ita victuros, tanquam sub noctem morituri, neque caduca hæc nisi puncto indiuiduo tacturos. Cum autem inde se efferunt quasi syderati mundum hunc intuentur, vt si, nunc primum in eum subirent; intuentur verò non iisdem quibus antea oculis, sed perinde

vt scenam interea vertisset, spectant illum vt mare tempestatibus horrendum, & naufragiis infame, vbi nauigare non sit faciliùs quàm perire: vnde ad quemlibet ingressum videntur sibi aut allidi, aut transuersum ire: quare in portum quantocyus subducere sese deliberant, tandemque monachismo se dicant. Ad hæc Iesuitæ, si fortè quod habeant emoti iam cerebri caput, in hac illud fornace eliquatum, recoquunt, & recudunt, tamdiuque malleo contundunt, quoad edomitum suum ad morem, formamque redegerint. Ex molliore viuendi habitu ad durum; ex obediendi duritie ad docilitatem; ex pigro actuosum; firmum, & stabilem ex fluctuante efficiunt.] Ita de Exercitiis Lermæus veris fabulas intexens. Sed quanto illa deprimere voluit, tanto apud illos magis commendauit, buibus, vt ipsi, cum fide anima non prorsus periit. Nam efficax illa atque inuicta vis, transformandorum in alios hominum, cuius ipse per Germaniam & alibi cernebat victorias, nisi ex veris, & fortibus, optimèque cohærentibus principijs existere non potest, ex quibus ea pressis conclusionibus colliguntur quæ has morum commutationes, & progressus certò secum trahunt. Vel ea tantum quæ ab Ignatij socijs, Exercitiorum ope, contra grassantes in fidem Catholicam Lutheranos sunt gesta, incredibile est quanto præsidio Germaniæ fuerint: nam præter illustrem scientiæ famam qua clarebant, deuinctos sibi religiosa consuetudine ad quorum imperium, & mores populi formantur, eò pelliciebant non inuitos, vt dies aliquot ab curis feriati se sibi redderent, ac negotium salutis in reliquam vitam conscientia hilari transigendam, rectè componerent. Ita illos egisse fidem faciunt tomi literarum quibus Petrus Faber ex aula Cæsaris, Vormatia, & Ratisbona ex Comitiis, Moguntio, Spira & ex compluribus alijs superioris, & inferioris Germaniæ locis, parentem suum ac magistrum Ignatium recreabat. Idem ab Iacobo Lainio Alfonso Sabnerone, Claudio Iaio Tridenti præstitum, vbi ad Synodum Generalem, suis in Episcopis & Prælatis collectam spectabant Christianitatem, & Theologorum obibant munus; nec tam excellentia doctrinæ Præsulum admirationem, quàm priuatis de Deo colloquijs eorum studia rapiebant, tum sensim permultos ad degustanda Exercitia impulsos, vnde ipsimet spirabant quod hauserant, ita diuino implebant spiritu, vt vberrimo prouentu in subjectos populos funderetur; fauitque tantum huic operi Deus, felicitate successuum euidentissima in eos qui Exercitia susceperint, vt um essent tres Patres huic operæ impares quam plurimi ab ijs flagitabant, necesse fuerit eorum vicem ab ijs suppleri, qui paulò ante in ea discipuli, cogebantur magistri mox esse; sic Tridenti subsistens Societas sui notitiam ac desiderium tota Europa sparsit, ex qua vndequaque viri omni laude clarissimi eò conuenerant. Soluta igitur Synodo, reuersisque ad suos Præsulibus, Societatem apud se habere expetiere quamplurimi, vt cui præter subsidia, saluti animarum valdè opportuna, tam potens ad manum, diuinæ gratiæ ad restituendos mores remedium esset. Hinc ille quorumdam interior coram Deo pudor, qui pridem in primarijs pulpitis grande nomem doctrinæ consecuti,

secuti, post retectas per Exercitia ad Euangelij lucernam metalli venas pretiosioris, profitebantur eo vsque fuisse planè rudes, quod mentem doctrinis superficie tenus aspersissent, cuius capax, & amplum penetrale, nisi æternæ veritatis cognitione non impletur. [Mirari satis non possumus (notabat suis in aduersarijs Iacobus Miro) celeberrimos Theologos, Exercitiorum antea contemptores, & impugnatores, & scientissimos eorum quæcumque continent, illorum tamen vsu adeò commotos, atque immutatos, vt multo cum animi sensu faterentur se tunc primum cœpisse Theologos agere, & intelligerent quantum sibi de sapientia post tantum librorum, & disputationum defuisset.] Horum vnus Petrus Ortizius Caroli quinti apud Pontificem Procurator, & Parisijs olim in Academia inter Doctores eximius. Hunc ergo tacitè obseruantem quo suo compendio Cardinalis Contarenus Exercitia S.Ignatij peregisset, quódque de iis esset viri talis ac tanti judicium (quippè sua manu illorum apographum penes se habebat, quod suis deinde hæreditarium velut rei suæ præcipuum reliquit) hunc, inbuam, cepit etiam cupido experiundi quid possent hæc Exercitia, ac ne qua incideret ex negotijs quæ gerebat interpellatio, in Montiscassini cum S.Ignatio secessit. En autem tibi ex primo aditu in meditationem Fundamenti, per dies quadraginta, visus est sibi alium orbem incolere, nec in terra versari: inde ingenti voluptate, & dolore affectus, gratulabatur sibi quod schola tantum quadragintadiali, ea se Philosophia imbutum diceret, cuius antea tot annos studendo docendóque ne nomen quidem sciisset; dolebat verò, in hanc scholam veniisse seriùs, cum iam per ætatem quod pulcherrimum ex ea hauserat, non posset in opus conferre, remisso nempe aulæ, principibus, & nugis sæculi nuntio, cum Christo paupere, & abjecto crucem in religioso Ordine complecti. Nec mirum pauca documenta libello Ignatij comprehensa, apud viros adeò excellentes fuisse tanti; sunt enim saporis longè dissimilis quæ ad parandam animæ salutem ex indubitatæ fidei fontibus, pietas deducit, ab ijs quæ ad intelligendum solum, & docendum mens philosopha speculatur; nec minus videntur inter se differre, quàm ex ora Piscaria vniones ad ornatum capitis aduecti; ab iis differant qui ad cardiacos languores medicato attritu digeruntur. Quamobrem à Patre F.Mancio ex Prædicatorum Ordine insigni Theologo scitè dictum narratur, pluris apud se Francisci Villanouæ Theologiam esse, quam omnium simul toto orbe Doctorum, intelligebat autem de Exercitiis quæ multis Franciscus per Hispaniam dispensabat. Non ita ille nescio quis inter Hispaniæ Doctores magister egregius, magnæ quidem virtutis, sed huius interioris scientiæ tam expers, vt dicta in eam dicere soleret, & Exercitia S.Ignatij adhuc superstitis, joco traducere, negaret, etiam aliquando Martino Guttiero potuisse vnquam fingere cogitando, quo pabulo mentem reficerent, quidve tamdiu nostri cerebro figerent, quos coram altari cernebat precando vnam, & plures horas absumere; se quidem si liber Euangeliorum non adesset, nescire quo pacto animum occuparet; cúmque videri non posset Deus, repente hunc

sibi ab oculis subduci: ita ille. Quapropter magnis ingeniis commune id votum insederat, vt sicut multæ per Europam sonant disputatricis Theologiæ exedræ, sic mysticæ huius, & arcanæ aliqua saltem pateret schola, ex qua non lumen siccum, & sterile, sui pompam; sed ferax, & salubre; vitalem ederet charitatis ardorem, qui Deo pascitur, & constanter in Deum agendo fertur. Cocleus certè Romanorum Regis Ratisbonensi confessu Theologus, scriptorum eruditione, & bello aduersus Lutherum orbi notissimus, post auditum Fabrum de hac animæ scientia differentem, quam redegisset in artem Ignatius, lætitia gestiens, apertisque in cœlum oculis; *Gaudeo*, inquit, *quod tandem inueniantur magistri circa affectus*, & ijs quamprimum licuit, se permisit Exercitijs excolendum; quæ ita expertus probauit, vt eorum magister non vulgaris doctrinæ Præsulibus, & Theologis fuerit. Suum hic deinceps post Doctores locum, magistri ascetices postularent, in quibus Abbas Ludouicus Blosius, Ludouicus Granatensis, Ioannes Auila, doctissimi fateor, sed excoctæ perfectæque virtutis; & in vsu docendæ pietatis versatissimi, Exercitijs tamen S. Ignatij adeò addicti, vt sui religiosissimi Ordinis cœnobia Blosius ijs excoleret; Ludouicus verò Granatensis dictitaret vitam sibi videri breuiorem ad noua diuinarum æternarumque rerum lumina explicanda, quæ sibi ab Exercitijs affulsissent; M. Ioannes Auila suos ad recentem hanc scholam discipulos mitteret. Omnium loco sit Cardinalis Archiepiscopus Carolus Borromæus, cuius paterno, liberalique animo debebit semper Societas, quod eius modestia profitebatur Societati se debere, ob efficaciam quam in se ab Exercitijs S. Ignatij ad Apostolicas virtutes expertus esset singularem: junior enim ad sacram purpuram à Pontifice patruo adlectus, Romæ in Professorum domum Societatis Iesv recepit sese, vt daret Exercitijs operam, quod ei deinceps quamdiu vixit, semel quotannis solenne mansit, ac bis etiam quoties licuit; Ioanne Baptista Ribera, post verò Francisco Adorno, dicamne discipulis & admiratoribus, an vtipse jubebat, animi ductoribus & magistris; ex quo illud ipsius in Synodo saluberrimum decretum: Ne quis initiaretur sacris, & sacerdotio, nisi aliquot dies primis saltem Exercitiorum meditationibus purgatus. Reliquo dehinc anno sanctus Archipræsul libellum terebat Exercitiorum, & contemplandi argumenta ex eo quotidie depromebat; sentiebátque de illo ita magnificè, vt duci Mantuano Vincentio bibliothecam suam locupletissimam monstranti, Mihi quoque, dixerit, bibliotheca est perampla, sed in libelli coacta epitomen, ex quo plura intelligo quàm possim ex cæteris omnibus discere; subdidítque hunc esse Exercitia S. Ignatij. Ex hoc illi Deus tanto digna magistro ac discipulo monita prælegebat. Alium è contrario Præsulem instruendæ bibliothecæ curiosissimè adlaborantem, incessit cupiditas Exercitiorum, quorum effectus mirabiles fama vulgante acceperat, mox ergo vt in manus venerunt, auidè, versare, ac legere, insolens aliquid expectans, & saporis minimè publici, sed amfractibus tortum subtiliorum speculationum; assuetus nimirum synapis granum, molis intuitu metiri, non sensu efficacitatis; quare sibi, si vn-

quam

quam, affirmauit splendidè illusum, projectóque contemptim codice, indignum putauit quem, inter scriptores eruditos loco aliquo dignaretur. Eam ob rem prudenter S.Ignatius eiusdem copiam nonnullis Florentiæ religiosis enixè poscentibus, priùs vetuit fieri, quam reipsa per se degustassent, quid in se boni contineret, doctus nempe hic etiam parum ex sententia processurum *Videte*, nisi *Gustate* præcederet. Extra modum fuerit ire per singulos dignitate tum sacra tum ciuili claros, qui magno tum suo, & cleri, tum creditarum sibi ouium bono Exercitiis sunt vsi, quod nunc est, compendij gratia sat erit in falcem eos colligere, paucis quas Meronus, de ijs scriptas reliquit lineis. [Non hæsit, inquit, intra Societatis septa, istarum fructus meditationum; multum quoque ijs debent aliæ Religiosorum familiæ: præterquam quod enim cœnobia implerunt; vacillantes in ijs confirmarunt; & restituere disciplinæ agentes licentiùs; sed ne religiosis quidem claustris circumscribi potuit is fructus, quin ad omnis generis homines, omnis conditionis, dignitatis, ætatisque manaret; viri tum è sacra tum è ciuili Republica principes, & absque numero alij, docti, & indocti; vxorati, & liberi; iuuenes, & senio graues; Deo sacri, & adhuc sui, diuersi ab ijs qui ante fuerant, ab Exercitijs, vitam ex improba emendatam, vel sanctiorem ex proba retulerunt]: hæc Mironus testis oculatus. Iam verò si ad singulares, ac præter omnem opinionem, ac morem, successuum exitus venitur, narrationem quilibet suggerat benè longam. Eiusmodi verò sunt ex inferorum contemplatione, voces plenas terroris mittere, aduocare homines sceleribus deditos, ad explorandum in æterna domo in quam præcipitant, quo pacto damnati stabulentur, priusquam illuc nunquam exituri subierint. Flagellis publicè per vicos in seipsos sæuire, ac veniam poscere offensionis populo præbitæ; in bonorum per nefas possessorum, restitutionem, non modo contra spem omnium, adduci, sed vltrò bonis omnibus nudari, & in hospitali pauperum domo, ministerio ægrotorum, & peregrinorum sese addicere; post desertionem annorum complurium, & fœda conscientiæ perpetuaque naufragia, in portum redire religionis olim sacrilegè abjectæ; condonare offensas grauissimas, non datâ solùm inimicis pace, sed petitâ quoque ab ijs veniâ, scripta ex profanis contexta scientijs vano diu labore sudatis comburere, vnique exinde libro omnium instar, Christo Iesu de cruce pendenti incumbere, eiusdemque generis non pauca. Duo tamen prætermittere non possum, & valdè insolita, & rari ad posteros exempli. Tendilia pagus est, Compluto paucis milliaribus disiunctus; ornatur cœnobio nobili ex disciplina S.Hieronymi, illic Petrus Aragonius, auctoritatis inter eius monachos præcipuæ, amicitiam junxerat cum Francisco Villanoua, Compluti tunc Societatis Collegium inchoanti, cuius dulci consuetudine illectus Exercitia apud nos obiuit; & erat Villanoua ex iis paucis quorum Ignatius laudabat peritiam in hominibus ad Deum per Exercitia traducendis, quique illa non viuendo minùs, quam præcipiendo exprimeret; ex quo in omnes quidem, boni plurimum contulit, sed in viros

præsertim

præsertim doctrinâ, & nobilitate primarios, qui toti deinde non modo Hispaniæ, sed orbi Christiano valdè vtilem operam nauarunt: cùm esset tamen ætate junior, necdum sacerdotio præditus, sed magnopere aliis præterquam huius scientiæ mysticæ doctrinis. Tulit è secessu Exercitiorum Aragonius quod solet, nempe vt esset ab eo qui fuerat omnino diuersus, & quod ferè semper vsu venit, quàm posset plurimos, in eandem secum eorum experientiam trahere cuperet, maximè Tendilienses suos cœnobitas. Sed obstitere homini natu grandes, nempe suam ætatem, & ordinem haudquaquam decere, vt in eius disciplinam se darent, qui nondum hanc lucem adspexisset, cùm ipsi iam primas inter suos tenerent; instare nihilo lentius Aragonius, & rogare ne grauarentur experiri, demùm quòd ab ijs nihil assequeretur, paciſci, de Exercitijs ratum fore, quicquid ipsimet judicassent, postquam in vno quem solum nominabat eorum fecissent periculum. Vltrò, & cum ritu admissa conditio. Erat enim is laicus, ortu valdè illustris, naturâ indomitus, peruersus ingenio, qui nondum ab ijs eo vsque recudi potuerat ne esset militi quam religioso similior: ferebatur tamen, licet ingratiis, quod suis bonis monasterium ditasset, & hac vna virtute, vitia omnia tuebatur; & diuinæ prorsus benignitatis fuit, illam eius liberalitatem largiore indulgentia rependentis quam quæ vsurpabatur ab ipso perperam, quòd persuaderi ab Aragonio se siuerit, quamquam apud illum certò plus Aragonio valuit inanitas quædam curiosa cognoscendi, suisque referendi, quid tandem mercis Exercitia illa essent, quæ vtramque in partem, tantopere in cœnobio jactarentur. Hac mente eques, subsequente seruo, Complutum contendit, rogatus, vt fit, ab occursantibus amicis, quò? cuius negotij? Complutum, aiebat, incantamenta probaturus Iesuitæ cuiusdam, quæ quo spiritu fiant, mei fratres ignorant; seque ipsum vrbanè, falsè deridens Villanouam, pergebat. In Collegium vt venit, & quæsito Rectore, Villanoua comparuit, iuuenis, veste centonis in modum resuta rectus, & inamabili specie; resiliit scilicet, toruúmque aspiciens, insalutato equum vertit, multùm aduersus Aragonium mussitans, quod se dolo aut ioco misisset ad hominem, quem nec aspectu dignari deberet, nedum illi instituendum se tradere: at eius ingenij conscius Villanoua qui præstolabatur aduenturum, fræno comiter prehenso sistit abeuntem; totque illum vrbanitatibus, tam religiosè, atque humaniter obruit, vt magna vi denique ad prandendum secum subegerit; inde nouis beneuolentiæ precibus etiam extorsit, vt in posterum diem reditum differret, illa interim sua de Deo, & animi rebus familiariter agendi suauitate mirabili, illo summi obsequij studio, & sedulitate officiorum humili, & amicissima, ita sibi hominem obstrinxit, vt totum se illi addiceret, quacumque libuisset suis Exercitiis versandum. Vnum ergo & viginti dies, in meditationibus primæ hebdomadæ, quibus egebat potissimùm, durauit; seque ipse in iis, illucente Deo, tam deformem, ac miserum inspexit, vt se assiduis lacrymis, & vexationibus corporis, tum valdè insolitis, tum sibi antea ignotis conficeret; anim

tamen;

tamen voluptate haud paulo maiori quam corporis cruciatu, sic parte nominum deleta quæ apud Deum contraxerat, expiatáque labe omni vitæ totius anteactæ, totus iam alius in cœnobium rediit. Nec alio eguit Aragonius deinceps, quàm eius inspecti argumento, ad vincendam Exercitiorum causam; nec rogatu, & rationibus ad persuadendam illorum experientiam, quæ conuersionem illam in monacho, tam inexpectatam miraculo egisse videbatur. Primus igitur manus dare, qui acrius omnibus, tum se, tum alios ab iis defenderat, venerabilis senex, annorum in Ordine quinquaginta, & sæpe regendi munere perfunctus; deinde alij seorsim bini; vltimo ipse Prior, olim Salmanticæ Professor, qui de fructu quem ipsemet legerat, Exercitia æstimans, Complutensi Collegio vix inchoato, & inopi annuum attribuit prouentum, in eorum sumptus, quicumque apud nos ad Exercitia vellent se cedere. Quo subsidio longum sit scribere, quot religiosæ familiæ veterem disciplinam vel restituerint languidam, vel adhuc vigentem promouerint, idque sæpe vnius suasu, qui quod ipsemet explorasset, suis persuadebat vt idem explorarent. Exemplo sit Augustinus Caruagialius in Theologicis Magister, ex Ordine S. Augustini, ad magna in Occidua India, in Hispania, totaque passim Italia iure adhibitus; nominatim verò ad S. Iacobi Bononiam instaurandum conuentum à Clemente octauo missus, cùm potestate Apostolici Inspectatoris, ad hoc' vim aliam admouit nullam præter suauitatem Exercitiorum, quam erat ipsemet mense integro expertus, aiebatque illis diuinam inesse, sero (quod dolebat) denique repertam, cum iam inde ab inito ordine, optatam quæsisset. Sequitur alterum ex duobus quo efficacia Exercitiorum, se mirificè exerit. Senis fuit sacerdos scribendis comœdiis famosus, tum ridiculis, tum parum modestis, quibus dum effusè spectator plaudit, homini verecundia non decedit modo, sed sui etiam flagitij ambitus stimulos subjicit; nec stetit leuitas in mimorum compositione; sæpe ipse in scenam recitator impudens se dedit; indignitate vtrimque execranda, sacerdotis in scena sub noctem; postridie mane comœdi ad aram agentis. Sub id tempus, duo ex Ignatij sociis Senas aduenium, Pascasius, & Rodericius, quædam illic iussu Pontificis correcturi, accedebátque iis tertius, ardens concionator, Strada. Hi virtutis suæ eximiæ quà non vulgaribus documentis, quà publicis, priuatisque colloquiis, sed Exercitiis præsertim, breui totam vrbem aliam fecerunt. Inter auditores, concioni quoque Sacerdos improbus dum forte interest, vi magna dicentis percellitur, Deo miseri oculos detegente vt tandem aduerteret quanta Dei iniuria, characteris sui dedecore, & labe populi; quàm deforme in monstrum infelix transisset: concepto igitur meliorum ardore, concionatorem adire, ad hæc opem ex eo aliquam rogare, cumque validior nulla suppeteret, Exercitia ab eo proposita aggredi. Vix erat primis meditationibus adspersus cum in rerum fluxarum inanitate ridicula, in æternarum mentium, & Adami lapsu, nocentiúmque apud inferos pœnis; alias vidit scenas, castatrophes alias, & nunquam prius ab se

cogitata tragediarum argumenta. Quare in se ipse descendens, ancepsque vtrum erubescceret grauius an se sacerdotem, an comœdum; tantùm sui, tantum diuinæ, & populi offensæ horrorem concepit, vt non putarit, tam immanium nominum dissolutionem, nisi à publica petitione veniæ inchoandam; post hanc sese extra sæculum abditurus, Deumque, vt posset omni asperitatis genere placaturus. Igitur Patri in exercitiis ductori vtrumque consilium vbi aperuit, animatus est ad agendum, modo Vicarij facultas accederet. Ea impetrata, die quodam, post concionem ad populum à Patre Franciscano habitam, euadit in pulpitum, & alligato ad collum fune, pudore, ac lacrymis confusus, veniam cœpit pernicioſæ suæ inuerecundiæ rogare. Quanquam vnus hic miserabilis conspectus plus satis valuit, ad ciendam totius populi miserationem; & illa tam serio, tantaque sui despicientia pœnitentis vel sola species, abunde pensauit quicquid ciuibus suis ante nocuisset. Ac optauit quidem Patribus adiungi, sed prolixioris experimenti rem fore sentiens, quam ferret eius incitatus ardor; sacrum Capucinorum habitum induit. Fuisse porro magnum conuersionum huiusmodi numerum, qui anno post Ignatij mortem harum erat spectator Ludouicus Strada ex S. Bernardi Ordine, sic tradit: [Quanta præstet hæc Exercitiorum sanctorum medicina in variis conditionibus hominum, nec dici potest, nec ab iis credi qui ipsi non spectarunt, vti mihi videre contigit complures vitiorum cœno per ea emersos, in cultum transcriptos veræ pietatis; & peccatis incoctos veteribus, ac turpitudini, ex iis persanatos.]

XIX.

Exercitia S. Ignatij quanto magis impugnata tanto illustriora, & magis probata.

Illud magnam habet admirationem modis quàm hostilibus, & inopinatis prouidentia diuina Exercitiorum famam auctoritatémque promouerit, passa videlicet mordacissimos calumniatores in ea consurgere, & aduersarios nomine, doctrina, dignitatibus præpotentes; horum alij temeritatis accusabant, velut id sibi arrogarent vt Spiritum sanctum è cœlo deducerent; alij dolosæ vanitatis, quasi artem docerent alienandi ab sensibus animi, & visa videndi; artis nonnulli magicæ suspecta habebant, cum metamorphoses ex iis profectas, nisi magico cantu fieri non posse crederent, cuius argumentum aiebant silentium, solitudinem, tenebras quibus delectabantur meditantes; quosdam metus pungebat doctrinæ ambiguæ quod secretum amarent, nec lucem publicam, qui verus est erroris genius, sustinerent. Et inurebatur Exercitiis censura hæc multiplex à docētibus, concionantibus, scriptoribus, probrosa de iis iudicicia sua spargentibus, dum tandem ad tribunalia ventum est, vbi necessitate defensionis ad innocentiam; cognitionis legitimæ ad defensionem, dum probantur non esse, qualia multi garriebant, manifestatur cuiusmodi reuera essent: hinc probe iam perspici, iam desiderari, iam cum laude absolui; plusque ex agnita veritate honoris referre, quam sibi ex calumnia decessisset: haud secus ac primis Ecclesiæ sæculis, ad fidei propagationem, & gloriam, multo felicius turbulentissima tempora, quàm tranquilla cesserunt. Nam pœnis vexatam atrocibus

atrocibus intuens, causam auet rescire, quæ ream tantopere faciat; crimina inuestigans, comperit innocentem; *& vbi cognouerit veritatem, & ipse statim sequitur*, ait Tertullianus. Vnde aliquando Petrus Faber Ratisbonæ Theologus, in comitiis quæ tunc habebantur, ardenter optasset, hæreseos ob Exercitia reus agi, vt camptum haberet apertum, ac necessarium, depulsionis titulo apud consessum Præsulum, Principum, & Theologorum, de Exercitiis dicendi, certus hunc fore iudicitij exitum, vt (quod deperibat) damnaretur ad singulos de ijs per otium edocendos; sic breui comitiorum silentio, reparandam Germaniæ salutem, quam quotidianæ disputationes, & colloquia frustra molirentur. Parisiis quidem an. 1535. cum pro tribunali Exercitia sisterentur, sententiam tulerunt accusationi plane contrariam. Matthæus Ori ex Ordine S. Dominici, pro ratione officij, quod tunc illic gerebat, cum ea perlegisset, examinasset, comperisset esse quod reipsa erant, magisteria salutis, & Deo plena; posito iudice, factus est eorum discipulus, exemplúmque illorum quo ipse vteretur ab Ignatio petiit: quæ verò decimo post anno Conimbricæ, iisdem Exercitiis intentata est lis cessit, etiam aliquanto felicius. Erant ea in vrbe homines, in sensum, & terrena curui, qui palam à Patribus obitas ad captandos contemptus, afflictationes, minuti capitis interpretarentur ludibria. Spargit rumor ab Exercitiis id agi, in ea diebus aliquot solitarios Patres incumbere, inde ijs cerebrum exiccari, in obscuro clausis spectra quædam, vmbráque horribiles objici, quibus & extra se, & in illam sui publicè diuexandi stultitiam impetu raperentur: hæc ad Henricum Cardinalem (post Lusitaniæ Regem, tunc sacrum Quæsitorem) perlata, inuestiganda diligentissimè mandantur F. Iacobo Murciæ ex Ordine S. Hieronymi Monacho, & Academiæ Rectori: Hic dum interrogat seorsim socios, ad Rodericum Menesium deuenit, iuuenem, non virtute minus, quam genere nobilem; ex eo concepit, nihil esse certius, quam terribilia simulachra in Exercitiis spectari; sibi etiam cusum deformitatis adeò portentosæ, vt mallet præ horrore in terram defodi, quam eius adspectum sustinere: hortante Murcia ad pergendum fidenter, & scriba excipiente quicquid is diceret: Vidi, inquit, memet in Exercitiis, quem nunquam videram, portentum, quo nullum turpius, nullum informius occurrere potuit, ac nisi meipse, quocumque fugero, mecum circumferrem, lubens ad ima tartari potius fugero quam vt mei ipsius adspectum perferam. Explicatam hoc modo visionum naturam quas Exercitia pariebant, & consentaneos explicationi cæteros, vbi ex callido examinatore cognouit Cardinalis, extemplo in summam æstimationem apud omnes attolli; cumque paulo ante pro arte subuertendi hominum cerebri riderentur, exinde iactari pro disciplina compendiaria sanctitatis; in aulam subire, ab Infante D. Luisio, ab ipsamet Regina, à Cardinali Henrico adhiberi, etiam (quod mirabilius) Lusitaniæ regnum obtinente. Alia enim procul tuentibus Exercitia apparent; alia propiùs: quod si aduertisset quidam Theologus, aurem melioribus consiliis

dedisset: proritatus ab Religioso, qui etsi literatissimus audiret; in Societatis & Ignatij rebus erat planè puer, quare nullum dum vixit eas exagitandi finem fecit; huius vt creditur impulsu, famosum libellum accusationis nomine obtulit D. Ioanni Martino Siliceo Archiepiscopo Toletano, non alio magis studio, quam affundendi ignibus olei, inflammandæque indignationis, quâ Præsul optimus, sane gratuitâ irascebatur nostris. Excusarit è vulgo quilibet, si minus purgarit, damnatam ab se pietatis scientiam, cuius principia ignorarit; at frustra hunc sibi colorem obtendat, qui eam propterea damnat, quod eam cognoscere recuset, quam si cognouerit, & prægustauerit, non sit damnaturus quasi saporis venenati. Ab hoc, & eius incentore, longè diuersissima sentiebat P. Pascalis Mancius ex Prædicatorum familia doctissimus, primusque Compluti Theologus, qui censuræ suæ commissum ab Archiepiscopo libellum Exercitiorum cum cepisset perlegisset atque acutissimo oculo, aliud quod argueret non inuenit, præter impotentiam accusantis: quare proferente Archiepiscopo aliud eorundem apographum, multis ad marginem confixionibus ab illo quodam Theologo notatum (cuius nomen Religionis quam profitetur reuerentiæ condono, quamuis multi pridem Societatis historiis, verè putarent inserendum :) hic vero, addidit Mancius, damnandus liber est, qui totidem erroribus scatet quot habet ad marginem confixiones iniqui censoris. Hoc ipsum merito docuit, quadam sua in hoc argumentum Apologia Bartholomæus Torres, doctissimus Canariarum Episcopus. [Exercitia, inquit, ab experientibus melius, quàm ab scrutantibus capiuntur: vidi homines præstantis doctrinæ & excellentis ingenij, quos doctrina carere, & ingenio putasses cum de huius libelli scientia quæreretur, tametsi limpida, explorata, ex Euangelio sanctisque Patribus decerpta. Paucis diebus ex eius præscripto Compluti, positis plura (testis mihi sit veri Deus) saluti meæ profutura percepi, quam annis retro triginta perceperam, vel studendo, vel Theologiam docendo: nec est quod quisquam sibi valdè intelligens, miretur se istud non intelligere, facto est opus, non studio: experiatur mecum, & mecum sentiet, quanquam meæ quoque huius sententiæ non sit fortassis obscura ratio; dum enim scientias tractarem, ad docendum omnia conferebam; dum Exercitijs incumberem, omnia ad meipsum, opusque designabam; aliud porro est studere, vt doceas; aliud intelligere, vt agas. Addo notos mihi permultos qui vsu hæc Exercitia probarunt, multos meo suasu ex meis discipulis, tum religiosos, tum alios qui ijs institui voluerunt; qui vero melior non inde euaderet, quique non palam deprædicet, nec quicquid vsquam est bonorum, reportato se ex ijs lucro minimè mutaturum, fateor me nosse neminem. Et fecisset Deus vt tantus Thesaurus suum apud omnes pretium inueniret: cum enim precatio, & meditatio tantum in animam valeant, ea forma vtrumque ita peragitur, vt breui pietas plus inde promoueat, quam alias insistens fortuitas vias, magno, & diuturno labore. At enim non ignarus dæmon, horum Exercitiorum auctoritas,

ri tas, rationibus suis quantum officiat, omni arte contendit ea obruere, prorsusque de medio tollere, sed frustra, nam rumpatur licet, hoc ipso indicat, opus diuinum omnino id esse, quod insectationibus alatur, & tempestatibus germinet,] hactenus Episcopus Torres. Quæ tamen aut parum amici, aut nimirum ignari Exercitiis opponebant, non solo contemptu refelli oportuit; quòd præsertim auctores, partim manifestos, partim occultè infestos præferrent, qui si minus veris, vno saltem nominis pondere, suspicionem mouere poterant. Quare Dux Gandiæ (postea B. Franciscus Borgia) causæ bonitate, & publici commodi studio apud Paulum tertium supplex egit, de Exercitiis Spiritualibus Ignatij, post seuerum Examen approbandis, & Apostolica auctoritate muniendis: acquieuit lubens roganti Pontifex, & librum ab Andrea Frusio, ex Castellana lingua Latinæ redditum, censuræ commisit virorum trium, qui tunc Romæ scientia, & dignitate eminebant; Ioanni Aluaro Toletano, Burgensi Episcopo, ex Ordine Dominicatorum; Philippo Archinto Pontificis Romæ Vicario, & P. F. Ægidio Foicarario, sacri Palatij Magistro: quorum vbi accepit tam plenam cum laude approbationem, vt ne syllabam quidem in iis attigissent, anno 1548. ea Pontificio diplomate munita, confirmauit, tutumque illorum vsum declarauit. Relatu dignum, lectuque diploma appono.

PAVLVS PAPA TERTIVS,
ad perpetuam rei memoriam.

PAstoralis officij cura, in vniuersum Christi gregem nobis commissa, & diuinæ gloriæ ac laudis amor, facit, vt ea quæ salutem animarum, & spiritualem earum profectum iuuant, amplectentes, vota eorum, qui aliquid, quod fouere, & nutrire pietatem in Christi fidelibus valeat, à nobis exposcunt, ad exauditionis gratiam admittamus. Cùm ergo (sicut dilectus filius, nobilis Vir, Franciscus de Borgia, Dux Gandiæ, nobis nuper exponi fecit) dilectus filius Ignatius de Loyola, Præpositus Generalis Societatis Iesu, per nos in alma Vrbe nostra erectæ, & per nos auctoritate Apostolica cõfirmatæ; quædam documenta, siue Exercitia spiritualia, ex sacris Scripturis, & vitæ spiritualis experimentis elicita, composuerit, & in ordinem, ad piè mouendos fidelium animos, aptissimum redegerit; illáque Christi fidelibus, ad spiritualem consolationem, & profectum magnopere vtilita, & salubria esse, non solum famâ ex plurimis locis allata, prædictus Franciscus Dux didicerit; sed etiam experimento manifesto, cum Barcinone, tum Valentiæ, tum Gandiæ, id compertum habuerit. Quare idem Franciscus Dux nobis humiliter supplicari fecit, vt documenta, & spiritualia Exercitia prædicta, quo latius eorum fructus pateat, & plures

Christi fideles, maiori cum deuotione ad vtendum illis, inuitentur, examinari facere: & si approbatione, & laude digna inueniremus, appobare, & laudare, aliásque in præmissis opportunè prouidere de benignitate Apostolica, dignaremur. Nos igitur, qui documenta & Exercitia huiusmodi examinari recimus; & quæ testimonio, ac relatione, dilecti filij nostri, Ioannis Tit. S. Clementis, presbyteri Cardinalis Burgensis Episcopi, ac hæreticæ prauitatis inquisitoris, & venerabilis fratris nostri Philippi Saluciarum Episcopi, ac dictæ Vrbis nostræ in spiritualibus Vicarij generalis, necnon dilecti filij Ægidij Foscararij, nostri Sacri Palatij Magistri, nobis desuper factâ, pietate, ac sanctitate plena, & ad ædificationem, & spiritualem profectum fidelium valde vtilia, & salubria esse, & fore comperimus: debitum etiam respectum ad fructus vberes, quos Ignatius, & ab ipso instituta Societas præfata, in Ecclesia Dei vbique gentium producere non cessant, & ad maximum adiumentum, quod ad id prædicta Exercitia attulerunt, non immeritò habentes: huiusmodi supplicationibus inclinati, documenta, & Exercitia prædicta, ac omnia & singula in eis contenta, auctoritate prædicta, tenore præsentium, ex certa scientia nostra, approbamus, collaudamus, ac præsentis scripti patrocinio, communimus. Hortantes plurimum in Domino, omnes & singulos, vtriusque sexus, Christi fideles vbilibet constitutos, vt tam piis documentis & Exercitiis vti, & illis instrui deuotè velint. Necnon concedentes, vt huiusmodi documenta & spiritualia Exercitia imprimi, à quocumque Bibliopola per prædictum Ignatium eligendo, libere & licite valeant. Ita tamen, vt post primam editionem, sine consensu eiusdem Ignatij, vel successorum eius, nec ab hoc, nec ab alio omnino, sub excommunicationis & 500. ducat. piis operibus applicandorum, pœnâ imprimi possint. Ac mandantes nihilominus vniuersis, & singulis locorum ordinariis, ac personis in Ecclesiastica dignitate constitutis, & Cathedralium, ac Metropolitanarum Ecclesiarum Canonicis, & earumdem ordinariorum Vicariis, in spiritualibus, generalibus & Officialibus vbilibet constitutis, quatenus ipsi, vel duo, aut vnus eorum, perse, vel alium, seu alios, cuiuis de Societate prædicta, vel aliis, quorum interesserit in præmissis spiritualibus Exercitiis, efficacis defensionis præsidio assistentes, faciant auctoritate nostra illos dicta concessione, & approbatione pacifice frui, & gaudere: non permittentes eos, per quoscumque, contra præsentium tenorem quomodolibet molestari: contradictores quoslibet, & rebelles, per censuras, & pœnas Ecclesiasticas, ac alia opportuna iuris remedia, appellatione postposita compescendo: inuocato etiam ad hoc (si opus fuerit) auxilio brachij sæcularis. Non obstan. fel. rec. Bonifacij Papæ VIII. Prædecessoris nostri de vna, & Concilij generalis de Duabus diætis, dummodo vltra tres, aliquis, auctoritate præsentium, non trahatur; & quibusvis aliis constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis cæterisque contrariis quibuscumque. Aut si aliquibus communiter vel diuisim ab eadem sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari

municari non possint per litteras Apostolicas, non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum, de indulto huiusmodi mentionem. Volumus autem, quod præsentium litterarum transumptis, manu Notarij publici subscriptis, & sigillo alicuius Prælati, seu personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ, munitis, plena fides vbique habeatur & illis stetur tam in Iudicio, quam extra, ac si originales Litteræ exhiberentur, & ostenderentur. Datum Romæ apud sanctum Marcum, sub annulo Piscatoris, die vltimo Iulij, millesimo quingentesimo quadragesimo octauo. Pontificatus nostri anno XIV.

BLO. EP. FVLGINEN.

XX.

Secura quam tenet Societas pietatis via & quam sæpe Exercitiis vtatur. Franc. Annat. c.8. l. vlt. Aug. à Baian. vindic.

Ita demum os aduersariis vel occlusum, vel factum ne posthac auderent, quod Petri Sedes comprobasset, absque temeritatis nota & maledicentiæ, damnare, aut carpere. Ex eo diplomate duo consequuntur momenti ad veritatem grauissimi. Primum, (quod notat illustris Theologus & in nouarum hæreseon expugnatione, posteris memorandus) Baij sequacibus, missum videri non debere, si suis artibus disturbandis, euertendisque machinis, aduersarios potissimum senserint ex Ignatij familia socios. Habent enim Exercitia S. Patris tum quatuordecim Regulas discernendorum à fallacibus, & dubiis, piorum diuinorúmque spirituum; tum decem & octo alias, cum Ecclesia Catholica sentiendi; quæ multa continent falsis & Baij dogmatis, & recens damnatis Iansenij erroribus planè opposita; sunt tamen eæ Regulæ supremi quam retuli auctoritate oraculi, clare adeò disertéque probatæ, vt dixerit Pontifex, *Documenta, & Exercitia prædicta, & singula in iis contenta, auctoritate prædicta, tenore præsentium, ex certa scientia nostra, approbamus, collaudamus & præsentis scripti patrocinio communimus.* Ergo illa quam impetierant doctrina cum esset nobis hæreditaria, & patrimonij iure, ab ortu debita, omnino à nobis defendi eam opportuit ab iniqua vsurpatione, nec possunt sperare fore vnquam ex hac familia iuris huius præuaricatorem, & transfugam, nisi se eadem opera degenerem profiteatur, & spurium. Nec illud alterum ex duobus, quæ sequi dixeram, habendum minoris, quod via quam tenet ad virtutem, pietatémque Societas, auctoritatem hinc etiam nacta est securitatis non dubiæ, cum tota iis constet regulis quas sanctissimus Fundator, eo libello consignauit. Hoc verò quanti sit, ob periculum exerrandi, si quis seipsum sectetur ducem, aut calles ineat parum tutos, fidem facit Ioannes Auila, magnus ille in diuinis præceptor, solitus nostris ingerere quantas Deo deberent gratias, quod ab ipso primo in Societatem ingressu, certi essent se iter ingredi, securi ad perfectam virtutem ad quam vocarentur successus, sibi multo secius euenisse, vt qui sæpius se hallucinatum in orandi modo, suo damno, sed diu post, animaduertisset. Nam vtcumque nunc passim in externis, (qua causa non dixerim) non sit Exercitiorum tam frequens vsus, vt olim fuerat, cum vel Parmæ tantum, centum simul iis operam dabant, Petro Fabro

Fabro, & Iacobo Lainio manuducentibus; viget tamen in Societate perpetuus, & processu annorum euasit stabilior. Primum enim iis sub ingressum nouitij excoluntur, quasi rudiario humanis mundique inaniis auulsu: quod stoliditati attribuens Caluinus, velut à fœce perturbationum momento purgatos, in sanctimoniæ adyta mitteremus, ita scripsit. *Omni rationis specie caret eorum deliramentum qui vt à pœnitentia exordiantur, certos dies suis Neophytis præscribunt per quos se in pœnitentia exerceant, quibus demum transactis, in Euangelicæ gratiæ communionem ipsos admittunt, de plurimis Anabaptistarum loquor: iis præsertim qui Spirituales haberi mire gaudent, eorumque sodalibus Iesuitis, & similibus quisquiliis*; sic ille supercilioseè, breue id pœnitentiæ spatium, quia scilicet breue est condemnans. Repetitur verò ab tyronibus idem labor priusquam Deo ac religioni, votorum nuncupatione se obstringant; à sacerdotibus ante sui consecrationem; ab auditoribus scholarum post absoluta studia per mensem integrum; ab omnibus denique in Adiutoris, aut Professorum gradum destinatis. Præter quæ septima Congregatio Generalis (quod sexta decreuerat) neminem voluit ab annuo penso Exercitiorum immunem haberi, quicumque iis tandem, & quacumque occupatione teneretur, quod incredibili accuratione Societas pergit exigere, nullo legis priuatæ interpretamento: nempe P. N. Ignatius hoc ministerium (verba sunt Mironi quem paulo ante retuli) pluris quam dici possit æstimauit, dictitans hæc esse Societatis arma, quibus tantum roboris indidisset Deus ad gloriæ suæ procurationem; nec passus est vnquam persuaderi sibi vt diuersum ab iis orandi stylum vel doceret, vel inter nos induci sineret. Hæc prima nouitiis præcepit spiritus rudimenta quibus ad religiosam vitam fingerentur; hinc posse censuit in perfectos viros tuto euadere; hinc etiam, si Deus annueret, sublime Orationis fastigium prehendere; his, quem forte notasset intepuisse in animi sui cura, vigori pristino reddere consueuit, atque vt verbo complectar omnia, hinc à nobis trahi interioris vitæ animam optauit.] Ita quidem Mironus: Sed quia magnopere interest vt siue externis seu nostris Exercitia tradituras, rite id faciat, Romæ statim à morte S. Ignatij prima Congregatio generalis colligendum decreuit ab experientissimis quibusque, quicquid huic operæ, valdè profuturum, vel obfuturum, videretur; cui libello Directorij præfixum nomen: ac velut id parum sufficeret, ab Societate vniuersa mandatum est, adnotaret quisque, si quid ei libro addendum, detrahendúmve iudicasset, iteratísque ad vltimum adnotandi, & retractandi curis, Generali Claudio Aquauiua, liber editus est qui nunc habetur præ manibus. Nec illud omiserim Generalis eiusdem communi ad Prouinciales Epistola an. 1599. data, exstimulatam vehementer superiorum charitatem, ad excipiendos domi qui cuperent Exercitiis iuuari, negligendásque ad hoc propenso animo vel sumptus domestici, vel incommodi rationes; cum apud homines quales esse nos decet, anteponendum ijs esset tam efficax bonum salutis proximo parandæ; auctor quin etiam idem fuit, vbique apud nos in hoc

l. 3. Inst. c. 3. §. 2.

opus

opus seiuncta conclauia aptari, & in ædificandis Collegiis designari.

Atque hoc fuit approbationis, & securitatis, Societati lucrum ex insectatione, damnantium, vel despuentium Exercitia S. Ignatij: sed fuit haud pridem vice versa, qui nimia illorum æstimatione, maiorem iis (si res processisset) iniuriam, non minore damno molitus est. Videns enim quos fructus in Ecclesia tulissent, quanta esset illorum apud omnes existimatio, conatus est illa Societati eripere, & Garziæ Cisnero Benedictino Abbati vindicare ex cuius aiebat *Exercitatorio*, magnam partem essent ab S. Ignatio descripta. Et architectatus est in eam rem librum futilibus nixum coniecturis, quibus veri fundamento cassis, breui hæc machina ruinam trahens Architectum oppressit. Rei seriem in pauca confero. Diximus S. Ignatium ex paterna domo, Monserratum profectum, vitam omnem apud Ioannem Canones Monachum S Benedicti confessione sacra expiasse; fuisse ab illo sanctis consiliis in suscepta virtute institutum; addo forsitan ad hoc & librum aliquem, ac si lubet hoc ipsum quod commemoratur Exercitatorium accepisse. Ex his nescio quis, quodcumque huic nomen, libros scripsit duos, indicem hunc facit. *De religiosa S. Ignatij siue S. Enneconis Fundatoris Societatis Iesu, per Patres Benedictinos institutione, deque libello Exercitiorum eiusdem ab Exercitatorio Veri serui Dei, Garziæ Cisneri, Abbatis Benedictini magna ex parte desumpto.* Ex quo patet probare conatum, de Cisneri libro S. Ignatium magna ex parte Exercitia sua exscripsisse, proinde, vt planè sequitur non sua, nisi si alieni iniustus occupator, vocari possessor legitimus debeat. Qui enim potuit diuinorum rudis, inquit ille de cultu intimæ virtutis tam exquisita peritia, & cohærenter adeò scribere? vnde porrò illi in tractandis animis experientia, qui delituisset eatenus vel inter mendicos, & ægrotos in Nosocomio; vel in solitario cauo eremita? ex Cisnero igitur librum illum descripsit. Hoc verò nec vnum, nec tamen grauissimum eorum quibus S. Ignatij gloriam, eiusque Ordinem is liber perstringit; sed cum ab sacra Indicis Congregatione notatus sit, vnaque ex hominum oculis, & memoria erasus, nullam sui deinceps meretur mentionem. Ad Exercitia quod spectat, hoc solum dixero, si quid valent quæ ante retuli, euidentissimè ex iis oppositum confici, Ignatium scilicet ex Cisnero Exercitia nec descripsisse neque compilasse: nihil quidem verius, quam oportuisse illum aliunde id haurire in quo ipse nec satis versatus, nec per se sat esset eruditus, vnde verò, & quonam id modo? dicant eius fidei testes, quam Illustrissimi Ro. Rotæ auditores, nominis sui pondere commendant. *Cum dicta*, inquiunt, *Exercitia facta fuerint eo tempore quo dictus B. Pater erat idiota, & literarum ignarus, vtique cogimur fateri dictam cognitionem, & lumen supernaturaliter infusa potius, quam acquisita fuisse.* Quæ vox de iis auctoritatibus deprompta, & ab iis auctoribus edita quibus rei commissæ grauitas veri necessitatem imponebat, apud quemlibet cordatum plus debet posse quam vt velit certioribus confirmari. Habemus tamen S. Ignatij intime conscios, & familiares Iacobum Lainium, &

XXI. *Calumnia moderni vsurpatoris Exercitiorum, falsi damnata.*

Ioannem Polancum à quibus extra ambiguum nobis traditum est,S.Ignatio in Exercitiis componendis magistrum primarium præter Deum fuisse neminem , documenta præterquam è cœlo fuisse nulla : nec desunt vitæ sanctissimæ homines , idem diuinitus edocti, quos & longum referre , & mihi non necessarium, testimoniis nixo iuridicis , dum ageretur de illo in sanctorum album adscribendo : illud potius necessarium meminisse quod disertè nobis consignarunt qui ex ipsomet audiuerant ; vt nouis subinde radiis illuminatior, de diuinis plura cognoscebat, sic libro Exercitiorum noui semper aliquid addidisse, donec qualem habemus perficeret.Ex quibus egregiè, ambigentibus fit satis , quî potuerit tam absolutum opusculum prodire ab homine neque literato , nec regendis animis assueto, quî vero etiam eiusmodi cum esset,vti potuerit Conciliorum,& Patrum locis,& boni malique spiritus naturam statis discernere regulis,quæ nisi ab apprimè docto,& interioris hominis gubernatione iam longa trito , præstari nequeunt. Manresæ siquidem dum solus ageret. *Ex iis quæ diuino magisterio didicerat* (quod coram Gregor. X V. ex authentico relatu Illustriss.Ro.Rotæ Auditorum, confessus Pontificij dixit Aduocatus de illa tractans Manresana sancti commoratione) ex iis inquam præcipuas , eo quem exposui ordine descripsit Exercitiorum partes;quibus deinde veluti substructis inædificauit semper totis quinque, & viginti annis,ad 1548.quo Pauli I I I. auctoritate communita in lucem exierunt ; diuque iam interioris vitæ œconomiam vsu ipso perdoctus , nouas iis adiunxit regulas,quas Additiones vocauit;& iam Theologus,varios ex Conciliis , & Patribus textus;hinc eo Pontifex , quod paulo ante exscripsi diplomate, *Documenta* nominauit ,*siue Exercitia spiritualia ex scripturis , & vitæ spiritualis experimentis elicita, & in ordinem ad piè mouendos fidelium animos aptissimum redacta* , qualia videlicet tunc erant, cum à Duce Francisco Borgia ea acciperet supremo suffragio confirmanda ; non autem qualia fuerant cum Manresæ primum à sancto fuerant conscripta. Ergo Ignarius neque ab vno se , Exercitia protulit ; sed neque ab Cisnero ; quod adeò liquet inter se vtraque componenti (esto materiæ aliquid commune habeant) vt arcem Regiam liquet à Palatio differre,licet portas & muros vtraque habeant. Vbi enim in Exercitatorio Cisneri meditatio Fundamenti,de fine in quẽ conditus homo est,quod est.Exercitiorũ S.Ignatij principiũ, ad extricãdum absæculariibus animũ,vt ab initio in nullum eorum propendeat:Vbi de duobus Vexillis,ad afficiendos ad Christi vexillum animos ? vbi alia de tyranno, & Rege, ad præcipiendum belli vtriusque euentum , & præmia ? vbi stabilis vitæ Electio ; totius pars maxima, in quam tendunt quæcumque præmissa sunt ? vbi modus orandi triplex? vbi conscientiæ Examen singulare ? (de quo commodius alibi) vbi tot Additiones & regulæ ad secernendos inter se spiritus ; ad correctionem scrupulorum;ad ordinandam in posterum vitam ; ad sentiendum cum Ecclesia Catholica;ad sua in pauperes cum fructu eroganda ? Estne horum quicquam in Exercitatorio Cisneri ? estne reliquorum quæ sunt S. Ignatij Exercitiis propria , & repeti ob prolixitatem absque tædio non possunt:materiam tamen dumtaxat attigi;nam si modus, & partium inter se

spectetur

ſpectetur commiſſio quæ S.Ignatij Exercitia in artem quam antea deſcripſi, formámque concinnat; quæ vel vmbra iſtorum in Ciſnero? quidve horum ſat vidit illius propugnator vt apud Ciſnerum id inueſtigaret.Eſt tamen hæc ſumma Exercitiorum,hæc germana illorum & tam propria ratio; vt eadem licet eorum materia, vel temerè, vel diuerſo ab iis ordine digeſta, non Exercitia Ignatij,ſed alterius generis conflatura in librum,natura,& efficientia ab iis diuerſum. & eſſe planè oportuit memorem, quem huius tuendæ falſitatis prurigo inceſſit,ex varietate effectorum,quàm tutò aſſeratur cauſarum diuerſitas, & demonſtrare ab Exercitiis Ciſneri eas morum vbique commutationes profectas, quæ ab Exercitiis Ignatij tam arduæ tantóque numero factæ ſunt vt propterea incantamentorum, & magiæ ſuſpicionem quibuſdam facerent. Cæterum ſecluſo quovis argumento ex cauſæ huius viſceribus vtrimque nato;ægrè admodum ſit,multis,iiſque grauiſſimis quod mendacio finxiſſe,vel ſtolidè creduli dicantur putaſſe, hoc eſſe Ignatij opus.Franciſcus Borgia,dux Gandiæ,tum Religioſus,nunc Beatus,hoc Paulo III. obtulit approbandum,pro vero Ignatij partu(quod ipſa quoque ſignificat bulla) vt quem pro ſuo Ignatius Franciſco tradiderat. Decepit igitur aut Pontificem Borgia, aut ipſe à ſancto deceptus eſt,at quali? & quàm induſtrio in ſubducendis ab luce hominum, & deflectendis in alios rebus ſuis præclaris;ita vt iam propè confectas, attexere alteri niteretur, ne qua inde ad ſe gloria rediret. Familiæ ipſius cuius fuerat parens,ne parens,& Fundator audiret,nomen eſſe voluit, quod nihil penitùs de Ignatio ſonaret. Iam ſi de Ciſnero Exercitia non dicam integrè,ſuffuratus;ſed quantùm ſufficiat ad ea Ciſnero adſcribenda;illa ſcilicet ſibi adſcripſiſſet?ſi verò non adſcripſit,quem tandem illorum cenſeri auctorem voluit, præter Deum, quo præceptore illa didicerat. Sed nimium quantum Ignatij interèrat,ne ab ſe is liber abiudicaretur,qui ſibi(quod omnium cupidiſſimè optabat) obtrectationes, probra, accuſationes veneficij, & hæreſis, carcerem, catenas, alia ſexcenta inſectationum cruciamenta lucri fecit, quæ illius cauſa pertulit æquiſſimo animo; cum nihil magis in promptu eſſet, quàm vno Ciſneri titulo ea redimere, cuius pridem opus ſine ſuſpicione legebatur.Verùm etſi tantus ſui contemptor Ignatius non fuiſſet, vt etiam propria libenter aliis vellet attribui,an & veri, & æqui pariter contemptor? an ſui,& generis immemor? Proiecti ruboris hunc eſſe oportet qui alienam lucubrationem ita venditat pro ſua,vt eo adhuc etiam puero auctoris iam nomine celebratam, poſſit quivis è vulgo, ei exprobrare, rapto magis quam furto vſurpatam. Quod igitur ferri iudicium debeat,non tam de obiectis S.Ignatio,quàm de illorum ſcriptore,& actore, manifeſtè opinor defenſiones probant,quibus hactenus ea depulimus,vtpote ex libri vtriuſque,vario inter ſe diſcrimine petitæ,ex S.Ignatij virtute,ac genio; ex fide teſtium in decernendo illi ſanctorum cultu iuratorum; ex Illuſtriſſimis Ro.rotæ cognitoribus,quorum is qui acta omnia in grauem & ſolidam cauſæ totius cognitionem Paulo V. oblatam redegit, fuit qui nunc ſedet Innocentius X. ex relationibus item coram Gregorio XV. in Pontificio conſeſſu priuatim ac publicè editis, ex luce demum quam archiuij noſtri,

valdè claram manuscripti ingerunt codices, quos exscribere hoc loco, quàm prolixum, tam foret superuacaneum. eam ob rem scriptoris, qui contra ius omne officij, nomen Religiosi Cassinensis assumere ausus est, inuerecundiam sapiens illa & venerabilis Congregatio non tulit, præter quod etiam magnam animaduertit iniuriam fieri religiosæ familiæ, nihil tale commeritæ, sed semper, (vt & in posterum) tum officiis obsequenti, tum spiritu filiæ. quare in conuentu Generali quem anno 1644. Rauennæ habuit, placuit communi decreto, Societati & omnibus testatũ facere quid de illo contra Exercitia opere, quid de operis auctore sentiret, quod sic præstitit luculenter. Cum nobis relatum fuerit libellum quendam, sub nomine D. Constantini Caietani Monachi Cassinensis, & Abbatis fuisse impressum, Societatis Iesu existimationi insigniter præiudicialem, doluimus sanè, provt par erat, vehementer hominis leuitatem, & audaciam (siquidem talis scriptionis est auctor, quod nobis difficillimè persuaderi potest) summopere admirati, ac vt religiosissimis Societatis Patribus, qui tanti à nobis fiunt quanti egregiam ipsorum virtutem, ac doctrinã fieri æquum est, per nos satisfiat, & cæteris omnibus cõstet, inconsultis nobis, ac planè insciis prædictum librum prodiisse in lucem, per occasionem nostrorum comitiorum, in vnum congregati, istud ipsum, publico vulgare edicto, ac contestari statuimus; addentes insuper, præfatum D. Constantinum, quod extra Cõgregationem nostram multis ab hinc annis pontificia auctoritate degat, potestati nostræ non amplius, quam alium quemvis alterius religiosi instituti professorem, subiectum esse. quare, si quid ab eo in hoc genere peccatum est adhuc, vel imposterum (quod Deus auertat) peccari contigerit, tùm ipsos Societatis Iesu alumnos, tùm alios quoscumque omnes, enixè rogatos volumus, vt certo sibi persuadeant, communi totius Cõgregationis sensui, & peculiari in Societatem Iesu obseruantiæ id omnino aduersari, ac repugnare. Datum Rauennæ in nostris generalibus comitiis, die 23. Aprilis 1644. D. Horatius à Volaterris scriba capit. Quòd autem incautius Leo à S. Thoma, scriptor Benedictinæ Historiæ, Lusitanæ in eam eadem transtulisset, ratus librum nomine Abbatis Constantini Caietani, nihil habiturum in re tam lubrica, nisi saltem probabile; hunc vnius lapsum Congregatio Lusitana communi consilio emendauit; lecto enim decreto Cassinensis quam vt parentem reueretur; suspicata primum, post facta certior quod res erat, vnius errorem suffragiis omnium damnauit. quare Reuerendissimus P. M. D. Antonius Carnerus, Generalis Abbas Benedictinæ Congregationis Lusitanæ cum Patribus Ordinis definitoribus, sequenti testificatione factum cumulatè purgauit. Cum nostra Benedictina Congregatio Lusitana, summo semper, vt par est studio, & reuerentia Doctissimam, & Religiosissimam Patrum Societatis Iesu familiam prosequuta sit; idque omnes Christianæ disciplinæ, nedum arctioris instituti sectatores deceat, vt charitate simul ambulantes, honore sese inuicem præueniant; testamur nos infrà scripti prædictæ Congregationis, Abbas Generalis, & definitores, ad hoc specialiter congregati, in libro inscripto, Historia Benedictina, vernaculo idiomatè Lusitano, nuper edito à nostro Reuerendo admodum Patre Magistro Leone à

Sancto

Sancto Thoma, Congregationis nostræ Lusitanæ Monacho, & in Conimbricensi academia primario Theologiæ Professore, nonnulla referri ex Constantino quodam Caietano, nostræ item Cassinensis Congregationis Monacho, quæ vt prædictæ religiosissimæ Societatis existimationi aduersantia, sic minus probabilia quam fides historiæ postulat, ab ipsa Congregatione nostra Cassinensi (quam vt parentem libenter veneramur) decreto publico indicata iam sunt. quocirca, ea, vt sine fundamento relata, certè à communi Congregationis nostræ sensu aliena, declaramus. In quorum fidem, testimonium hoc scribi iussimus, & nomina nostra subscripsimus, Religiosos Sacræ dictæ Societatis Patres enixè rogantes, vt de antiqua illa nostra in ipsos, quam hactenus experti sunt, obseruantia, nihil detractum, vel diminutum fuisse, vel etiam in posterum fore, sibi certo persuadeant. Datum in hoc nostro Monasterio Tibanensi, die 29. Octobris, anni 1645. Magister F. Antonius Carnero, Abbas Generalis. Hæc tam insignia Venerabilium S. Benedicti Monachorum voluntatis summæ erga nos monumenta, eos toto statim per Societatem orbe, motus fecere animorum, vt ad Conuentum Generalem anno 1646. Romæ congregata publica comprobatione decreuerit, Congregationi vtrique Cassinensi, & Lusitanæ, agendas communi nomine amplissimas gratias, pignori futuras nexus perpetui, quo vtrique Societas æternũ tenebitur. Vtque amor veri, & consensionis mutuæ studium nihil possint, non feret profecto Ordinis vllius prudẽtia priuati cuiusquam cæco arbitrio, nunc pacem Ordinum, nunc famam proscindi, serendis rixis, & litibus, quibus interdum ad tuenda sua qui perperam icti sunt coguntur apologiis armari, vnde haud raro grauius saucij exeunt prouocantes, quàm iniuriosè prouocati. Pariunt hæ contentiones (quod vtinam certa non firmaret experientia) offensiones in publicum, in Ecclesiam damna; & si causam priuatam, tota Religio suscipit, timendum magnopere, ne priuatos quoque publica dissidia vellicent, quasi communium partium sequaces. Sed iam facta Ignatij repetamus.

XXII. *Manresa discedit Ignatius, Nosocomium & spelunca in quibus egerat, venerationi sunt.*

Plus decem mensibus Manresæ egerat, prima pietatis tyrocinia, partim in domicilio pauperum, partim in spelunca cum fructu posuerat; qui locus ad pœnitentiam mirè aptus inquilino suo moras illic suadebat longiores, nisi quæ sanctis solet esse importunissima, inde illum sui reuerentia fugasset, quam tota iam ferè prouincia vitare non poterat; fiebat ad eum concursus in dies auctior; frequentabatur eius specus, itantis ad pias circum stationes, ponè vestigia legebantur; ac si vetaret, interpellandi metus accedere propius, obseruabatur procul curiosè, nec amouere ab se vllo pacto, nec declinare molestiam sinebatur: accedebat quietis alienæ, famæque ratio, multos enim ardore incenderat pietatis minime vulgaris, quibus ex prima Exercitiorum cultura fixum erat aliam deinceps conditionem viuendi quærere, legitúrque in actis, Manresæ, cum eò venit Ignatius, ægrè Deum sat notum fuisse; cum inde abiit, magna sui parte fuisse sanctam. Verùm improbissimi nebulones, siue bonorum probitate rati sua flagitia perstringi, siue sua quapiam alia ex causa, eorum complures vulgo probrosè infamabant, & pessimis modis

insectari pergebant. His ad discessum motus Ignatius, incitatus præterea est multo acrius, studio visendi loca sancta quod ille iam cum se Deo dicasset, conceperat animo : nec illum tam veneratio in monumenta illa Christi vestigiis adoranda;quàm ingens desiderium trahebat Christi orientalibus prædicandi. Hic vbi Manresæ discessus percrebuit, mirum dictu quam multi, quantis & precibus, & lachrymis, & obiectis quæ aditurus esset periculis auocare à cæpto contenderint. Sed obsurduerat hominum vocibus, qui Deum audiret contraria monentem : quibusdam vero inter amicos lectissimis, qui esse illi comites ambiebant, constanter respondit, nolle se alios itineris socios,præter fidem,quam sequeretur ducem;spem quæ sibi deesse nihil sineret;charitatem,quæ incomitatum relictura non esset ; quare nec in viaticum subsidij ex eleemosyna admisit quicquam,ne pleniore Dei fiducia careret,si humanam opem, comitis,& pecuniarum ei adiunctam vellet. Impetratum ex eo id tantum, vt deposito cum catenâ sacco vestem indueret clericalem,sed breuem,& vili crassóque ex panno;ita lugentibus,& frustra morantibus discessum Manresanis, Barcinonem contendit: illic Agnetem Pasqualiam nactus, cuius olim sollicitudine, hospitio pauperum Manresæ exceptus fuerat, eadem apud sacerdotem ipsius germanum tamdiu diuertit, dum illi portui, pestilentiæ suspecto, commerciorum rediret securitas, possétque Italiam versus nauim conscendere.Mansit tamen Manresæ locis veneratio quæ fuerat præsenti exhibita : redibant animo lacrymæ,ieiunia, cruentæ flagellationes, precationes, incensi de diuinis sermones, peregrinationes, & alia quibus illa tam diu consecrarat, visebantur velut sanctimoniæ insignia, tandémque publici honoris illustri decorata epigraphe ; & cultu dedicationis qua in vsus sacros ex profanis translata Deo addicto sunt. Pro Nosocomij foribus in quo sancti ardoris primigenios ignes effuderat posita pyramis hoc elogio insculpta.

Ignatio Loyolæ, Beltrami filio, in Guipuscoa nato, fundatori Clericorum Societatis Iesu, qui anno ætatis trigesimo, in propugnanda Pampelonensi contra Gallos arce, fortiter pugnauit, indeque lethaliter saucius, & singulari beneficio sanatus, desiderio ardens sacra Palæstinæ visendi loca, in ipso itinere, castimoniæ voto se obstrinxit ; & Montisserrati consecratis in templo, Beatissimæ Virgini, quæ tanquam miles ferebat, armis, sacco, & cilicio opertus ac propè nudus, cæpit hoc loco vitæ anteactæ peccata lugere, nouúsque iam Christi miles, ieiuniis, lacrymis, orationibus à seipso vindictam exigere ; tam illustris facti monumentum, in Dei gloriam, & Societatis splendorem

Ioannes

Ioannes Baptista Cardona Valentianus, Episcopus Vichensis, & Tortosanus Electus, eiusdem Patris sanctimoniæ, & Ordini addictissimus hunc lapidem posuit tanquam viro piissimo, & de tota religione Christiana benemerito.

Nosocomium vero ipsum Societati in Collegium cessit, ægrotis intra oppidum commodius locatis: angustum conclaue vbi dies octo in ecstasi fuerat, in piam ædiculam mutatum: spelunca tot eius voluntariis pœnis, & visis cœlestibus nobilis; eleganter strata, & quoad licuit, ornata ne cum saxi deformis natiua specie, religiosus illius horror tolleretur. Spectatur ibidem tabula opus non imperitæ manus, hæc Dei famulum exhibet, qualem olim cauerna incolam habuit passo temerè capillitio, vultu exsucco & pallido, sacco tectum, catena præcinctum & nudis pedibus, coram Deipara infantem Iesum brachiis complexa, de genibus nixum, defixos habet in eam oculos, dextram sustinet extans petra, quasi scripto Exercitiorum dictata excepturam quæ peculiari Christi, & Virginis instinctu illic creditur accepisse, legiturque his verbis in coronide tabulæ.

Hoc loco S. Ignatus, anno 1522. librum Exercitiorum composuit, qui primus fuit librorum à Societate scriptus, & approbatus est Pauli tertij Pontificis diplomate.

Illic item magnis honoribus colitur Christi effigies de cruce pendentis, palmi ferè vnius, ex petra cui incisa est dimidio eminens. hæc dum Ignatius Manresæ degeret, basi imposita, regiæ imminebat viæ, Barcinonem ducenti ad commeantium pietatem; inde aliquot annis, haud scio quo casu, deiecta, iacuit aliquamdiu, donec Thomas Fadreus Canonicus, sublatam, domi suæ habere voluit, postea tamen venerationis maioris sensu quodam permotus, in specu Ignatij fissæ rupis hiatu ad læuam altaris excepit, addens fore tempus quo summis honoribus tota vicinia coleretur; quod facilè pro vaticinio à multis creditum quibus Canonici nota erat pietas singularis: & cœpit euentus, dicti fidem præstare anno 1627. dum enim pridie S. Ignatij, sacri cantus in sacello complentur, & stipant proximam Ignatij specum quotquot in eam subire potuerant; ecce tibi primum ex plaga lateris crucifixi, fluere sanguis tam recens, & vegeti roboris, deinde ex manibus capitisque punctionibus, vt viuo ex corpore fluere videretur. Nihil omissum est ad deprehendam noui ostenti causam; donec absque vlla dubitatione compertum tandem est, fingi præter miraculum nullam posse, pro quo sedecim testes dixere iuridicè, ex quibus Canonici duo, Doctores medici tres, Iurisperitus vnus, & rubent hodiéque vestigia sanguinis maximè à latere, ad pedes deflui. Commendat autem mirificè sanctitatem loci, fidelium pietas quos ad eum sancti memoria

magno

magno concursu venerabundos trahit,iámque vsus ferme in legem abiit, vt qui Monserratũ ad Virginem adit, insalutata Ignatij spelunca,tribus dissitis leucis non redeat: quod spatium à multis præ reuerentia nudis pedibus obitur, nec deest sua pietati merces; soli enim ramenta peregrini; & de rupe asslulas referunt,quibus efficacissimis,vtãtur præsertim aduersus fascinationes,& veneficia.Anno quidem 1603. Margarita Austriaca, Regina, imminente partu, lapillum optauit ex Ignatij spelunca,vt fauentem de more parturientibus,sibi quoque propitium faceret.Verum antequam ornaretur,& communi pateret venerationi indicauit successu mirabili Deus,quanto esset honore digna. Iuuenes octo impudici, cum eiusdem farinæ scorto Manresa progressi, locum turpitudini suæ arbitris vacuum dum quærunt, cauernam subeunt, ignari fuisse Ignatij,vt ex vno illorum rescitum est: sed qui cubiculum vbi primos nouæ vitæ satus Ignatius hauserat, non est passus fœdari probrosis flagitiis, speluncam frequenti Virginis specie,& sancta in corpus proprium crudelitate dedicatam, ab eiusmodi spurcitia immunem seruauit. dum enim facinus attentant iuuenes scelerati, cadauerum instar stupere membra, & emorisentiunt, horrore insuper nulla ex causa repentè coorto, extra specum impuri, canes exturbantur.

XXIII. *Ignatius in Palæstinam contendit singularis Dei in eum tutela Barcinone, Patauij, Venetiis, & mari.*

Cæterùm Barcinone subsistens Ignatius,dum per suspiciones pestilentiæ, liceret in Italiam transmittere, nullum sibi tempus otiosè abire passus est: cursare per Nosocomia, itare in carcerem, miseris illis omni consolatione, omni ope adesse,nec tamen de quotidianis septem precandi horis,quicquam minuere;mendicato quoque per vrbem, pauperibus stipem corrogare, de se vero,& viatico, & naulo tam esse sine cura, vt si thesaurum in Dei manibus haberet depositum, suis vbique sumptibus consulturi:& nitebatur planè dispensatore Deo,hoc ipso quod totas in eo spes suas locauerat,quæ mox quam essent in securo sitæ,sic illum docuit. Sedebat in turba puerorum, ex suppedaneo altaris concionem cum illis audiens: Isabella Rosella,matrona nobilis, coniectis fortè in illum oculis, videt eius vultum circumfuso splendore radiantem, simul audit interius, hominem aduocaret,vnaque intelligit, sub neglecto illo & vili panno, magnum Dei famulum latere:illa vt erat valdè prudens,tunc quidem nihil mouit;sed domum reuersa viro narrat, quicquid visu,& mente cognouerat.vtriusque mandato quæsitus domum Ignatius adducitur,& simulata in pauperem beneficentia,mensa excipitur vt sanctus.ibi ex condicto in sermones de Deo ab iis coniectus,pro solito suo,ita disseruit, vt multo clarius,ex luce inde sibi oborta,quam quæ emicuerat ex eius facie, verè perspicerent hominem esse diuinis opibus locupletem,grandi sibi bono ducturi si possent illum domi perpetuo tenere Sed cum aduertissent in Palæstinam animum obfirmasse,iámque sibi locum in myoparone versus Italiam parasse,motu magis diuino,quam quod res magnopere suaderet, rogare institit matrona, ne tam periculoso nauigio committeret sese, cum posset naui se tutius credere, quæ breui esset transmissura, se vero de necessariis ad iter, suo sumptu visuram. mouit idem haud dubiè, ad piæ fœminæ admittendas preces Ignatium, qui eam impulerat ad rogandum; dempto tamen naulo,

quod

quod sibi ab nauarcho donari propter Deum omnino voluit, nec ægrè subinde soluens Myoparo, vix erat in altum prouectus cùm fera correptus tempestate in conspectu portus obrutus periit, omnibus & vectoribus, & nautis, excepto nemine pariter demersis. Nauim autem priùs quàm Ignatius conscenderet diu secum ipso iurgatus est, nauarchus siquidem etsi condonato naulo, volebat tamen illum de suo in naui habere quod ederet; id licet exiguum, breue iter aggresso, & quotidie ieiunanti, sed hoc diffidentiæ maioris sancto videbatur, quo erat viliùs cuius causa cessaret suspensus in omnibus à Deo viuere. Optasset etiam in naui mendicare, Deique impensis quæ solæ ipsi sapiebant, in mari agere, nam quod sibi ex amore in Deum porrigebatur frustum panis putabat porrigi ab ipsomet Deo, quare vt acquiesceret nauarcho, necesse fuit ab confessorio cuius nutum vbique pro lege sequebatur, securum fieri, nihil sibi eo viatico de sua in Deum fiducia decessurum. Id saltem euicit, vt repudiata Rosellæ largitate, ostiatim illud corrogaret, in quod etiam visa est peculiari cura, prouidentia diuina ludere: mendicanti enim occurrit quærere ex nobili fœmina, cui Zepilliæ nomen. Huic erat filius qui relicta matre, ac paterno lare vagus, propudiosæ obcaluerat mendicationi. Hæc Ignatium contuita, & ex ore, statuque honesto, non frustra coniiciens nobilius aliquid reipsa tegere, quam quod stipem rogando præferebat, acerbo dolore abripi, & recurrente filij specie, quem videre in Ignatio videbatur; pessimis modis illum excipere, exprobrare illi sceleratam ignauiam, erronem profugum, nihili, & eiusmodi honorum titulis decorare, quam indignantis eleemosynam, quauis alia cariùs, gratulatus sibi Ignatius, tamdiu sustinuit, quamdiu illi furere libuit. Tum actis placidissimè gratiis, subdidit; bellè quæ diceret, in se omnia quadrare; nec ignauiorem, nec peiorem se quemquam vsquam nosse, quæ verba & animi sensu eo sui pudore dicere visus est, vt si ex imo pectore rumperentur. Hoc tam insperato demissóque responso confusa mulier, dictíque pœnitens, intellexit non esse Ignatium qualem mente præcipiti finxerat, mutatóque in reuerentiam contemptu, misit qui panes ad eum deferret, excusarétque inconsulti doloris, & iudicij culpam, quæ sibi verba tam cruda expressisset. Narrabat autem hoc vulgò mulier, præcipuo affectu pietatis colebátque postea reducem ex Palæstina Ignatium adeò propensè vt sanctus eius consiliis plurimum vteretur, ita commeatu, Deo ipso curante instructus est; pecunia tamen quam piorum coactu admiserat, ne ab nautis quidem emereri voluit, quò humaniùs tractaretur, sed eam in littore abiecit, illius futuram cui primum Deus illam obiiceret fuit nauigatio vi ventorum præcipitata magis quàm prospera; quinto die Caietam appulit, illic vicini diuersorij stabulo cùm successisset Ignatius nocte intempesta, vocibus excitus eiulantis, opémque supremam implorantis, quò tumultus monebat accurrit. Facinorosos milites deprehendit vim honestæ fœminæ moliri. Ergo Deo ardens, & periculo miseræ, oculis, oréque inflammatis obiurgare, irásque de cœlo minaciter intentare, quæ licèt ex homine Italicè ignaro, parum caperentur; tantùm valuerunt, vt scelestissimos homi-

nes à flagitio deterrerent, duplici quodam miraculo, tum quod effræni in scelus amentia repente abstiterint, tum quod externi, & pannosi minacibus monitis tantùm detulerint, nullo ausu iratæ libidinis, in mendicum adeò liberè incessentem. Inde Romam deuectus die sacro palmarum anno 1525. peruenit, acceptáque ab Adriano VI. Pontificiâ adprecatione, traiectúsque in terram sanctam, facili copia, octauo post diem Christi resurgentis, pedes, vti semper, & mendicans, Venetias tetendit. Perpulerat illum importunâ suorum quorumdam beneuolentiâ, vt nummos septem acciperet vel in futuram nauigationem, vel in discrimina quæ possent euntem venetias morari; acceptos tamen (ne temerarius, aut nimium pertinax recusaret) grauiter doluit, erratique à Deo veniam petiit, præstitisse nimirum credi rusticanum, & stultum ab rudibus arcanæ Christi paupertatis, à Deo omnia capientis, dum Dei causâ omnia reiicit; quam humanis cedentem vrbanitatibus, videri de eo minùs sentire confidentes. Vnde nummos septem mox vt vrbe exiuit, ne obolo quidem sibi residuo, in mendicos diuisit. Suspecta tunc erant pestilitatis per Italiam omnia, & scrupulosissimo examine sanitatis, externi probabantur, priusquam in vrbes aditum impetrarent; quod vt ærumnarum, ita & consolationis læta Ignatio seges fuit. Valentibus enim, & bene habitis de sua sanitate, cùm perdifficile crederetur, ipse pallidus, & exesus, & itineris permolesti duris incommodis, suique diuexatione attritus, velut peste iam tactus, non excludebatur modò, vrbium aditu, sed ne propiùs quidem manum ad stipem tendere sinebatur. Quare illi sub Dio fuit sæpius pernoctandum, & miserum corpus, molestias inter grauissimas trahendum; verum defixo in eum animo, cuius id fiebat gratiâ, quàm ei placere ardebat, vehementer, eiusque amore crescere, tam iucundè omnia tolerabat, & pensabat hos labores Christus ingenti fœnore sanctarum voluptatum, suo etiam illum conspectu refouens, & suam illi patientiam gratulans. Contigit hoc haud procul Patauio, cum plane defectus viribus, & ab comitibus viam monstrantibus relictus, humi se abiecit; nullo ad refocillandum corpus subsidio, nullo itineris repetendi duce, in illa omnium solitudine atque inopiâ colligit sese ad precandum, quo viri sancti secreto Antidoto, omnes elidunt molestias, dum supra se animum attollunt ab infimis ne corpus illas deorsum sentiat. Hic autem hilari, & placida facie, adest oranti Christus, verbis solatur quæ vel afflictissimum hominum repente lætissimum facerent, pollicetur faciles Patauium, & Venetias ingressus, à quibus esset alioqui omnino arcendus, & verò non aliâ quam diuina ope id assecutus est, velut enim custodum ab oculis nube aliqua submotus, tam liberos aditus nactus est, vt ex eo Patauij ad portas, & Venetiis ad Lacunas (quæ seueriſſimis obseruabantur excubiis) saltem vnde veniret, quæsierit nemo, comitibus interim à quibus desertus fuerat, ingenti suo tum labori, tum ob subdititiam valetudinis fidem, periculo vix tandem admissis. Nec stetit Dei benignitas erga Ignatium in dando illi Venetias ingressu, sed eidem illic non incommodè alendo, imponendóque in nauim

gratuitam

gratuitam consuluit, quòd peregrinos excipere solita in terram sanctam deuehendos paulo ante soluisset. Venetias sub noctem deuenerat, & externus, linguæ, xenodochij, ac locorum ignarus, in S. Marci Forum receperat sese, noctem illam sub procuratorum porticu acturus, sedenim Deo curæ fuit maior, quàm ipsemet sibi. Erat tunc inter Senatores Illustrissimus Marcus Antonius Treuisanus, vir sapientissimus, & quod pluris est, vere sanctus. Sic enim publici commoda, & curas, cum priuata sui gubernatione, & rationibus animi coniunxit, vt religiosum non minus ageret, quàm egregium Senatorem sibi quidem tam implacabilis, vt præter stata quibus corpus vexabat aspera, nunquam cilicium poneret; in egentes vero adeò profusus vt domus ipsius hospitium pauperum videretur, quam in rem sua tam liberaliter expendebat, vt nisi ex Fratre filij, Illustrissimi Marcelli, alendum apud se suscepissent, iturus in mendicitatem vltimam libens esset, qua vero fide administraret commissa munera, satis hoc vno testatum redditur, quod eum Cyprij dum Prouinciam illam procuraret, non alio quàm sancti nomine appellabant. Illum denique sua virtus cum ad supremam Ducis honorem extulisset, haud paulo maiori gloria, hunc ab se excutere contendit, quàm fuerat illum promeritus, & excussisset planè nisi Laurentius Massa, & Antonius Milledonnius, qui reipublicæ ab Secretis erant, hominem perpulissent vt priuato suo, bonum publicum anteferret: ambiebat enim erogatis in pauperes quæ sibi superarant, receptui canere, & in cœnobio aliquo sibi ac Deo quod vitæ restabat exigere. Hac vitæ totius perpetua ad mortem optimam comparatione, in extremam perducta senectutem, die quadam dum sacro interest animam efflauit. Huic igitur viro tanti apud Deum, & homines meriti, allapsa vox, nocte somnum abrupit. Sic beneuole increpitans: te vero commodè pluma, & stragulis sepultum dormire, seruum autem meum, & amicum sine tecto humi, & in publico iacere? qua voce etsi erubuit vir pius, magnopere tamen gauisus est cohonestari se peculiari monito, excipiendi Dei seruum, ac probe intelligens, quantum esse illum oporteret, cui de hospitio Deus ipse dignaretur esse sollicitus, festinauit ad eum requirendum & nuda sub porticu repertum, velut Dei famulum insignem reuerenter æque ac perhumaniter, domum duxit, recreauit languentem, cibo, & quiete refecit. Ad hanc optimi Senatoris beneficentiam, addidit Deus pia officia Cantabri Mercatoris, cui non erat ignotus Ignatius. Eo siquidem prolixe admodum, & vestes, & quidlibet aliud ad subleuandam inopiam deferente id vnum admisit, & petiit, vt sibi accessum ad serænissimum Venetiarũ Ducem Andream Grittium pararet, à quo locum sperabat in naui prætoria, reipublicæ præfectum Vicarium in Cyprum insulam peruectura. Perductus est ab amico ad Ducem, à quo cum statim impetrasset quod expetierat, parum abfuit quin statim perderet, nisi hoc illi diuina bonitas miraculo seruasset. Nauim cum Ignatio eandem vectores conscenderant, qui turpi verborum, morumque licentiæ, fallenda tædia præexebant otiosæ nauigationis. Peiora audebant, & nautæ; Deum tunc scilicet

vereri soliti cum tempestate admonentur; post vitata eundem lusuri pericula quem paulò ante naufragi inclamarint. Non tulit Ignatius maiestatem supremam tam petulanter lædi, & dum apud sceleſtos, & proiectæ conscientiæ lurcones, ciuilia monita nihil agunt; vrgere instituit minaci terrore diuini iudicij, quod vix quatuor à morte digitis seiuncti, tam flagitiosè prouocarent. Sed bonæ sementis hæc messis extitit, vt de Ignatio conciperent in desertam insulam deportando, destituendóque in ea quibusuis incursuum casibus. Hoc subodorati ex sociis nonnulli, quibus mens melior, eiúsque miseratione grauiter affecti, rogant sibi esse exitio ne pergat, dum frustra prodesse aliis nititur; sed frustra, nec vllius metu periculi quo minùs pergeret euincunt; vt qui nosset Deo ventos, & maria; non artibus nautarum obsequi. Quod illi tunc clarè patuit, cùm ad insulæ conspectum terram legentibus, iámque pœnè littus mordentibus, reflans ex improuiso incurrit ventus, totiesque illos procul ab insula reiecit, quoties terram prehendere tentarent, quoad denique iter in Cyprum repetere coegit. Serui tamen sui religiosa studia vt hominibus improbis inuisa, sic fuisse sibi gratissima, subsecuta ostendit merces, Christi videlicet adspectabili forma, sui præsentiam non semel exhibentis, consolantísque dolorem, ac lachrymas quibus cæcitatem hominum perditorum, & illatas Deo iniurias, in nauis angulo deplorabat. In Cyprum appulsus nauim in anchoris iam iam vela facturam commodum inuenit, quæ in Palæstinam peregrinos portabat, & hunc omnium instar operiri vnum dumtaxat putasses, ita Iulij quarto & decimo cùm Venetiis soluisset, pridie Calendas Septembris anno sesquimillesimo vigesimo tertio Saphum Syriæ attigit diebus octo supra nonaginta in mari consumptis, & quarto demum post die Ierusalem peruenit.

XXIV. *Singularia quædam Ignatij in Palestina.*

Quantis pietatis effusæ gaudiis delibutus beatas oras salutarit, quàm dulcibus osculis libarit terram Christi vestigiis, & sanguine sacratam, coniicere pronum est ex desiderio illius videndæ, quod cum primis tradendi se Deo ignibus conceptum, crescente immensùm per varíam Christi familiaritatem amore creuerat; ex inuicto præterea robore, quo quicquid timendum, tolerandúmque obsisteret, peruicit. Nam & Venetiis conscensurum auertebant fortiter amici; ob pericula tunc solitis maiora, turcis capta Rhodo, latè illo mari grassantibus, multisque peregrinantium, ne in illorum manus inciderent, retro in patriam vota vertentibus. At is Dei, & cœli aspectu, terrenos metus doctus eludere, responso mirabili vrgentes stupefecit, tam certa se vocantis fiduciâ niti, vt si nauis deesset, crederet se nuda in tabula posse illuc saluum appellere; neque verò amicis, in auertendo consilio, feliciores fuêre medici. Ægrotus pharmacum hauserat, cùm auris repente afflantibus panduntur vela, datur vectoribus classicùm, accurrit ex templo Ignatius, sui & morbi & medici negligens, contestantis vitæ manifestum discrimen, certóque affirmantis debilitatem virium, fore omnino & maritimæ nauseæ, & conuellenti pharmaco imparem, quod tamen planè contrarium euenit, alteróque alterum mutuò

iuuante

iuuante inde multò facilius est leuatus. His tam ardentibus potitus optatis, & tam expetito terræ sanctæ contactu, totus in lacrymas, in laudes, in lætitias diffluere, maximè verò ad conspectum sanctæ ciuitatis, & Franciscanorum Patrum (penes quos locorum sanctorum custodia) peregrinos supplici agmine cruce præuia excipientium, inde beata illa monumenta singula lustrare, spectare animo & tantùm non oculis natum Beethlemitico in stabulo Christum; Ierosolymis prædicantem, expirantem in Golgotha; ex Oliuarum monte in cœlum redeuntem. Quòd autem suæ meditandi formæ, præludendum scripsisset locorum imagine animo efficta, in quibus gesta, dictáue sunt quæ ad meditandum proponuntur; eorumdem locorum ichnographiam sibi vt potuit delineatam sumpsit, vsui futuram aliquando, si minùs Deo visum esset, vt illic prædicans, aut infidelibus populis Christum, aut sibi mortem pro Christo lucraretur. Etsi enim Manresæ lectum se à Deo rescierat ad quæstus animarum ingentes, dandósque ad hoc sibi socios, quorum etiam rudem quandam, quæ tunc sufficeret, viuendi normam acceperat; necdum tamen locum, nec conditiones sociorum sciebat, & adhuc sibi cœlitùs ignorata, ex boni iudicij dictatis colligens, putabat in Palæstina perfici oportere, quo illum iam inde ab conuersionis suæ ortu, magna desideria vocarant. Quare vt illic consisteret commendatitiis ex Europa ad Franciscanos munitus venerat, quas cum Rectori cœnobij reddidisset, tacita consilij sui quauis alia ratione, præterquam priuatæ pietatis; bona verba ex eo retulit conciliandi fauoris apud Prouincialem eius loci, à quo illius commorationis penderet facultas, & qui propediem esset ex Bethleem adfuturus. Verum erat alia Deo mens, & Romæ non Ierosolymis, mirificè Ignatio decernebat esse propitius, vt ipso mundi ex capite in orbem reliquum ab eo, veræ religionis spiritus funderetur. Dum spebus itaque, ac promissis diues Ignatius, amicos in Europa alios salutat per literas, alios inuitat, à Prouinciali accersitur, qui laudato primùm eius consilio, dolere se tamen significat quòd illi tunc satis fieri non posset, ob egestatem cœnobij suos ægrè alentis, & eleemosynæ parcitatem; quin licèt is vellet mendicatò victitare, tantumdem tamen de tenui illo decessurum, quod cœnobium corrogabat; cuius rei fidem facturum ipsi diem proximè sequentem, quo cum peregrinis redeuntibus, remissurus in Italiam esset aliquot è suis Fratribus, haud alia ex causa quàm necessarij victus inopia. Negare quidem Ignatius futurum se illis oneri, quæ ad animum spectarent, audiri confitens, communione sacra impertiri, hæc se tantùm ab iis petere; sed Prouincialis detrimento cœnobij quod commemorasset, Ignatij quoque periculum adiunxit, ex aduenis enim illic hærentibus, dum extra limites Christianis notatos lubet interdum excurrere, alios à Turcis interfici, alios manu capi, quod monasterio valdè officeret à quo essent ex Turcis caritatis iussu deinde redimendi; quare in diem proximum discessum cum aliis adornaret, quod cùm Ignatio vehementer doleret, ísque se flocci eruitutem, mortémque adeò facturum dixisset, vnóque se offendendi

numinis timore eiici Palæstina posse; es vero inquit, Prouincialis, offensurus, si meo iniussu remanseris, proferebátque Pontificium diploma, quo potestas Fratribus fiebat arcendi ab sacris, quos ipsis inuitis sua illic pertinacia tenuisset. Sed absque diplomate, dicto plus satis persuasus iubenti morem gerit Ignatius, & qui amicis in Europa valedixerat paulo ante, Christo sibi valedicendum quodammodo sub discessum putauit. Clam se itaque ab sociis subducens, nullo viæ duce, aut contra Turcas defensore in collem recurrit oliuarum, veneraturus denuo mente, & osculis impressa saxo adscensuri in cœlum Christi vestigia; & cultello ab custodibus transitum exorauit, inde vlterius audenti Sacrarium Bethphage adire, succurrit ex Christi vestigiis ab se minimè obseruatum, quam in mundi obuersus partem Christus è terris ascendisset; igitur in Oliuetum regreditur, & datis custodi quæ sibi supererant forficulis, sanctam explet curiositatem. Inter hæc Patres Franciscani deesse Ignatium numero vt vident, suspicati quod erat, Armenum destinant Cœnobij famulum, qui eum reduceret; is in Olineti iam descensu sibi obuiam factum, barbarè excipit, intentatóque sæpius baculo, correptum brachio, in cœnobium raptat; nullo ad hæc Ignatij vel motu animi, vel sensu: Nam ad primum Armeni occursum, Christum in aëre viam præeuntem, seque animantem perpetuò vidit, quoad in hospitium peruenisset. Sic naui conscensa discedens è Palæstina Ignatius, & suos illic amores reliquit, & spem secum retulit eò reuertendi.

XXV. *Nauta spreto, lusoque Ignatio naufragus.*

Exscendentibus in Cypro, præsto sunt tres naues quæ Venetias soluerent. Turcica vna. Secunda Veneti mercatoris egregiè instructa. Tertia cuiusdam exigua, & quassa: in Venetam fere vectores confluere, quò contrà discrimen hibernæ nauigationis tutiores irent: instare ex illis aliqui, & nauarchum rogare, vt Dei amore Ignatium quoque admitteret, cui nihil ad naulum suppeteret, sed esset apud Deum diues, cæterum sciret hominem verè sanctum se naui vecturum. Si sanctus, ait ludens Nauarchus, quid sancto naui opus? siccis pedibus mari inambulet, ac miraculo aquas premat, quasi liceat sanctis pro libito quod semel Petro licuit Christi iussu; aut mergi non possint, etiam nauigando, si Paulus ter naufragium fecerit, nam *cum vtriusque virtus, dispar fuerit in miraculo, vtriusque tamen meritum dispar non est in cœlo.* At nauis infirmæ, ac tenuis Nauarchus, nec auarum sapiens, nec stultum locutus, rogantem Ignatium, sine mora propter Deum excepit, qui suum vtrique Nauarcho præmium non diu distulit. sub auroram tres illæ fœderatæ naues, plenis velis in altum feruntur, cursu ad solis occasum prospero, tunc enim sæua coorta tempestate subrui momento totum mare, disiici tres naues, Turcica miserè cum vectoribus sorberi; Veneta dum in terram molitur, prope Cyprum allisa saluis tantum vectoribus deprimi; postrema illa ægra, & exilis quæ Ignatium portabat & diu laborans, & sæpe aquis hauriendа, sed Deo magis quam Nauarcho regente, in Appulia consedit, vnde instaurata tertio tandem mense Venetias tenuit anno 1524. Ex quibus didicit scurrilis Nauarchus quassos etiam lembos, si sanctos tulerint, esse validis nauibus

Greg. l. 1. dial.

nibus tutiores, quæ sanctorum grauentur contemptore.

XXVI. *Redux Barcinonem dat literis operam vt roximos iu. et, Dæmon id consilium interturbat.*

Iam fracto conatu, iuuandarum in Palestina animarum circumspicere Ignatius cœpit, quo & modo & loco, hinc in dies ardentius flagranti animo pabulum præberet. Sed obuiabat talia versanti tacita quædam vox, nihil ei satis in eo genere processurum, nisi solide ab literis munito, quibus prædicatio verbi Dei, & animarum procuratio fulciretur; quod fuit principium eius viæ qua illum Deus ad Societatem postea fundandam, sensim inducebat; ad hoc enim illum & legerat & sanctum effecerat. Hoc instinctu Barcinonem redit vbi nec ad victum piorum subsidia defutura sperabat, nec magistrorum caritatem ad doctrinam, hyems erat perfrigida, ipse ex peregrinatione incommodè valens, & sub tunicella, tela simplici malè tectus, vt non crederetur per densas niues, & montes asperos, vita incolumi Genuam peruenturus; imperare tamen sibi non potuit, vt amicorum officiosa humanitate vteretur, nisi breui tantum ac vili panno, quem conduplicaret labanti stomacho, ad sedandos illius cruciatus; Nummulos vero sed hac lege aliquos admisit, vt in egentes diuideret. Quare Ferrariæ in templo maiori Deum orans, roganti Eleemosynam mendico dedit, tum aliis atque aliis minuta primùm æra; Romanos deinde ad quindecim Iulios, quæ cum alter vt fit alteri ostentaret, circumstetere mox tam multi, vt eum penitùs exhaurirent. Vnde succedentibus aliis excusauit nihil iam aut iis, aut sibi restare. Mirum turbæ illi famelicæ visum, fame ac frigore enectum, esse vsque adeo sui immemorem, vt erogandi in poscentes omni pecunia nihil inde sibi reliquum faceret, & post mentem orando satiatam, victum eius diei ostiatim rogaret. Hinc illum pro sancto habere, sanctum & digito monstrare, & palam nominare. Fuit itineris residui multiplex discrimen inter Hispanum, & Gallum militem, per loca vtriusque deprædationibus vastata. Noctes illi in aliquo domus euersæ busto, malè ab gelu, & pluuiis tecto; stipis vbi direpta omnia, nulla spes. Captus identidem ab excurrentibus in agros manipulis, semel etiam ab Hispanis tentus, pro exploratore creditus est rogatúsque minaciter quis? quo? quid ageret? aut ferret? detractis ad scrutandum ecquid literarum occuleret vestibus, nudus plane vt erat per media tentoria ad Ducem pertrahitur. Ibat Ignatius inter publica ludibria, & probra lætus, eaque Christo nostra olim causa ad infamem columnam talia perpesso offerebat, cui mysterio tam viua mentem imagine defixit, vt se quid fieret diu non aduerterit, donec tam fœdæ indignitatis patientiam non ferens Dæmon, sæuo illum timore concussit; rem vltra ignominiam nuditatis, scilicet ituram; speculatorem credi ab hoste submissum; datum iri ad diram quæstionem, vt extorqueretur, num quæ ferret arcana vtque hinc viuus fortassis euaderet; sed neque carcerem, nec calamitosas vexationes vitaturum; prudenter itaque periculum bonis artibus redimeret; hominem gereret tantisper, quis esset cælare ne pergeret, vrbanitatibus consuetis deliniret ducem, condignis saltem titulis honestaret abstineretque plebeia illa tu, & tui compellatione, quam simplicitatis, probæ

probæ studio solitus erat vsurpare. Verùm haud fuit orationis huius tam sincerus sapor, quin priuati amoris callidissimam dialecticam Ignatio saperet: eúmque, quod consequens erat, ad planè opposita moueret. Vt ergo ducis in conspectum venit, nulla reuerentiæ significatione, inciuilem, & rusticum prætulit; interroganti paucis lentè, neglectímque respondit, inter singula cunctabundus velut ex obliuione retractanda honorarios verò titulos adhibuit nullos, nec aliud quidpiam quo sui commiserationem excitaret egit; denique nihil prorsus quo timori suo concederet qui discriminis contemptus illum discrimine exemit. Dux artem ignotam virtutis eximiæ pro imminuti capitis stoliditate ducens, militibus hominem remittit, non absque indignatione, quod stultum ab exploratore tam imperitè discernerent, iubet suas illi vestes vt reddant, ac liberum amittant. Quod ab iis non prius factum est, quàm os, & latera, pugnis, & calcibus tamdiu barbarè contudissent, dum à quodam ex optionibus miserante ereptus, tectóque, & cibo refectus est. Ex Hispanis elapsus paulò post incidit in Gallorum castra è regione fixa, spe prædæ consimilis ex inspicionibus & petulantia militum potiundæ. Nec longum à stationarijs sistitur, & rapitur ad ducem, qui vt Cantabrum agnouit, & ipse Cantaber, perbenignè lautéque habuit, ex quo præter miseriæ præsentis opportunum leuamen suam illam sibi firmiùs sanciuit animi destinationem suas nempe omnes habendi suspensas à Deo rationes; eodémque vultu secunda & aspera excipiendi ab eadem manu, æquali amore prouidè vtraque alternante. Inter has laborum, & solatij vices, Genuam denique, inde Barcinonem naui Hispanica delatus est, vitatis ægrè Oriæ nauibus, qui tum partes Gallorum sectabatur. Barcinone in Grammatices Magistrum & valdè humanum, & gratuitum incidit, qui tunc illic publicè docebat. Ibi vir annorum triginta trium, in turba puerorum, puer esse; elementa verborum, & nominum discere, & latinitatis prima tyrocinia mereri, quod etsi speciem non præfert magnificam, & grandem, sed habet ostentum singulare, ac rarum ardentis in Dei gloriam animi. Vt enim agnouit Ignatius fingi se ad Dei honorem, qui de salutis alienæ nascitur procuratione, nisi literarum adminiculo non posse; nec priuatam attendit pietatem cui tantum decerperet temporis, quantum illis erat daturus sterilibus rudimentis; nec recogitauit lentas molestias annorum complurium quos esset per studia tracturus, & suo ingenio aduersa aulicis otiis, armisque trito, & suo peculiari genio per se ab literis abhorrente; sed ab rudi prorsus doctrinæ omnis ignoratione, ad Theologiæ fastigium, per linguarum, humanitatis, & artium disciplinas eniti voluit; quod tantum, profectò est, vt vix dignè possit suo pretio æstimari. Et visa sagacitas Dæmonis tantò ante præsaga diuinare quod ne suspicionem quidem sui tunc facere poterat. Illa videlicet studiorum Ignatij tam macra, humiliáque initia in magnum aliquando, & æternum opus diuinæ gloriæ, hominúmque salutis exitura. Manresæ quidem, tot horas diu, noctúque contemplanti, fruentique diuinis procul ab sensu commerciis, & cognitione rerum cœlestium supra hominem

minem sita, numquam tantum Dæmones inuiderunt, vt illa eius consilia palàm disturbare contenderent; spectro solùm iocoso veluti serpentis lucidi, mille coloribus oculati blandiri eius aspectui tentarunt; sed animaduersâ serpentis antiqui in eo imagine, nequissimam bestiam contemptim baculo abegit. Nunc verò ab discendis literis auersuri, tam cæca fraude grassati sunt, támque omnis doli ab artificio probè in speciem secura, vt ad eam tandem aliquanti sper offenderet. Nam ad scholæ ingressum, velut recludente se desuper toto cœlo exundare obortis gaudiis, & causam gaudendi nescire; piis diffluere sensibus, in notitiam admirandarum rerum tam sublimem rapi, vt schola de cœtero, & libri, & studia sorderent; totus in læta suspiria, in fletus, in amoris diuini affectus ire, dum illud *amo amas* terit, cuius deinceps modos, & tempora discere frustra erat. In turba demum puerorum molestâ, & strepera, nihilo rariùs, cœlum incolere quàm olim in specu Manresana; & has inter animi voluptates dies & hebdomadas iucundè ducere, post hæc re nulla quàm antea doctior; tanti est Deo sociam operam in conuersionem animarum dare, vt earum ardentem salute, Theologiæ mysticæ studiis, ab Grammaticis impedire, dæmones contendant quòd illa in pias circumscribantur dulcedines; hæc ad plurimorum æternam salutem, & Dei æternam gloriam in vsus æternos porrigantur. Erat Ignatio procliue de hac à susceptis aberratione probè colorata, interpretari Deo cordi esse, contemplationi attenderet, sciendi curam omitteret; & adhærere hic dolus facilè potuit homini seipsum plus æquo amanti, ludósque Dæmonis pro diuino afflatu eò quòd placeant, libenter audienti. Ignatium ex vna Dei optimi gloria, sua omnia metiri solitum, non diu fraus latuit, eáque vehementer confusus, præceptorem adit, & in ædem S. Mariæ ad mare perducto, aduolutus ad genua, petit negligentiæ præteritæ veniam, eius causam ingenuè explicat. Cœterum voto ad prosequenda studia se sanctè obligat, applicandúmque ad illa seriò laborem; rogat denique quotidiana scholæ pensa æquè ab se, vti à pueris seuerè, & si qua re minus faceret satis, pœnas etiam publicas perinde vt ab illis reposci. Mirum dictu, emendata in hunc modum fallacia, omnis *ille* delitiarum cœlestium, & peregrinorum luminum violentus, & rapax apparatus euanuit: & si quando pietas aruisset, consolabatur eam spe solidiori, prouentus animarum doctrinæ studia secuturi. Qua item cogitatione multò post, iámque Societatis patens illorum mulcebat fastidia quibus propterea ininus literæ sapiebant, quòd in iis vbertatem illam liquidissimarum voluptatum minimè sentirent, quam experti aliàs fuerant. Monebat reperterent animo, patientiam illam, abiectionem sui, obedientiam quibus mentis ariditas materiam suggerit, alium habere saporem ab illo triuiali, qui ex teneritate affectuum interdum percipitur. Illos præterea, qui sunt in ordinem conscripti fine planè diuino, in vera mortalium bona, literarum studia conferentem, nulla tangi debere iactura consolationis, quam præparatio animi, & armorum ad nobiliora ministeria abundè pensaret. Quod

Ignatij præceptum egregia eius expressum Epistola, in manus meas cum venisset, placuit latinè ex Hispanico redditum, posteris consignare. [Quod nostri scholares, inquiebat, pios illos quos vellent affectus non sentiant, nihil mirum, illos enim qui potest, quibus, & quando conuenit, dispensat: & credibile est tempore studiorum, quibus solet non parum spiritus affligi, sensus eiusmodi diuinorum prouidè à Deo inhiberi, etsi enim mentem suauiter pascunt, sed corpus emaciant valdéque atterunt. Ad hæc occupatus scientiis animus, exsugit, & siccat voluntatis motus; sunt tamen studia si purè suscipiuntur in Dei obsequium, optima pietatis exercitamenta, & vbi virtutis integrum constet firmamentum, orandíque spatium obseruetur constitutionibus definitum, adsint vel non, interiora solatia nihil admodum refert, nec inde magnopere dolendum, sed quod annuerit Deus dare, æquo gratóque animo accipiendum est, sempérque illa præcipuè curanda quorum est momentum grauius, tolerantia, contemptus sui, parendi amor, & charitas] sic ille.

XXVII. *Virtutes Ignatij Barcinone.*

Consueta interim vitæ asperitas, & quoad liceret vsitata precandi tempora studiis iungebantur, & quamuis Ioannes Pasqualius apud quem angusto sub tegulis in cubiculo manebat victum quoque ab se vellet accipere, maluit tamen iens, & rediens è schola, frustum illud quotidiani panis corrogare, quo solo alebatur; (Potum enim dabat limpidæ aquæ siphus) quam vti hospitis liberalitate: mendicanti verò si quid iusto amplius obueniret, selectis sibi deterioribus id omne partiebatur in pauperes; ex quo factum vt notæ illius virtuti, copiosæ conferrentur eleemosynæ, quas statim egentibus tribuebat à quibus semper obsidebantur fores, ipseque ab illis duplo egentior, prouisor, & pater vocabatur, & re vera illos prosequebatur incredibili amore, ministrabatque illorum inopiæ tanquam Christo in iis latenti. Vnde Agneti Pascaliæ aliquando carpenti, quod ipse pauperior, & calamitosior cæteris; largiretur iis tamen quicquid meliusculum accepisset; tu verò ait quid egeris, si petierit abs te Christus? an sustinueris illi dare quod vilissimum est, & non potius quod lectissimum est dederis? Repetiit quoque interceptas morbis, & doloribus stomachi, suimet afflictationes; humi somnos, cilicia, verbera aliaque, sed dissimulanter; nam & saccum, & catenam abiecit; & calceis pedes, ac tolerantiam contegentibus detraxit soleas; precatio suas septem horas retinuit, magnam partem ereptas nocturnæ quieti. Nec raro contigit, vt obseruaretur curiosiùs ab Ioanne Pascalio benignæ ipsius hospitæ filio, tunc admodum iuuene, rescire cupido quid noctu actitaret videbat. Hominem defixis parumper in cœlum oculis precandi initium facere, nunc passis in crucem brachiis; nunc toto prostratum corpore, interdum similem adoranti, post verò in genua, statuæ in modum velut extra se perstare immobilem, donec ore accendi, & totus ardere videretur, simúlque in dulces vbertim lacrimas dissolui. Videbat etiam frequenter (& sunt hæc concepta narrantium verba) immensum ex eo splendorem cubiculum implere, sensímque vt erat

erat de genibus ad quatuor, & quinque palmos ab terra suspendi, vnde voces, & gemitus mittebat animi tenerrimè affecti. *Ah Deus! si te homines nossent! ô &, Deus infinitùm bone: qui me tantum sustines peccatorem!* Et similes, talia quem dixi Ioannes suis deinde filiis narrare solitus, addebat, si scirent quæ de Ignatio ipsemet viderat, futurum vt nunquam oculis explerentur solo figendis quod calcasset, ac parietibus intra quos egisset; quæ cum diceret, profusè flens ac dolens, tundensque manu pectus, infelicem ac reum se aiebat, quod viri sancti consuetudine nescisset proficere. Neque vero in solo conclauis secreto, eiusmodi raptus Ignatium à terra sustulit, sed quamuis talium occultatorem diligentissimum diuini vis spiritus, inuitum quandoque attollebat; vt Barcinone apud Moniales S. Hieronymi, cum ad aram Matthæi Apostoli ad tres horas precando, vultu sereno & alacri hæsisset, visus est palam, à terra efferri, & flexis genibus pendere in aëre.

XXVIII. *Disciplinam monialium instaurat, quare ad mortem cautus præcipuũ aduersariorum sua patientia lucrifacit.*

Saluti nihilo seciùs alienæ, quàm perficiendi sui desiderio incumbens, multa Barcinone reliquit documenta insumptæ fœliciter in reducendis ad Deum hominibus operæ, sed in iis eminet patientissima caritas in Parthenone Angelorum emendando qui tunc extra muros inter nouam, & S. Danielis portam situs erat. Agebatur ibi licentius à parum modestis hominibus, cum periculo minimè obscuro, & offensione in publicum graui. Huic malo remedium, quanquam difficilis aleæ molitur Ignatius, vt cui propria damna præ Dei offensa flocci erant: huius ergo templum cœnobij ad visitata sua pietatis officia delegit, multas illic horas quotidie orando ponit, susceptique negotij exitum Deo assiduè commendat. Precantis modestia, lacrymæ, vultus ardens; & illa tot horarum tam constans de geniculis oratio, mouere primum Sanctimoniales ad inspectionem hominis curiosam; deinde ad reuerentiam, postquam vulgò haberi pro sancto accepisset; postremò etiam ad illum de rebus diuinis audiendum; morem gessit cupientibus libenter, & principio quidem de excellentia religiosi instituti, magnisque illius implendi nominibus verba fecit; inde tanto ardore de probrosis Deo quarundam inter illas apud populum offensionibus dicere aggressus, de infamia Parthenonis, exempli prauitate innocentibus præbiti; animarum crudeli exitio cui occasionem ministrabant; de supplicio denique fontibus parato, & eo atrocius in eas sæuituro quo ab amicis, iniuriæ quam ab externis Deum acerbius vulnerant, vt demum seipsas non respicerent modo, vitæque suæ conditionem miserrimam, sed multis etiam lamentarentur ac deflerent. Nec vno conflictu debellatum virus; repetita tamdiu curatio, dum adigerentur ad meditationem certorum capitum, quibus suscitaretur emortua pietas, & refingeretur ad pristinum vitæ disciplina: restituto in hunc modum secessu, & moribus, iam & cœnobium aliud, & occlusæ salutatoribus impuris fores. Hinc efferata illorum rabies aduersus Ignatium continuatis auxiliis incœpta munientem, terrore, minis, plagis per emissarios iteratis adorta, cum futura sensit in cassum om-

nia, quamdiu illic diuersaretur Ignatius, statuit illum de medio tollere, ac morte insontis intercluſam licentiam denuò laxare, die ergo quodam ex cœnobio redeuntem, cum Puigalto sacerdote sancto, sanctique illius operis administro, aggrediuntur ad portam S. Danielis, ex mancipiis Mauri duo, & tam dirè vtrumque fustibus, contundunt, vt ex iis sacerdos intra paucos dies obiecit; Ignatius pugnis, calcibus plagis cruentatus conciderit, & ab semiuiuo idcirco cessatum, quod iam mortuus crederetur. Dum tamen sensus & lingua superfuit, stetit ad vulnera ictúsque immobilis, Deum laudans, suíque carnificibus, ac sibi veniam supplex ab eo flagitans, cui vitam cupidè impendebat. Iacuit afflictus, nec valens in pedes assurgere, donec illum molendinarius casu præteriens, in iumentum iniecit, domnique Agnesiæ & Pasqualis detulit. Eò autem peruenit ita prorsus animo destitutus, vt mori videretur; quod erat forsitan euenturum, nisi foret pannorum fomentis, vino madentium frequenter excitatus. Liuebat tamen corpus omne, vsque adeò fractum, omníque sui parte, dolens, vt integrum nihil præter linguam, & oculos retineret, quibus in cœlum suspiceret, Deóque gratias ageret. Moueri, tametsi linteamine suspensus, non poterat sine acerbissimo cruciatu. Post trigesimum verò diem, velut omnino depositus, vltimis Sacramentis, supremum iter adornauit. Visebant illum interea concursu perpetuo nobilitatis primariæ viri, ac fœminæ, apud quos (vt scriptum reliquit idem Pasqualius) pro Barcinonis Apostolo erat, in iis Stephana Rechesentia, Palamensis Comitis filia, Ioanni Rechesensio nupta; Isabella Bogadesia; Guiomária Gralia; Isabella Sosa, & aliæ, quæ sensu intimo beneuolentiæ prosequebantur iacentis calamitosum casum. At illas gratulari sibi quàm misereri malens, nunquam sibi melius in vita fuisse aiebat, quàm in eo procinctu, ad eius exemplum moriendi, qui animarum vitæ, sua morte litásset. Sibi quin etiam cilicium detrahi non tulit nisi iussu coactus Iacobi de Alcantara ex S. Francisci ordine viri admodùm pij quo à confessionibus vtebatur, quasi dolor plagarum, & lethalis acerbitas voluptari essent, id porrò cilicium ab Ioanne Pasqualio asseruatum, suíque chirographo proprio, instar opimi patrimonij traditum, multos Barcinone ægrotos sanauit, sed anno tandem 1606. Dux Montis-Leonis multis illud precibus emercatus thesaurum domus suæ fecit. Verumenimverò carior multò Ignatio pauperum accessus quàm nobilium fuit; confluebant ad illum turmatim, lugebántque illius iacturam quam vt auerterent, Deo vota fundebant, ne se patre tam bono, tam fideli seruo priuari Ecclesiam pateretur. Neque verò erat vnius cœnobij lucrum iacturam hominis condignè pensaturum, quem Deus ad præstantiora honoris sui obsequia delegisset. Quare post dies tres, & quinquaginta, cruciamentis ægrè, & vitæ discrimine defunctus, víxque gressum regere iam valens, mox ad Angelorum Parthenonem se trahit confirmaturus noua cohortatione Moniales in tenacitate concepti propositi quod partim admirans, partim dolens Agnesia, cui pro filio erat Ignatius, veritáque ne exasperatus perditorum hominum turpis

pis furor, vitam denique illi eriperet; rogauit loco tam capitali abstineret. Ad quæ ille quem nihil timere Dei vnius amor docuerat, & iniurias in beneficiis, mortem Christi causa, in præmiis tolerantiæ censere, nihil se optabilius intelligere respondit, quàm ob Christum pati, & ob animarum salutem mori. Promerita est tam fortis, & mascula caritas, non solùm vt Deus, in sancti operis progressu casus similes prohiberet; verum vt etiam cruenti facinoris auctorem præcipuum ad frugem conuerteret. Redeunti enim aliquando, ex illo cœnobio, Ribera quidam mercator, in genua procidit, fassúsque crimen, cuius fuisset primarius artifex, magno animi dolore, eius ab illo veniam petiit, sanctè fidelitérque iuratus exinde se vitam moréseque mutaturum, quod vti promiserat, postea non fictè præstitit. Hac verò se ausus nefarij, pœnitentia stimulatum professus est, non tam atrocitate sacrilegij barbari, quàm sancti virtute, cui tot inter Mauri crudelia verbera, nec vllum impatientiæ specimen excidisset; nec verbum, aut indicium illius, à quo esset tam crudeliter cæsus, aut cuius mandato cædebatur. Præter hanc tamen Ignatij virtutem minimè dubium contulisse ad hoc plurimum eas preces quas pendentem in cruce magistrum imitatus, pro infensissimis hostibus fuderat.

XXIX. *Mortuum qui sibi laqueo vitam abruperat, ad confessionem peccatorum in vitam reuocat.*

Nec verò hîc solùm patuit, quantum apud Deum posset Ignatius, & tunc potissimùm cùm ageretur salus perditis hominibus impetranda, litigabant ibidem Barcinone germani duo cognomento Lysani, horum alter dolori ex lite amissa impar, & in sui exitium præceps, domi se miser, ex trabe suspendit. Erat domus in vico cui Bellioco nomen rectà mare versùs porrecta inde clamor, eiulatúsque familiarium, & accurrentis ad funestum casum viciniæ, accurrit etiam cum iis Ignatius, qui ex Parthenone Angelorum sæpiùs memorato, tunc redibat, miserтúsque animæ infœlicis, funem iubet abscindi, póstque frustra tentatas artes omnes ad reuocandos iacētis spiritus, demum iudicio omnium mortui ad latus genu flectit, breuíque, sed ardenti prece, tantum vitæ miserrimo homini à Deo flagitat quantum ad expiandum confessione scelus sufficeret. Auditur, & *cunctis stupentibus*, vt Rom. rotæ auditores tres loquuntur, *& rei exitum expectantibus, Lysanus ad vitam rediit*, ac ne dubium foret cuius precibus donaretur, conditione absoluta quâ illas definierat Ignatius, hoc est confessione peccatorum, ritè, integréque peractâ denuò animam efflauit.

XXX. *Prædictiones Ignatij de quibusdam volentibus se illi adiungere.*

Biennij spatio in Latina lingua Ignatius eò processerat, vt posset magistri iudicio ad superiores scientias transire; itaque Complutum scholam, tunc nouam, & celebrem ob idque viris insignibus in omni doctrinarum genere insignem proficiscitur; vbi tamen Deus, maiora de illo cogitans, gymnasium illi virtutum potiùs, quàm disciplinarum, & patiendi magis quàm philosophandi instruebat. Discessuro multi optabant se comites addere, non tam sodales in literis quàm in pietate discipuli; ex iis lecti ab eo tres tantùm Callistus, Ariaga, & Cazeresius, nec ipsi stabiles: quorum exitus parùm fœlix suo loco dicetur, sed inter illos quos sequi se noluit,

fuêre duo, singulariter adnotandi quibus causam exposuit repulsæ, haud sanè aliundè quàm prophetiæ lumine præceptam, quo quid esset iis tandem futurum aperuerat illi Deus. Primus fuit Michaël Rodesius adolescens patria Gironensis, cui assectari se ambienti; minime verò, inquit, sed vitam in sæculo traduces, professione iurisperitus, statu coniugatus ex quo liberos tolles quorum vnus vicem tui supplens religiosæ familiæ quam fundaturus sum se adiunget, nec tamen Societas nisi decimo quarto post hoc anno fundata est, & prædictioni fidem fecit suus tempori euentus, in Iuris peritum consultissimum euasit Michael, vxorem duxit, & de susceptis ex ea literis Michaëlem sibi cognominem Societati dedit, quam austeræ vitæ, ac lucrandarum studio animarum in seram mortem decorauit. Sed planè mirum, nec prætermittendum, quod patri consilium detegens, Societatis ineundæ, prædictum id illi ab Ignatio quondam ex eo cognouit, iámque in opus procedere, quod summam vtrique attulit voluptatem; sed Prouinciali in excipiendo iuuene agente cunctantiùs quàm vel ætatis impatientia, vel incitatior pietas pateretur, aliò desideria conuertit, & Chartusiam prehensauit, bisque diuersis temporibus tentatam, bis quidem obtinuit, sed semper intercidit aliquid quo disturbata re, Societatem repetiit, in eamque admissus, fidem vaticinij duplicis ab sancto editi integrè probauit. Alter nobis toties iam dictus Ioannes Pasqualius; cuius mater Ignatium domo Barcinone acceperat. Huic sibi iam tum se in socium danticum in terram sanctam iter capesseret, denuntiauit velle Deum vt vitam in sæculo duceret communem, & quicquid esset illi euenturum aduersi, aut prosperi distinctè admodùm, claréque pertexuit. Nam ducturus es, inquit, virtutis egregiæ fœminam vxorem, & reuera duxit. Multi tibi ex ea nascentur filij. Sed multæ cum iis pariter ærumnæ. Quod item contigit, nam eorum primus mutus vnà, & surdus in lucem venit: alter annos iam natus viginti duos, amens effectus est: tertius profligatè viuens, repentina morte patris oculos fœdauit. Filiarum verò cùm essent quatuor, vni tantùm dari dos potuit. Significauit denique, supremam ætatem in summa tracturum egestate, in eaque diem obiturum, nec aliter obiit, nam ære obrutus alieno, extremum vitæ tantùm non mendicans exegit. Sed horum ipsi laborum tristitiam, lætiore vaticinio diluens, confirmauit vir sanctus, cessuros magno eius animæ bono, quorum quidem tam certos sigillatim euentus Ioannes expectabat, vt consolantibus amicis melioris fortunæ fiducia; patientiam aiebat, tantummodo, mihi impetrate, nam sperari non possunt mitiora, nec secus vnquam quicquam eueniet, quam vti præuidit Ignatius, & cùm steterit hactenus ex ipsis rebus, vaticiniis eius fides, necesse est eam ad extremum constare.

XXXI. *Præclara specie Ignatius afflictum amicum consolatur.*

Multus tamen fuit Ignatius in amico fideli suauissimis literis erigendo dum in viuis egit; postea verò tum alia, tum hac quàm subdo singulari consolatione. Solebat Ioannes ab annis quadraginta, matutinis in templo maiori cantibus adesse, ad subterraneum S. Eulaliæ sepulchrum, situm ad

aræ

aræ principis radices. Eò igitur aliquando ſtato citiùs cum veniſſet, in aræ gradibus orabat, moram occupans benè longam, inchoandi de more ſacri officij, & cum recenti tunc conflictaretur caſu; illum, ſeque ac ſua, Deo & Ignatio commendabat haud pridem ad ſuperos tranſlato, & ô Pater! exclamans aiebat, quàm nimium verè, mihi cuncta hæc præuidiſti, & nunc rerum mearum ſtatum certò cuiuſmodi ſit è cœlo vides, qui tantò antè in terra poſitus, qualis eſſet futurus adſpexeras. Da, ſi minus afflicto malorum ſolatium, at patientiam conſtantem, vt in eam tandem quam pollicitus es beatam ſalutem deſinant. Hæc & ſimilia oranti en tibi velut ex longinquo muſicorum ſonus paulatim ad aures accidere, eáſque concentu admirabili mulcere, tùm ex porta ſiniſtri ad aram lateris chorus totus prodire, poſt hunc mentium beatarum pompa ingens, tum clerus numeroſus forma omnes inſigni, ac planè cœleſti. Hi templum ingreſſi, & prope altare hinc atque hinc diſcreti, venerabili ſpecie ac diuina virum medium excepere, qui ſacris veſtibus ſtola, & chlamyde verendus agmen illud claudebat. Erat antea templum in tenebris, quarta vix poſt hibernæ noctis dimidium hora: verum vltimi huius ad ingreſſum, ſic repentè totum reſplenduit vt ardere lucidiſſimis facibus videretur. Stetit hic Sacerdos ſupra monumentum S. Eulaliæ, ac diuiniſſimam Euchariſtiam prona corporis inclinatione veneratus, ſumptóque de miniſtri manu thuribulo, fragrantiſſimo ſuffitu aram circum ſæpius vaporauit: eo miniſterio perfunctum præire quaſi ad egreſſum ſacer chorus dextram verſus altaris portam, vbi Ioannes ſplendore, ſymphonia, ritu nouo, hærebat attonitus, & ſtupens, cum fixo Sacerdos in eum obtutu, & velut admirans quod ab eo non agnoſceretur, nutu illum acciuit, atque hic demum apertis oculis eſſe Ignatium agnouit, ſurgénſque ad eum proſiluit, excepit ſanctus vultu maximè hilari accedentem, quæſiuítque familiariter ecquid ſui memor? cùm illius ipſe perpetuò meminiſſet, mœrorem ſolatus eſt, refricatis ſpebus quas ipſi olim æternæ ſalutis fecerat: hic rogata Ioannes venia complectendi, ſanctus adeunti, manu beneprecatus ex oculis vanuit, totúſque viſi illius apparatus. Ad quæ, O Pater! ah mi Pater Ignati! ſucclamans Ioannes exiuit aliquos è Sacerdotio, qui cum accurriſſent, hominem extra ſe repererunt, & effuſiſſimè lugentem cuius ab iis interrogatus cauſam, enarrati nunc viſi ſeriem iis omnem expoſuit. Cuius vnà in poſterum quamdiu vixit, & quoties aduerſis preſſus eſt vel ſola recordatione, magnum ſenſit doloris leuamen: hoc futurorum oraculo duplici, mitigauit Ignatius duorum repulſam diſciplinæ ipſius adiungi petentium, & quà pergeret aſſectari. Eam de cætero Barcinone reliquit ſui famam, ac deſiderium, vt appulſus illuc decimo quinto ab hinc anno affinis ipſius, & adhuc Societatis nouitius P. Antonius Araozius, frequentatus ſit aditu plurimorum ſexcenta ex eo de Ignatij rebus inquirentium, & referentium viciſſim quæ de illo audiſſent, vel coram ipſimet ſpectaſſent. Multos ſequi optantes auertit; multorum reiecit pecunias quas ad aperiendam illic Societati domum

mum ingerebant, paucis tantùm ad eos cohortationibus habitis, regulas aliquot Christianè viuendi tradidit, quæ perinde ab iis acceptæ sunt, vt si ex ore Ignatij prodirent, cuius instinctu edebantur. Fuit hic amor Barcinonensium erga Ignatium, & hæc de illo existimatio.

XXXII. *Complutensis commoratio, studia literarum, & pia opera.*

Complutum ad Calendas Augusti peruenit anno 1526. sed scholis ibi ante Lucalia ex vsu silentibus, quod supererat temporis, partim excolendæ virtuti propriæ, partim proximis dedit; subsecutis interim sociis, accessit quartus, natione Gallus, Martini Cordubensis Nauarræ proregis honorarius ephebus, Compluti propterea coactus subsistere, quòd in transitu proregis, rixa quadam exortâ sauciatus, in nosocomio ex vulneribus curaretur, quo infortunio, fortunatius ei nihil esse potuit. Dum enim medici corpus remediis, Ignatius adhortatione mentem restituit. Vnus erat omnium habitus, subnigra talaris tunica eiusdémque coloris pileus. Ex iis duos Ernandus de Para pro sua caritate apud se habebat; duos Andreas Arcæus. Degebat Ignatius in hospitio pauperum, cui ab Antezana vocabulum, vbi hoc promptiùs cubiculum nactus est, quòd pridem illic vacabat vnum, verum spectris vmbrarum, & horribili strepitu infestum, quod rei totius ignarus prima nocte nimiùm comperit, & quidem si erant Dæmones, vltrò iam suas in manus datum, erant pessimè habituri, cùm identidem antea testarentur se peiùs Ignatio odisse neminem. Formidandis ergo territauere simulachris & immani fragore, quibus improuisis, anteuertentibus deliberatam mentis constantiam, totus inhorruit; tum colligens sese, resumptísque animis in genua assurgens, si vobis inquit posse in me aliquid datum est, en adsum paratus, agite placet de me quodcumque Deus probauerit cuiuscumque id manu fieri iusserit; neque in vobis est nocendi metas vel puncto transgredi, quas ipse vobis præfixerit. Sin autem vobis nocendi facultas nulla est, quò tot vestrum simul, ignaui tot strepitus ad interpellandam vnius homuli quietem? his se Deo integrè committens, dispensaturo Dæmonum feritatem, quicquid essent ausuri, fortiter operiebatur. Sed fefellit successus prima illorum terriculamenta, ex eo, statio vel iis erepta, vel spontè deserta, ne vexando Ignatio, vexarentur illius patientiâ duriùs, quàm ipse truculentiâ illorum. Erat hæc itaque Ignatio Compluti statio, victus mendicatò cui cùm plura necessariis amici adderent, ea in pauperes tribuebat; ad eos verò ferebat ipsemet quos honestorum pudor natalium, aut morbus à mendicando absterreret. Notauit hæc ita factitantem Martinus Sæsius, inter Aspeitiæ primarios opulentus; Complutum enim negotij causâ cùm venisset; olim sibi notum, nunc fama celebrem videre Ignatium voluit. Præstolatus ergo è scholâ exiturum, & probè agnouit, & tacitè subsecutus, vidit quandam in casam subeuntem, post paulúmque ex ea redeuntem; tunc & ipse ingressus, iacentem ex morbo fœminam inuenit, omnium egenam; hæc de illo rogata, qui ad se adisset studioso, negauit nosse; sed sanctum videri, sibíque ab eo quotidie & stipem necessariam deferri, & piis de Deo sermonibus consolationem adhiberi:

Benè,

Benè, inquit, Sæsius, tu cras redeunti significes velim, sibi aut aliis si pecunia egebit, scire te hominem qui sit non grauatè collaturus. Illa quod mandabatur fecit verum Ignatius obseruari se videns, ego hactenus soror, tibi, vt potui succurri, succurret deinceps alia via Deus, cui ego te plurimum comendo. Quibus dictis abscessit; nec illò pedem postea intulit. Prælegebatur in Academia, Sotus in Logicis, in Physicis, Albertus Magnus, sententiarum Magister in Theologia. Vires ingenij ex affectu metitus Ignatius, impatientiâ ardoris, in aliorum salutem præproperi, complectebatur ingentibus animis, sed nullo ordine hæc tria, multóque labore, ac tempore dum sequeretur confusè omnia, nihil assequebatur, neque tunc illis discendi primordiis affulsit à Deo lux melior, digerendæ in studia operæ, nec verò tam Complutum vocatus fuerat, vt inde literas referret, quàm vt illuc inferret pietatem; vtque post suimet voluntarias diuexationes, exerceretur quoque ab aliis, eorumque insultus alacri patientia superaret. Ex processu siquidem literario parum læto, facilè animus versus est ad procurationem salutis alienæ. Ergo itare in nosocomia; Christianæ doctrinæ tradere rudimenta; de rebus diuinis conferre, & colloqui; versari assiduè cum academicis, & familiariùs cum iis qui aut solutiùs agerent, aut frequentarentur à pluribus sociis, vt iis ad mentem reuocatis copiosa esset tractûs vnius piscatio, & fauebat huic operi Deus perpetuis morum conuersionibus, iamque propterea apud omnes vir Apostolici Spiritus audiebat. Nec sanè dicendi vis in ore illius nascebatur, sterili potius quàm diserto; sed ipso ex cordis penetrali, quod diuino amore æstuabat, quo dum loqueretur, & ipse totus absumi videbatur, & flammas iacere quibus accenderet audientes. Sic multi de illo referunt, qui & coram dicentem audierant, & vim dicentis mirabilem, in seipsis experti, in aliis item perspexerant. Præter quod illa solidioris veri firmamenta quibus tot horas tantáque in luce percipiendis consumpserat, & quibus Exercitia inædificarat, eo acrimoniæ vigore pertractata, quo sibi ea impressérat, tantos impetus habebant vt eos nullus eluctari valeret auditor. Hinc ille, in publicè notis, & proiectæ conscientiæ sceleratis, fortiter inuadendis conatus audentior, & certa confidentia. Euangelij veritatem expugnaturam efficacius reas mentes, quàm vt possent ei obsistere: ac licèt initio restitarent, terroréque ac minis abigerent monentem, sed vsu didicerat, cicurari tandem, & recto domitas, manus dare. Sic illi acta res cum nobili clerico, dignitatis in Hispaniæ Ecclesia primariæ: huius erat viuendi ratio, vniuersitati illi tam pestilens, vt sequacem turbam multorum iuuenum in societatem suam, ac scelerum traheret, pessima apud omnes fama, magno apud bonos dolore: edoctus Ignatius rem totam conueniendi hominis à Deo veniam, vt solebat, orando robúrque petere ad propugnandam causæ bonitatem; dein meditata ad ferendum patientiâ munitus, & validis ad impressionem monitis armatus ad eum adire; & significare per famulos, habere quæ sciri ab eo oporteret. Ægrè homini fuit tam obscurus,

& subitus nuntius, & excluſurus erat alloquio Ignatium, niſi, quòd viderat ſæpius mendicantem, ſuſpicatus eſſet aliquid potius eleemoſynæ quàm emendationis rogaturum. Admiſit nihilominus vultu priùs ad quæcunque fortè obiicerentur obfirmato, auctáque animi conturbatione, ac ſuſpicione, cum procul arbitris audiri ſe peteret, duxit tamen in ſecretiùs conclaue. Hic verò Ignatius, ſibi quidem vili, ac miſero ex amicitia tãti viri nihil quicquam arrogare; ſed fide erga illum vera, & animo eſſe tam caſto, & integro, vix vt talem fortaſſis inter ſexcentos eſſet reperturus, maiore quin etiam ſe illum amore proſequi, quàm ſe ipſe amaret, vt qui animam negligeret ſuam, hoc eſt principem ſui partem, cuius ipſe ſalutem vehementer optaret. Quod verò Compluti vulgò de ſe iactata ignoraret, nihil mirum; comitum culpa id fieri, à quibus obſideretur aſſiduè, & auerteretur ab eius auribus quicquid minus iucundè eſſet auditurus. Illud autem magnoperè mirum, quod ea interiùs non audiret, quæ cælare illum conſcientia non poſſet. Ad hoc nempe te Deus, aiebat, in hunc mundum miſit vt eo, nihilo immoderatius fruerere, quam ſi poſt eum nec cœlum, ſuperſit, nec inferi? éſtque tam flocci æternùm ſeruari, aut æternùm perire, vt non mereatur inter curas tuas locum? ſi te hoc ipſo quod loquor, mori occupet (auertat quidem Deus, ſed neque tibi vel de momento cõſtat) quid te quæſo æternùm futurum ſit? quid iis tot bonis quæ Dei optimi beneficio poſſeſſa in Dei contumeliam & contemptũ vertis? quid fœdis illis quibus te inquinas voluptatibus? quarum nulla eſt quam animæ tuæ pretio non emas. Quid iis denique, quod acerbiùs eſt, adoleſcentibus, quos tam multos tecum in ruinam trahis. Horum ab te reddi ratio quæ poſſit? quò tuam redigis animam infœlicem, alienas dum perdis? Et pergebat aculeos ſubdere, cum impotens iuuenis, ac fremens, domi tam audenter ab homuncione deſpicabili ſe perſtringi; probris illum turpiſſimè excipere, ac ſi mutiret vlterius, iuſſurum feneſtra eiici. Quibus tanquam validè delirantis, nihil commotus Ignatius, inſtat curationi etiam acrius, & in paucis illis quorum adhuc credidit patientem, quiddam illi ſuggeſtum diuinitus, quo furentem ad viuum pungens compeſcuit: quare ſecutus quà cœperat, demum hominem ſibi, ac Deo reſtituit. Hic verò admiratio ſeruorum, quos exciuerantheri voces inconditæ, ad quiduis inſolẽs expeditos, cum videre placidè prodeuntem, & omni genere comitatis demiſſè Ignatium proſequentem. Sed iis multo magis nouum, cum iuſſi menſam inſtruere, nam ſe illi cœnam externo daturum; nec abnuit humanitatem Ignatius quo ſe illi præberet gratiorem, & inductis de Deo ſermonibus faciliùs caperet, vt reipſa euenit; equum tamen, & famulos, qui præluceret domum redeunti, omninò reſpuit, & exinde ſibi amiciorem illo, & acriorem ſui defenſorem habuit neminem, ipſéque viciſſim amauit illum vehementer, quod in eius lucro, plurimos Deo peperiſſet.

Huic ſimilia in dies contingebant, incredibili Ignatij voluptate, ſub cuius etiam diſciplina in pauperum domo coaluerat quædam pietatis academia,

demia, haud paulò frequentior numero quàm literaria. Sed hanc diù ferre Dæmon non potuit, cuius tantùm iacturis quantum Ignatij quæstibus accedebat, cúmque sparsæ ab eo per sceleratos nugæ, de Ignatij veneficiis & incantamentis, pro fabula passim haberentur, nefas commentus est ingeniosius, quo carcere, vinculis, inquisitione multiplici de vita, & moribus iactatum, probitatis fama apud ignaros euerteret, nulliúsque iam ad pietatem fidei, & authoritatis efficeret. Damnarat non pridem in Hispania Tribunal sacrum doctrinæ satores mortiferæ, qui se Illuminatos nuncupabant, cum tenebriones essent hæretici. Serpebat ad hæc in totam Germaniam Lutheri carcinoma: quare ad hoc sacri Quæsitores mille oculos intendebant, ne qua istiusmodi veneni regnum Catholicum libaret contagio. Videbant feruere concursu vicos ad audiendum in Nosocomio Ignatium nec à plebe tantùm, se à primariis etiam audiri. Videbant iuuenum ex academia diuersos à pristinis mores, quibusdam eius præceptionibus quæ secessum, & silentium poscerent. Hominem igitur, vix benè grammaticum in vrbe literata tantum posse ad persuadendum, etsi eatenus inde nihil exisset nisi laudabile, suspicionem tamen fecit, praui consilij, sanctimoniæ prætexti fuco, & sensim noua dogmata sparsuri; aut errorum saltem ex ignorantia pro veris docendorum. Ad hæc eius, & sociorum in vestibus modus ab communi diuersis, non satis probabatur. Sacrorum denique ille vsus frequens, multis octauo quoque die adeuntibus sacram mensam, (quod perinde tunc fuit vt si nunc quotidie adiretur,) nouitatis insimulabatur, damnabatúrque ab nonnullis apertè. Nam Alfonsus Sanchez ad S. Iusti Canonicus idémque doctor, palam aliquando Ignatio, eiusque sociis Eucharistiam negauit, iniecto etiam scrupulo familiaritatis cum Deo nimiæ; sed mente mox in melius versa, eam illicò præbuit, quam dum impertiret, delibutus est tam dulci pietatis sensu, vt ægrè tenuerit lachrymas volueritque Ignatium habere secum ad prandium, & eum obseruauerit tanquam sanctum, præsertim vt audiit de rebus animæ differentem. Acres tandem quorundam conturbationes, cum deliberarent de mutanda vitæ ratione, effectionibus maleficis incantationum attributæ; multo apud nonnullos suspectiorem Ignatium fecerunt. Cuncta portò hæc simul, sed eundo (vt solet) in peius aucta deferuntur Toletum ad sacros Quæsitores, vt ipsi per sese de remedio viderent: inde illi ad hoc secretò Complutum destinant Alfonsum Mechium matoris Ecclesiæ canonicum, vt cum Michaële Caruscio doctore, eodémque Compluti ad S. Iusti canonico probè ritéque cognita referret. Nihil ab eo omissum in examinandis quàm occultissimè de Ignatij vita domesticis testibus, auditoribus quotidianis de doctrina; compertúsque vt erat vtrobique sanctus. Redit ergo Toletum Alfonsus ne conspecto quidem Ignatio, suis tamen in quemlibet euentum Ioanni Roderico de Figueroa vicibus demandatis. Erat hic Compluti vicarius, & vel esse Alfonso, vel videri volens accuratior, quamprimum ad se Ignatium vocare, significare de illo quæsitum subtiliori examine; cessisse omnia in eius com-

mendationem, nihil deprehensum quod argueretur, vnum esse quod minùs placeret, nouum, formæ vnius, vestium colorem; & figuram quas ipse cum sociis vsurparet, religiosis id esse proprium, quales ipse non essent, variandas curaret ab infectore; de cætero pergeret, vt ante fecerat animarum saluti viuere; non fuit difficile morem gerere imperanti, ipse cum Arriaga nigro, Calliſtus & Cazares russo induuntur, Ioannes Gallus, suum retinuit, calceos Ignatius assumpsit, quòd Vicario displiceret eum pedibus nudis incedere. His ad Christi natalem gestis, cum Nouembris 19. anni 1526. tractari hæc primum cœpisset causa; proximo de hinc anno ad sextum Martij cognitionem Vicarius integrauit, ex qua præter prolixam Ignatij laudationem nihil confecit, eumque propterea & magni fecit, & multum amauit, quoad casu valdè inopino, repente in alium est mutatus. Erant duæ inter auditores Ignatij fœminæ nobiles, mater, & filia, vtraque vidua, sed annis adhuc florentibus filia, formâque conspicua Ludouica Velasques; mater verò Maria de Vado; ambæ pari ardore, magnum aliquid audendi, Deóque gratissimum, versabant inter se consilia peregrinationis perpetuæ, obeundique omnia per vniuersam Hispaniam Nosocomia, séque illic in omnia charitatis, & mortificationis miracula fingendi, nihil tamen prius exequi visum est quàm communicassent cum Ignatio suam mentem: at is grauiter obiurgatas manifestis rationibus docuit fœminas præsertim iuniores, quas ægrè sua tueretur domus, passim & publicè vagari, aliud nihil esse quàm occasiones quærere pereundi: id hosti maligno scilicet propositum esse, eas ab suorum auelleret oculis, vt lapsus, quibus innumeris forent obnoxiæ, eo proniores quo occultiores euaderent: non deesse Compluti ægrotos, & nosocomia, vbi non dispari merito, sed absque periculo, possent caritati, & sui victoriæ, si hæc adeò cordi erant, se totas dicare, & hoc illis tum quidem persuasit; sed exeunte iam maiore ieiunio, nouæ aliquod pietatis commentum rimantibus, succurrit idem denuò impetus; & clam cunctis, præter intimè amicas, peregrinarum cultu, & pedites, Guadalupam versus ad B. Virginem, & ad sindonem Iaensem mendicando iter arripiũt. Vt illas abesse vulgatum est, multa de iis temere effusa. Sed vbi ab conscijs proditum eas piè peregrinari, non fugere, omnis in caput Ignatij execratio versa est quòd non viderentur nobiles fœminæ, fuisse tam præceps & periculorum negotium tentaturæ nisi eius, qua erat dicendo vi, allocutionibus permotæ. Indignari ergo in illum plurimi, sed præ omnibus doctor Petrus Ciruelius, penes quem fuerat earum cura, bacchari, & furere, haud magis illarum discrimine, quam suo dedecore agitatus: querripalam, & vociferari apud omnes, enimverò rem esse minimè ferendam, à mendico, ignaro, literarum rudi, fusdéque totam vrbem verti, & quantum liberet, tantum ei licere, restare scilicet hoc solum, vt ab sinu parentum filias, à maritis vxores diuelleret, & eas nomine pietatis, vulgi fabulam faceret: inhibendam esse illam audaciam, quin omnem etiam abrogandam ei facultatem, ex qua non posset aliud expectari

præter

præter huiusmodi offensiones, & probra, vt quæ nec scientiæ ductu, qualiscumque mens esset, nec prudentiæ consilio regeretur. Iam studentium causas apud Rectorem Vniuersitatis cùm disceptandas nosset Ciruelius & Mattheum Pasqualium Catalanum, Rectorem, amicissimum Ignatio esse, non putauit inde quærendam sententiam, qua acerbissima multandum censebat Ignatium; quare apud vicarium Figueroam suas admodum criminosè querelas deposuit, tantúmque valuit authoritas hominis, apud Cardinalem Ximenem gratiosi, qui primas illi Theologiæ docendæ partes contulerat in ea recens ab se fundata vniuersitate, vt mox Figueroa duci Ignatium mandarit. Obuium ferunt dum inter lictores ignominiosè in carcerem ducitur, habuisse Franciscum Borgiam ducis Gandiæ filium, annorum septemdecim iuuenem, inter populi salutationes, & vrbana officia, numeroso famulitio stipatum, cuiúsque hic casus diuinæ prouidentiæ quidam ludus, futura diu post Ignatio gaudia iam tum meditantis. ex eodem Romæ futuro Ignatij & Societatis libente captiuo, eò quidem cumulatiora, quo vnius potestatis, demissionis alter longinquiora recordaturus esset initia, non tamen carcere, sua Ignatio vel imminuta authoritas, vel suorum amor: concurrebatur ad videndum illum, audiendúmque; nec ab eo visendo pudor, aut loci grauitas principes fœminas arcebat: animum verò gerebat tam lætum ac liberum, vt illuc vltro subisse videretur, ad asserendum reipsa, quod verbis docuerat, qui Deum possideret, felicitatem vnà vbique possidere ac frui. Captata quin etiam ex occasione materia, de amore in Deum tam sublimia loquebatur, vt mentis potiùs ob impotentiam inclusum diceres quàm reum, nihil esse dulcius quàm pati propter Deum; eius amore nihil esse iucundius, & hunc eius amorem nusquam esse quam ferendis pro eo aduersis maiorem. Fuit in iis qui eum adibant Georgius Nauerus Scripturæ Compluti interpres primarius, sapientiæ nomine pietatísque clarus, hunc ab ore Ignatij suspensum penitus cùm docendi hora incautum præteriisset, mox in auditorium festinans, operientibus in eius atrio discipulis; *vidi*, inquit stupens. *Paulum in vinculis*, quo nec maius dicere potuit, nec minus dicendum putauit. Interea rerum pergebat Figueroa multiplici examine de causa cognoscere, nec deerant accusatores calumniis, nec querimoniis perperam affecti sed aduersus insontem proferri nihil potuit, quod vel vmbram præferret probabilitatis, contra verò tam multis eius innocentia testibus claruit, vt ad probandam eius sanctitatem, non ad crimen damnandum instituta lis videretur. Doctrinam eius sanam; probi exempli vitam, labores Apostolicis suppares, ante omnia priuatim, ac publicè inculcasse Deum præ rebus omnibus amandum; iuuandos egenos, adeunda nosocomia & carcerem, ærumnas æquo animo perferendas, redimendos voluntariis pœnis annos perperam exactos, conscientiam ad examen bis quotidie vocandam, cuius formulam tradebat, laudare ad diuinissimum epulum octauo quoque die accedentes; eius denique verborum esse pondus tantum, vt in mundi contemptum &

solitudinis amorem audientes validè incitaret. Dum autem causa instruitur, multa Ignatio, multis magnáque officia deferuntur à multis, seu fauoré optaret, seu defẽsionem, in iis Ducis Machedæ mater Teresia Henriques, & Leonora, Mascarenia Imperatricis honoraria, post verò Principis Philippi II. moderatrix, quæ Vallisoleti ante biennium, Ignatij de Deo sermonibus captæ, tanquam sanctum miratæ suspexerant; sed erat vir Dei tam procul à captanda per amicitias liberatione, vt ne tuendæ quidem causæ Procuratorem admiserit. Dei enim causam censebat Deo committi debere; nec posse nisi per calumniam damnari; quod si contingeret, id verò sibi fœlicitati summæ fore; imo vnius è sociis Calistus, cum tunc Segouia audito carcere venisset, seque cum illo in eum sponte coniecisset, hominem statim ad Vicarium remisit, vt eum quamlibet in partem, versaret, eóque indice ac teste pro arbitrio vteretur. Hæc dum ita feruent adsunt peregrinæ tres in patriam reduces, post, quadragesimum alterum ab discessu diem, statímque iuridicè rogatæ, cumulatè Ignatium à culpa vindicarunt, purganda suspicio restabat, arrepti suasu Ignatij, non priuato suo, itineris, sed ante Vicarius officij credidit consolationem aliquam sancto adhibere, quam tamen instar lapidosi panis, iniqua seueritate asperauit. Igitur carcerem ingressus, cum ex eo quæsisset, num illis fœminis peregrinationis author extitisset, negassétque is tranquillè & candidè se fuisse, manu humerum tangens & subridens æquo animo, ait, hæc sola carceris tui causa est, melius tamen & ipsi tibi, & meo iudicio, consultum à te foret, si sermo tuus minus haberet nouitatis: quam vocem Ignatius, conuersionis animarum, insimulantem nouitatis, & ab eo profectam quem officij ratio ad eas iuuandas mouere debuerat, vultu excipiens ad grauitatem modestè composito. Mihi verò, inquit, nunquam venit in mentem, notandum nouitatis, Christianos inter, de Christo loqui; quo breui plenóque responso ita hominem confudit, vt non absque rubore recederet. Duodecimo ab hinc die, tot enim fluxere in perficiendis causæ huius actis, Calendis Iunij 1527. Ignatius sistitur ad audiendam sententiam, qua doctrinæ, vitæque inculpatæ pronuntiabatur, at huic subinfert, se iustas ob causis præcipere, vt omisso talari habitu, ipse cum sociis; cultum studiosis communem assumeret: cogendis præterea, cœtibus & concionibus, imo & priuatis hortationibus tamdiu abstineret, dum qui supererant, tres annos in Theologia posuisset, & hæc sibi sub anathemate, & exilio intelligeret imperata. Vicarij iussa, haud secus ac Dei excepit Ignatius, de veste subdidit, omissurum non ægrè; scholasticorum tamen emendo vestitui, quotidiana stipe victitanti nihil supperere.

XXXIV. *Ignatij honorem calumniantis morte vindicat Deus.*

Quamobrem Vicarius Luzenæ honestissimo Compluti, notæque in pauperes misericordiæ illum commendauit. Is cum Ignatio mendicans, in turbam nobilium incidit propius ædes Lopij Mendozæ, tum pila ludentium, tum spectantium ludentes: rogat ex iis Luzena aliquid eleemosynæ. Lopius pridem Ignatij monitis de corrigenda morum licentia offensus; non

pudet

pude (inquit Luzenam alloquens) clarum virum, mendicum agere, idque in huius nequissimi gratiam, & flagitiosi hypocritæ, velim viuus ardere nisi sit hic planè rogo dignus. Respuere quidem omnium aures qui aderant sceleratam criminationem, oppidique totius indignatione damnata est; sed quod magis horrendum à Deo signata, & in miseri rationes relata sponsio. Paucis enim post horis Complutum peruenit de Philippo secundo feliciter in lucem edito, sequuntur mox gratulationum, & lætitiæ apparatus, priuati, & publici. Lopius vt erat nobilis ex edito sui palatij cum seruo, & ephebo pro virili sua in explodendis bombardis totus erat; cum scintilla iræ flatu diuinæ perlata in aceruum nitrati pulueris rapta, ex eo ingenti flamma Lopium inuoluit penitúsque incendit, is rabiosè vociferans præcipitauit in aquam descendere, quam mox vt attigit, animam efflauit. Sic pœnam sequacem paucis horis anteuertit crimen, vidítque Ignatius illud Augustini *Magnum spectaculum, Deum pro se armatum.* In quo duplex elucet Dei consilium, & tuentis serui sui honorem aduersus Lopij atrox conuitium, & asserentis eius famam à dura Vicarij afflictatione, qui tanquam reum damnarat silentio, quem ex doctrina, & moribus pronuntiauerat absolutum.

XXXV. *Salmanticam profectus vexatur & carcere claditur.*

Sic iussus de Deo tacere Ignatius, & quod consequens erat nouos illi clientes tum quærere vetitus, tum excolere quæsitos, nihil vidit fore consulitus quam si proficisceretur Salmanticam, quod suadebat Alfonsus Fonseca, Toletanus Archiepiscopus vt studiis finem dum illic imponit, obstante nemine, feruori suo indulgeret. At ne illic quidem passus est Deus hærere diutiùs, quin vrgere potiùs videbatur, eius ex Hispania egressum, vt illo studendi proposito quod tenaci semper animo seruauit, Parisios denique traheretur, vbi illi Xauerios & Fabros, & Rodericios parabat, aliósque, cœtûs quem meditabatur primarios lapides. Nec verò aliò spectasse res docuit paucos illos menses Complutensis moræ, etsi tunc secus videretur; eam enim illic opinionem sui, & desiderium fecit, vt propterea illum in Galliam, atque Italiam, ad Societatem eiusdem vitæ conuenerit Salmero. Bobadilla, Olauius, Natalis, Equia, Ledesma, Miona, & alij sanctitate, & literis insignes, de quibus erit dicendi locus. Siue autem illum Complutenses actus à tergo premerent, seu conditio temporum, sancta quoque suspecta faceret, si vel minimum olerent nouitatis, vix dies Salmanticæ quindecim labori solito incubuerat, pari semper conuersionum fructu, cum defertur ad Dominicanos, ij pro sua in fide vigilantia, scire liquidò volunt cuius doctrinæ, ac vitæ sit, & facilè obtinent, ex illo enim S. Stephani cœnobio vnum sibi eorum à confessionibus habebat. Is Dominico quodam Ignatium inuitat ad prandium monétque adesset bene comparatus ad interrogata quibus illum quidam ex fratribus tentare decreuerant. Venit Ignatius, prandióque expleto in sacellum deducitur, vbi Vicarius opera illius in pertrahendis ad salutem quamplurimis vrbanissimè collaudata dicendíque ad populum ardore, quæsiuit ex eo quantum literis dedisset temporis,

poris, quid inde scientiæ hausisset; ille se nec diu in studiis versatum, nec profiteri admodum quicquam scire; nec diu subiecit Vicarius, studiis excultus, nec quicquam sciens? concionaris tamen, expers Theologicæ doctrinæ? concionari, absit voluerim, respondit Ignatius, sed familiaribus alloquiis de Deo, vnam morum emendationem, & sanctimoniam suadere, rogatus de Deo quænam illa essent de quibus ageret? de virtutibus ait, & vitiis. Sunt ista, subdit Vicarius, Theologiæ reconditioris. Hanc tu studendo non es assecutus, nam hoc tu te ipse modo professus es, ergo infusam, tibi diuinitus oportet. Scire ex te velim num ita sit? visum Ignatio non satis consequens quod opponebatur; & ille subtilem virtutum, vitiorúmque anatomen interpretabatur Theologis vsitatissimam, Ignatius vsum & opera, quæ vel saluti officerent, vel prodessent. Responso itaque supersedit, ex quo Vicarius, tanquam deprehensum; & audes, infit, tam ambiguis temporibus, & sementi errorum obnoxiis, publicè de iis verba facere quæ nescis? & duriùs accipis, quod quæ doces iuberis ei exponere, qui possit in iis si quid à te erretur iudicare? Vt quid ea premeres si sana? si secus vt quid ea docere? ad hæc quid sibi vult socij vestitus hic insolens? Erat is Calistus qui paulò ante Compluto aduenerat, & peregrinorum baculum, galerum grandem, & sagum gestabat breuiorem, corporíque procero maximè ineptum, pro se ille satisfaciens, quod superfuerat vestium, ait se mendico egentiori se dedisse: cui velut expedito mendacio arridens Vicarius, quando, inquit, Ignatius sua tantopere cælaret, scire se qua via, ex eo illa exprimeret; his in cellam concluſum cœnobij, triduana illic ad ianuam custodia tenuit, dum causa legitimè tractatur. Per id temporis multi ex religiosis ad eum adire, quidam inspecturi, alij auditurí, ipse cum vtrisque, de rebus diuinis vt solenne habebat tranquillo animo agere, eoque sublimiùs, quo erat eorum capacior, & intelligentior auditor; quare factum ex eo vt conuentus diuideretur in varia, aliis sanctum vocantibus; vt cui tanta cœlestium cognitio, nisi ex eorum altissima contemplatione, non potuisset obtingere; nec adimendam ei loquendi libertatem, in quo Deus sine dubio loqueretur aliis è contrario, qualiscumque is esset, docendi munus absque periculo, illiterato committi non posse, examinari saltem oportere, quid sciret, ac traderet; & num quid fallacis erroris tegeret exterior sanctitas in lucem extrahi. Elapso triduo adest scriba eductúmque Ignatium cum Calisto, secreto carcere includit puniendos potiùs quam illic asseruandos, adeo erat deformis, & horridus, omníque ex parte incommodus, & quasi leuius hoc foret, vtriusque pes alter, catenæ inditur, quæ palmos tantum duodecim sic illos disiungeret, vt mouere se alter non posset vlterius, nisi secum alterum traheret. Scripta præter hæc viri sancti assetica (nam alia non erant) inuaduntur, versúsque illorum quilibet vocatur ad calculos: vinctus illa in cauea erat tam alacer, libérque Ignatius, vt noctem primam canendis quos suppeditabat memoria Psalmis, hymníque cum socio iucundè absumeret, visitur

ab

ab amicis postridiè, qui ne humum quidem nisi cœnosam pro lecto & sedili dum vident, nulla ipsius dehortatione vetari potuerunt, quin mitiùs aliquid ei prospicerent, etsi hoc minus ab iis amari se diceret, quò plus sibi de suis deliciis decerperent, nam si probè nossent quàm beatum sit pati, futurum vt se dignum inuidia non miseratione iudicarent. Diebus inde iam quatuor, iudicio sistitur quatuor Examinatorum, erant hi Isidorus, Parauigna, & Frias Doctores; quartus, Frias item nomine, baccalaureus idémque Vicarius, horum quisque certatim quæstionibus variis, eum lacessere de sanctissima Triade, corporato Verbo, Eucharistiæ Sacramento, etiam de iure canonino; quibus Ignatius, præfatus se doctum non esse, ea tamen doctrinæ soliditate satisfecit, verbisque ad explicandum tam propriis, vt mirari satis ad responsa non possent. Post hæc audire dicentem voluerunt, in primum Decalogi præceptum, vt erat solitus ad populum dicere, quod fuit ignem quo interius flagrabat ventilare, ad proferendam ex eo flammam, nam de amando Deo, præferendóque rebus vniuersis, loqui nisi ardenter non poterat, totúsque perinde incendebatur, vt si Dei amandi potius, in seipso typum exprimeret, quàm exponeret documenta. Interrogatus ad vltimum, vnde suis quibusdam scriptis, venialem inter, ac lethalem culpam discrimen accerseret, quod vel doctissimi, difficilè admodum auderent. Si rectè, inquit, assignatum censetis, nihil potest in contrarium obiici; sin minus, vos ipsi pro vestra sapientia emendate. Hæc dum pertractantur, viri sancti candor & innocentia subito casu mirificè claruit. Socij eius duo tenebantur communi reorum carcere, vltro enim illos iudici indicarat, vt expiscaretur ex iis quicquid vellet: contigit autem nocte quadam, vinctos omnes effracto carcere fugere, demptis Ignatij duobus sociis, ne limen quidem prætergressis; quòd nec ipsi sibi, nec Ignatio timerent, & essent ab eo edocti perpessiones Christi causa, esse in maximis Dei beneficiis collocandas. Sic opinionem de Magistri innocentia conceptam, auxit discipulorum virtus, & ij quidem iam non vinculis tenendi, quia tamen donec absolueretur causa, asseruandi, in domum vicinam translati sunt; sua vt ante in catena relictus Ignatius, maiore in dies cõcursu, primariorum quoque adibatur; adibant enim loquentem audituri, spectaturíque, beato similiorem quàm vincto. Adfuit Franciscus de Mendoza, Burgensis deinceps Episcopus, postea Cardinalis; & Vicarius Frias, inter quatuor Examinatores acerrimus. Hic Ignatium tuens, tam indignè catenæ affixum, miserentis voces tenere non potuit, ad quem Ignatius, ore vt cum in Deum assurgeret, incenso, tibi etiam idem retulero quod paulò ante matronæ nobili, quæ meam hanc, vt ego sentio felicitatem summam, velut summam lamentabatur miseriam: si Deum ex præcordiis amares, scires tantum inesse, in patiendo pro Deo gaudiorum, vt quicquid est in mundo voluptatum nullam habeat cum iis comparationem; de me quidem (quantuluscúmque sum) affirmo, nullas Salmanticæ tot esse catenas, & compe-

des, quin eius amore expectant multo plures, pro quo hanc vnam gero quam putas etiam grauiorem.

Parisiensem adit vniuersitatem, vnde quotannis in Belgium ad eleemosynas excurrit.

Dies aderat vigesimus tertius ex quo Ignatium catena, & carcer macerabant, accitur ab Iudicibus, tandem cum sociis, restituitur in pristinam libertatem agendi docendique, dumtaxat quamdiu non esset Theologus abstineret à culpis lethalibus, & venialibus discernendis, haud quidem in pœnam vllius erroris. Verum quod ea res ita sit lubrica, vt etiam docti de ea timide decernant. Putarunt Iudices, & in iis Frias ciuilitatis officio se perfunctos quo dignum censebant Ignatium, & prosecuti sunt singulari beneuolentia recedentem; sed hinc longè diuersa confecit Ignatius, vt qui prospectu longiore animaduerteret hac, quam vocabant, libertate, sibi silentium imponi, ab se enim peccatum impugnari, vt impugnabatur vicissim à peccato tot accusationum & hostium authore, iam si perpetrata in Deum scelera damnaret, pronum fore, ansam captantibus, dicere definitam ab eo peccati grauitatem, & infracta iudicum præscripta. Quare tribus à carcere lapsis hebdomadis, per amicorum retinentium officia, & preces, modestè reiectas Parisios contendit, eóque mense Februario anni 1528. peruenit. Illic aliquot Hispanorum contubernio, adiungit sese, conducto ex eleemosynis inter eos loco, quas Barcinone acceperat, ne iis corrogandis studia turbarentur, quæ nimium expertus senserat esse ordinatius regenda, & ab humanitate retexenda. Verùm consumpto perfidia socij, aureorum viginti quinque deposito, compulsus est tectum in S. Iacobi, Hospitali domo, panem verò quærere ostiatim: distabat plurimum ea domus à montis acuti collegio in quo humaniores discebat literas; & clausæ ante noctem fores nisi clara iam die non patebant; vnde truncas solum, & mutilas prælectiones referre cogebatur; nec vlla valuit amicorum diligentia obtinere vt professorum cuipiam inseruiret, hero pariter, & Magistro cui vice Christi, sodalibus tanquam Apostolis operam nauaret. Necessitate igitur consiliaria & religioso amico suggerente, per vacationes autumnales in Belgium excurrens, à mercatoribus Hispanis corrogabat, quod in sumptus anni sequentis sufficeret; & protendebatur excursio interdum in Angliam, quæ Catholica tunc erat Sed displicuit ea res Ioanni Maderæ qui erat Ignatij popularis, & Loiolæis dedecori credidit, quasi opibus essent adeo accisis, vt non possent; vel tam sordidè parci, vt nollent consanguineo adesse. Quare aliquando Ignatio religionem iniicere vehementer sategit manifestæ in suos iniuriæ, quorum ita famam detereret, cuius ipse Dominus non esset: atque in hoc Ioannes hærebat tam pertinax vt ab eo errore nullis potuerit Ignatij rationibus abduci. Quæstionem ergo præcipuis aliquot Sorbonæ doctoribus examinandam scripto dedit, possetne vir nobilis, abdicato ob Christi amorem sæculo, absque suorum, dedecore passim eleemosynas quærere? quorum vnum, & consentiens responsum nullam scilicet in eo suspicionem culpæ esse, Ioanni exhibuit, haud quidem tam sui defensor quàm voluntariæ paupertatis quæ nobilitata Christi amore, & exemplo,

exemplo, ne regias quidem obscuret familias, ex quo tamen quis esset, mercatoribus certo innotuit, curabant literis per argentarios annuas illi eleemosynas numerari, quibus non modo ali posset, verùm & socios Fabrum, Bobadillam, & alios liberaliter subleuare.

XXXVII. Verùm ea quam dixi causa in Belgio diuersanti euenit, quod in eo sanctis adscribendo, iurati testes, indubitatæ fidei tradiderunt, nempe Ignatium tanto ante, à Deo edoctum se fore Societatis patrem. Negotiabatur Antuerpiæ iuuenis patria Metinnensis Petrus Quadratus, huic dum manum ad stipem porrigit quam sane ex eo accipiebat, liberalem, prospexit diuinitus quanto largiorem esset quondam ex eo accepturus defixisque in eum oculis. Erit, ait, cum tu Domine mi, tam benigne nunc in me beneficus, tua in patria, religiosæ familiæ Collegium fundabis, quàm per me nihili hominem, editurus est in lucem Deus. Fecit oraculi nouitas; modúsque tam certo asserendi, & partum iam, auctúmque deinceps apud omnes sanctitatis nomen, vt mercatoris animo, nunquam ea verba exciderint; & Franciscа Mansonia eius vxor, primis Societatis primordiis, in quemcumque nostrorum incidisset, consueuerat hoc idem memorare: fidem vaticinio euentus fecit, fundatúmque Metinnæ à Quadrato Collegium, prædictam cum Societatis ortu fundationem eius confirmauit. Dignum quoque literis quod ei accidit, cum Ludouico Viues homine cordato, magnæque eruditionis: Is cum Brugis Ignatium ad mensam, siue vt pauperem, seu alio titulo habere voluisset, agentem audiens de rebus diuinis, tam sublimi stylo, tantáque peritia reconditæ pietatis, hæsit attonitus, ac post eius discessum, iis qui aderant, hic inquit, planè est vir sanctus, & religiosum ordinem quandóque fundaturus, adeò in illo iam tum eminebant ingentis animi ad Dei gloriam opes eximiæ, vt quæ esset olim patraturus vel humano posset iudicio coniici.

XXXVIII. *Primorum Ignatij Sociorum leuitas, & exitus infelix.*

Neque verò (quod dictum sæpius) id eum latuit, ex quo factum vt curas adiiceret nouo delectui hominum habendo quorum par esset animi suppellex magnis rebus quas designauerat in Dei gloriam gerendis. Nouo, inquam, delectui, nam illi quatuor quos ante legerat, instar fuêre sterilium seminum quorum herbescens viriditas spem fallit agricolæ, cum æquis se passibus vidissent non posse gigantem assectari, & quocumque pedem intulissent, inde continuò delatores, calumnias, carceres, catenas enasci. Præter emendicandi victus penuriam miseram, boni licèt viri, vitæ sibi hoc genus putarunt fore non tolerabile, nec ei profecto pares esse alij poterant nisi homines excoctæ & Heroïcæ virtutis. Quamuis, ei primus eorum feruor patienter se accommodasset; in eo autem Ignatius velut in delitiis nataret. Quare alius alio paulò felicius, sed in diuersa omnes abierunt. Callistus peregrinatus in terram sanctam, velut tacto; è cœlo, humi reuolutus mercaturam fecit, & lucri auidus Indiam petiti; quique Ignatio constanter adhærens, Xauerius alter esse potuerat, deserto illo tenuis mercatoris, & vitam, & mortem obiit. Infulis inhians Arriaga in Americam nauigauit,

cúmque iam sibi vt ille alius de vita iucundè fruenda plauderet, ei succisa est, veneno incautè epoto periit. Iacobus Carezes Segouiæ suorum illecebris hæsit implicitus, & quasi fascino totus in alium versus est, vilísque sæculo, cuius ipsi amore Deus viluerat, pro exploratore captus, vinctúsque in Anglia: deinde in Gallia & in Caroli quinti castris; bis quidem ægrè laqueum euasit: semel verò tam diris cruciatibus distortus, vt vitam exinde miserrimam traxerit. Ioannes demum natione Gallus iunior cæteris; tamen prudentior, religiosum habitum induit, & deserta propositi forma, Deum nequaquam deseruit. His primis à ministerio magni operis auersis, ne secundi quidem commodiorem exitum nacti sunt. Horum vnus Ioannes de Castro Toletanus, præstantis ingenij doctor Sorbonicus; alter adhuc studiis incumbens, cognomento Peralta. Tertius de Amadoriis iuuenis Cantaber. Sacrarum meditationum exercitiis ab Ignatio exculti, tulere mox fructus consuetos mutationis insuetæ: nam venditis omnibus, distractóque in pauperes pretio, in Nosocomium S. Iacobi concedere, inter pauperes agere, precatione assidua, præclaris dignas principiis cogitationes concipere. Verùm hæc vulgaribus oculis, quàm erant per se eximia, tàm insigniter stulta credita sunt. Nobiles iuuenes, ac diuites (quales duo primi) fœda familiæ nobilis, & patriæ macula, velut dementatos, aut terræ filios, mendicare, idque Parisiis? circumstare itaque certatim socij, rogare, increpare, aduertere, ad mentem reuocare. Sed agebant animis altius diuinæ gratiæ semina, quàm vt possent verbis eorum præfocari, qui tantò insipientiam prodebant suam, quantò autumabant sapientius se loqui. Responsione hac denique hos ab se amouent: se quoque diuina iisdem oculis olim contuitos, quibus stulta videri assolent; nunc Dei, & Ignatij gratia vnxisse collyrio, quo ipsi dum rentur se valdè oculatos, plurimum egerent; irent ad illum tantummodo; redituros quamprimum, sibíque accessuros; sibi saltem ne vellent impedimento esse, si tantùm pigeret imitari. Desperata ergo persuasione, ad vim confugitur, manu armata è Nosocomio, suam quisque in domum retrahuntur, induuntur decenti, & vrbano cultu; sursum, deorsum toties agitantur, vt foris pacti sint fore se aliis similes, donec Hispaniam post studia expleta repeterent, domi interea pro arbitrio victuros. Sic isti quoque abortiui, non tamen penitus exciderunt, Castro enim haud diu post concionator, suasmet non ferens adhortationes, quibus defectionis à Deo maculam aliis exprobrabat, Valentiæ Chartusianus effectus est, de quo sunt quæ libro proximo dicantur. Profectus in Palestinam Peralta, incidit in cognatum & præcipuis in Italia militum ducem, à quo Romam perductus à Pontifice habuit suscepti itineris condonationem, vndè in Hispaniam rediit. Quid factum sit Cantabro, non est memoriæ traditum.

XXXIX. *Singularis erga infidelem socium seuaritas.*

At ecce hinc tibi, solennis in caput Ignatij tempestas, & veteres de illius magia & cantionibus næniæ, quibus homines dementaret. Ibant hæc per indignantium sermones, duorum præsertim magni nominis doctorum;

Petri

Petri Ortizij, & Iacobi Goueæ, quorum ille duobus Hiſpanis; hic Amadorio diſcipulo ſtudebat. Tam multorum querelis ventilata, Inquiſitorem latere non poterat. Erat is Matthæus Orius ex S. Dominici Ordine, qui ratus de incantamentis, homines ab ſeſe tam ſapienter mouentibus, quod res erat, videre Ignatium optauit, ſed tunc Pariſiis aberat; qui enim (vt pridem narratum eſt) apud ſe depoſitam illius pecuniam, ſodalis decoxerat, in Hiſpaniam rediens ægrotauit Rothomagi; vndè ope omni deſtitutus, eius quem prodiderat charitatem, infœlicitatis ſuæ admonuit. Dedit hic nuncius charitati alas Ignatio, ad reponendam celeri beneficentia fraudulento ſodali infidelitatem: proficiſcitur ad illum quantocyus, vtque miſerum iuuare incipiat nondum præſens, Deo laborem itineris longinqui, pedeſtris, ieiuni, nudis pedibus decurrendi, Deo dicat, exquiſito tamen ſub diſceſſum, in templo S. Dominici, eius nutu, ne quis conſilio error obreperet. Ac ſenſit quidem initio, naturæ quoddam frigus, auerſantis abſtinentiam cuiuſuis alimenti cum labore itineris iungendam, donec vſque Argentulium venit, nonum emenſus milliare; hic ſecum iurgando, pugnando, vi viam vrgendo, in collem enititur integrato etiam ſeueri ieiunij propoſito, quoad vel toto corpore rependo attigiſſet Rothomagum, cum repente interiùs, tam pleno ſe flumine inundari, cœleſtium aduertit voluptatum, tanto membra vigore refici, vt conficiendis eo die quæ ſupererant milliaribus tribus & triginta, vento ferri per aëra, non nudis incedere pedibus videretur. Tam nullo famis tædij, fatigationis, ſuíque adeò; Dei verò ſenſu tam perpetuo ac tanto, vt cogeretur interdum ſubſiſtere, & magnis vocibus, pectus ſancto ardore vaporatum laxare. Prima nox illum domo pauperum excepit, idémque cum mendico lectus; altera ſub dio paleæ cumulus. Rothomagi tertia iacenti ſodali reddidit, quem beneuolè complexus, & iuuit neceſſariis incredibili beneuolentia, & commoditate nauigandi, datis etiam illi ad amicos commendatitiis. Has enim ſancti vindictas nobiles exigunt offenſionum acceptarum: his inflicta damna, & iniurias rependunt. Inſeruiebat ægroto illi ſuo Rothomagi, cum ex amicorum literis cognoſcit quæri ſe ab Inquiſitore Pariſiis; quare reditu feſtinato prius illi reuerſus ſe ſiſtere voluit, quàm ſuum hoſpitium adiret, id modo ex eo enixè petens, vt interrogatis quæcumque libuiſſet, expeditum ſe vellet ad Remigalia, vt poſſet tempori curſum Philoſophiæ inire. Moras illi non fecit hæc cauſa, paucis ſacer Quæſitor illum ab ſe dimiſit, innocentiæ illius abundè conſcius. Quare Ioani Pennæ Philoſopho in S. Barbaræ Collegio dare operam inſtituit.

XL. *Fructus ab eo Pariſiis inter Academicos editi. Pœna illi propter hoc intentata, ſed Deo fauente, honorificè declinata.*

Hic vero ſolito acrius exſtimulare illum Deus ad molitionem ſtrenuam operis, ob quam, fruſtra toties alibi tentatam, illuc denique ipſum perduxerat. Priuatim igitur cum ſcholæ ſociis de Deo colloqui; ad Deum ſenſim pellicere, ſignare animo, & lucrifacere, quos ſibi Deus vitæ imitatores, & operæ comites, tum deſtinauerat, tum verò pollicitus fuerat. Nec multum interfuit temporis, cum dimiſſis ſcholis, cœpit etiam Magiſtrorum

nedum discipulorum circulis ambiri, ad nouæ de cœlo effata Philosophi æ audienda, cuius ipse interpres haud paulò melior, quàm terrenæ, Academîci Professores. Imo vt erant quæ consequebantur ex æterna Euangelij doctrina, quam ex Aristotelis sterili, momenti longè alterius, & depromebantur ea vi dicentis, vt in auditorem altè descenderent, breui euenit vt pluris ipsius quàm Pennæ consilia fierent, qui discipulos malebat Philosophos quàm sanctos. Atque inde alius contra illum decumanus turbo, sed mox Deo placante compositus. Exercebantur feriatis diebus, Ad S. Barbaræ, disputando scholastici; at ex quo sacrorum frequentationem inter illos Ignatius intulit, concursus ad templum ex schola; ad Deum à magistro defluxit. Ictus ea solitudine magister, postquam id semel, & iterum frustra cum Ignatio questus est; non iam remedium, sed vindictam à Gouea poscere, tunc eius Collegij Rectore: mos erat in aula Collegij, perturbatores studiorum publicâ pœnâ castigare, vocabantur ad æris sonum professores, virgis, ad plagas, flagrísque instructi; discipuli ad spectaculi exemplum. Supplicio vt non magnus dolor, sic grauis infamia inerat; & probro ducebatur, cum eo agere qui foret semel ea nota multatus, inuri tamen Penna Ignatio voluit, non tam eius emendandi causa, quàm dedecorandæ illius consuetudinis, vt vitaretur ab aliis. Nec abnuit petitioni Rector, vt qui etiam ipse ob Amadorium vehementer aduersabatur Ignatio: condici tamen adeò secretò de re non potuit, quin per aliquot sibi fidos moneretur, abstineret Collegij aditu; illic pœnam ipsi publicam parari. Perculit hominem indignæ infamiæ nuncius, & ignominiam probrosi supplicij primùm exhorruit, sed mox, acerbè se increpans, ac velut iumentum refractarium conuitiis fodicans, atqui, ait, asine! pigrum pecus illuc te adigam; nec, vt toto tu collo pugnes, capistrum abrumpes, iturus certò es, aut à me raptandus. In hac sui obiurgatione Collegium subit, clauduntur eius fores, stat in omnem euentum tranquillus Ignatius: verùm ex hoc eius liberali promptóque animo Deus, præter suimet victoriam, nihil habuit ratum, mulctámque, maiori aliis detrimento futuram, quam ipsi, ab eo depulit. Post detectos enim cacodæmonis cuniculos in eam tacitè incumbentis ad subruendos hac ignominia in iuuenum animis Ignatij labores, diuersam illi ab desiderio abiiciendi sui cum quo Collegium intrarat, subiecit mentem; salutis videlicet alienæ, cuius erat ad Dei gloriam minister. Correctori ergo in aulam vocanti ad instructum, aiebat, ipsi apparatum, Respondit iturum non grauatè, priùs tamen Rectori se sisteret: illic ore & animo affectus, vt solent qui non propriis sed Dei rationibus metuunt; dixit, longe se aliis casibus, catenis, & carceri assuesse, nec esse tam fracto animo vt leuem mulctam vitare voluerit, in quam vltro induerat sese, cum eius præmonitus nihilo secius in auditorium venerat. Se item aliàs, neque vno loco, actum sceleris eiusdem reum, hoc est iuuandarum ad æternam salutem animarum, nusquam tamen verbum in defensionem, aut sibi excidisse, aut patrono commissum; tanti enim ministerij dignitati & pati, & si vsus est immori futurum

rum putasse non meriti solum ad mercedem ingentis, verum etiam ad honorem. Sed quando non sua, nunc sed boni res publici, salúsque multorum ageretur, eius se iudicio, æquitatique permittere, foret ne satis Christianum, pro refractario punire hominem quærendis Christo animis insudantem (nam quid sibi posset aliud opponi?) & vtrum fas esset illum pœnæ ignominia publicè notare, vt arcerentur ab illius colloquio, quos illi destinabat Deus ad meliora reducendos. His quidem ille, aut per illum Deus Rectoris animum conuenit, qui iam cæcum suum aduertens impetum, oculis prius quàm voce respondit; & prehensum manu Ignatium in aulam induxit expectatione, & discipulis refertam; tum multis ei cum lachrymis in genua procidens, iniuriæ veniam rogauit, quam ipsi, pariter, & Deo, vel annuisset fieri, vel non vetuisset. Est verò hic idem Iacobus Gouea qui Societate nondum stabilita Ioanni Tertio Lusitaniæ Regi auctor fuit, vt in conuersionem Indiarum Ignatij socios adhiberet. Ex quo illa deinceps animarum messis vberrima, cuius fecit sementem Xauerius, Indorum Apostolus, & qui Xauerij generosas ærumnas, non minus animosè, quàm vestigia triuerunt, haudquaquam profecto Xauerium expugnasset Ignatij sanctitas, si dedecorata iniquo supplicio, ne sperare quidem in S. Barbaræ illius contubernium valuisset, nedum agere cum illo familiariter, auersaturo videlicet fastidio nobili, consuetudinem hominis ea infamia notati. Sic auctoritatem Ignatij quibus illam perditum ibant ipsius aduersarij, iisdem artibus diuina bonitas stabiliuit. Nam Goueæ sensus talis viri ac tanti, tam humilibus publicè officiis testatus, conciuit Ignatio assectationem, plurimorum, sed omnium admirationem. Ipse proximæ auctor tempestatis, illius magister, non modo in gratiam cum illo rediit, sed amauit etiam illum vehementer, habuítque semper tanquam virum Dei, nec dissimilis fuit apud primos Vniuersitatis præceptores Moscosum, & Vallium illius existimatio. Præ cæteris tamen Martialis quidam Theologiæ Professor, intima illi necessitudine adhæsit, & de magnis diuinorum arcanis ab eo institui solitus, facilè animum induxit, hæc illum cœlesti magisterio dedicisse, quæ nulla in terris pulpita sonarent: atque eo processit, vt ei priùs doctoris Theologi tradenda insignia deferret, quàm cursum artium peregisset, quod quidem Ignatius nec sustinuit audire; sed hinc non ægrè colligitur: illud cuiusmodi iudicium fuerit Vicarij Complutensis, quo tamdiu Ignatium silentio damnauit, quamdiu Theologus non esset.

XLI. *Mira Ignatij opera conuersiones animarum.*

Dum hæ Ignatio adspirant auræ, haud quaquam eius ardor septis Collegij se tenere, ac licet æquè vt in Hispania non palam, quod esset gallicè imperitus, at occasioni vbicumque se daret, ad opem miseris ferendam præsto esse. Pauca referam ex multis, quorum, in suscipiendo industria Charitas in conficiendo felicitas, æternam merentur memoriam. Homo impudicus alienam perditè deperibat, flocci habens vitæ discrimen perpetuum ob eam subire cui iam demens animam immolasset. Nihil omisit Ignatius ardoris, & contensionis quo ex tam præsenti, exitio infelicis eriperet vi-

tam

tam, & temporariam, & æternam. At neque diuinis, nec humanis rationibus quicquam egit; aures enim, vt solet, & oculos, libido insana, ad omnem veri lucem, & recti auditum misero obturarat. Quare aliò conuersus antidotum ipsemet, vltro sanus & valens haurire decernit, quod à moribundo illud respuente venenum ac mortem expelleret. Hiems erat qualis Parisiis perfrigida, dies in noctem prona, aqua scelesto ad amicam eunti, ponte transmittenda. Illuc se abiectis vestibus collo tenus demergit Ignatius, tenebriorem expectans impudicum, Deum interea cum fletu enixè supplicans vt flagitiosi hominis propudiosos ignes extingueret, atque in hunc finem has suas lachrymas, & conglaciati dolorem corporis ne dedignaretur admittere. Oranti, & aquis in mediis algenti, en adest nocturnus amator solus secum totus, suisque cum turpibus animi simulachris. Huic Ignatius, vt primum audiri potuit, tremulum sed terribile intonans, verborum telis ardentibus tunc demum pectus misero confixit. Iret perditum sese, suóque se spurcus in luto conuolueret; æquè ad perniciem animæ, & vitæ periculum cæcus: se verò illic & pertinaciter hæsurum, & iunctis ad Deum precibus, luiturum illo suimet cruciatu eius nefarias fœditates: iret rediret quot noctibus, reperturum se eodem, & loco, & statu, dum aut illum sua dementia, aut se quod supererat vitæ deficeret. Ad hæc infœlix inhorruit, tum verba spiritus vehementis, tum miserandi tormenti spectacula, & apertis tandem tam inusitato, & cruciabili remedio in vtraque corporis, animique exitia oculis, ad frugem rediit, & amicissimus Ignatio, cui tanti steterat, semper fuit. Nec aut vulgarius, aut imbecillius, quo alium quendam, & Sacerdotem, & religiosum à turpissimi exempli moribus reuocauit. Erat hominis conditio, & gradus qui libertatem corrigendi in laico, licentiam facilè interpretaretur; re igitur, vt in similibus cum Deo, communicata diligenter, Dominica quadam, homini ad pedes accidit peccata confessurus, ac velut vnà persanandæ, & serænandæ conscientiæ gratia, vitæ omnis præteritæ, particulatim lapsus omnes recenset; nec erat hæc sterilis, & nuda sui ipsius manifestatio, sed acri dolore & lachrymis ardens, ad exemplum imitationis lucem præferens audienti, cuius interea Deus sollicitabat mentem, eamque ipsi repræsentabat coram, hoc scelestiorem, quò Sacerdotis cœnobitæ, quàm laici, multo sunt lapsus grauiores; exprobrabat eidem grauius cum intolerabili pudore suam duritiem ac frigus, illa errorum confessio interpuncta crebris suspiriis, & fletu, à quibus se tanto longius abesse sentiebat, quanto suum illum confitentem reum improbitate superabat, ac si tum foret Sacerdos Ignatius, munerum vices mutabantur, & rei sui locum, ipse iudex, dubio procul accepisset. Certò quidem habetur ante confessionem absolutam, fuisse ab eo qui primum fuerat mutatum pœnitus Sacerdotem, manifestasse deinde pœnitenti, animum pessimè laborantem, eique præsidium ex eo ad emendationem petiisse, per quem iam erat morbi sui lethalis, cognitionem sensúmque assecutus, Potitus voto Ignatius curam eius suscepit; Exercitiis spiritus excoluit,

exemplar

exemplar vitæ pœnitentis ex eo effinxit haud paulò clarius, quàm solutæ, ac perditæ antea fuisset. Fuere hæc duo ex ingeniosæ charitatis disciplina, Ignatij inuenta: tertium quod item Lutetiæ contigit, suppeditatum ab eodem qui eius materia extitit, seu potiùs à Deo piscem sua esca captante. Adibat vir sanctus Doctorem Theologum, virum imprimis clarum, inuenit tudiculis ludentem, exceptúsque magna comitate, inuitatus est etiam ad ludendum, siue honoris gratiâ, seu ioco: excusauit Ignatius inscitiam ludi eius rudem, vt qui nec globulum tenuisset vnquam, neque tudiculum, sed vrgenti nihilo secius Doctori, ex interiore afflatu Ignatius, admittam, inquit, Illustrissime Domine quando ita iubes, prouocationem, verùm ea lege ne ioco ludam, nam mei similes pauperes, non decet ioco, sed lucro ludere. Cum autem mihi, præter me nihil sit, meipsum libenter in ludi pretium deponam; & siquidem ludo excidero, solidum mensem me tibi auctorabo ad præstanda quæcumque me posse censueris; at si è contrario victor euasero, vna mihi tantummodo in re morem geres, quàm à te repetam, tuis rationibus maximè opportuna. Condicitur in conditionem, Deo vtrimque inspirante, vt proponeretur: & acciperetur, diuersè vtrimque luditur, tam enim feliciter ludum suum lusit Ignatius vt ne semel quidem annulo globulum Doctor traiecerit; euidenti planè auspicio numinis rectà Ignatij globulos, temerè, & indoctè missos dirigentis: quem ludi euentum in aliquid maius superiore consilio, sibi comparatum, optimus Doctor intelligens, manus dedit, & conuento stetit, acceptísque per integrum mensem ab Ignatio Exercitiis, eum inde prouentum legit quem semper proferunt, vitæ scilicet vel in bonum, vel in melius castigatæ.

LIBER SECVNDVS

SYNOPSIS.

Agit de sociorum delectu ab Ignatio habito ad formandam ex iis Religiosam familiam: de illorum conditionibus, & modis quibus illos Deo, ac sibi quæsiuit. De primis eorundem votis, seu Societatis Iesu rudimentis, in Templo B. Virginis ad Montem Martyrum Lutetiæ editis; & hic digreditur in Societatis vexationes, & patrocinium B. Virginis, cuius illi fiduciam iam inde tum locus, tum tempus quo orta est dederunt. De fœcundis Ignatij eiúsque sociorum per Italiam laboribus. De sæua admodum tempestate Romæ in illos excitata; post quam Ignatius, & Societatis absoluit formam, & Paulus III. in Religiosos Ordines illam cooptauit, & quibus de causis Societas Iesu vocata sit.

I. *Petrus Faber primus Ignatij socius, eius dotes, qua via Ignatio adiunctus.*

PRIMVS Ignatio Parisiis fuit cum Petro Fabro amicitiæ sanctæ nexus: erat is iuuenis Sabaudus, Villareti natus, Geneuensis Diœcesis pago, malè ab re instructus vt qui ortu esset paupere ac vili. Quare admodum puer, paucis ouibus pascendis à Patre rus mittitur, haud sanè, Dei paulò meliori quam egestatis consilio, vt inde iam illum à vulgi prauitate, rustica muniret solitudo, & primæuum illum simplicis innocentiæ candorem, nulli (vt fermè, fit) æqualium ludi siniſtro vapore inficerent. Imbuebatur interea à patre viro bono, & pio, prima salutis disciplina, quæ mox ita puero accedebat, vt posset eam aliis tradere, & verò, vsque nunc monstratur saxum paulò editius, ex quo vixdum sexennis vocatos agrestes fidei mysteria docebat, scitè quidem & probè, sed ea gratia vt bono numero ad eum vicina cogerentur, & prosequerentur munusculis pietatem pueri, & doctrinam, qui ægrè idoneus ad loquendum, magistri iam munere fungeretur. Sed ea felicitate ingenij, mirabilius eminebat desiderium salutis alienæ, in ea ætatula quæ necdum sat caperet quid esset salus. Quibus indiciis præmonebat Deus

Deus, longè aliò puerum quàm agendo pecori designatum, & congenitum illud iuuandi proximi studium, quod tum quale poterat edebat, exiturum in eos animarum quæstus, quos cumulauit postea ingentes, vt olim puer, & pastor Dauid ferarum expugnatione gregem incursantium, Philistæorum internecioni præluserat. Neque illa tamen primorum rusticatio annorum Petri ingenium stipauit, quamuis indoles cæteroqui viuax, culturæ inopia syluescat, contra is sibi studendi copiam decesse impatientissimè ferebat. Quamobrem precando ac flendo denique euicit, vt rure amotus, Petro Veliardo præceptori in Rupensi Collegio traderetur, patre indignum rato, magnis rebus natum, in ministerio bubulci tabescere. Erat Veliardus & probatæ virtutis, & eximiæ charitatis, quem ad erudiendos pueros, non lucelli cupido, adegerat, sed ætatulæ illius piè informandæ, vt quæ vitam omnem iisdem fere moribus exigat quibus fuerit primitùs imbuta; Magistrum itaque agebat non magis literarum, quàm Christianæ probitatis. Vndè inter alia in vsu habuit quæcumque interpretaretur, vel dictaret, virtutum exemplis, & præceptionibus distinguere; tantum verò aberat vt ex Historicis & Poëtis qui solent discipulis prælegi aliquid impurum, aut impium iis sineret inhalari, vt etiam (quod ipsemet Faber testatum reliquit) casti, pijque ex lasciuis & impiis; Euangelici ex profanis in ore illius euaderent. Quantum tali magistro in virtute, ac literis, tam rara indoles profecerit, non est difficile assequi, nam ad virtutem quod attinet, annis tantum duobus sub illo positis, vixque duodennis, castimoniæ voto se Deo obstrinxit, vitæque strictioris, etsi nondum callebat de forma illius statuere, adeò iam tum puerili in corpore, placendi Deo studium ardebat, hos enim impetus non habet virtus nisi iam modum supergressa mediocritatis quo ad nobiliora subuecta sit. Iam quoad litteras, præter linguæ peritiam tum latinæ tum Græcæ, Rhetoricis etiam optimè tinctus est, nec potuit eo præceptore vlterius progredi: verùm anhelanti ad superiores disciplinas paterni amoris obstabat teneritas, non ferens tam charum ab se filium diuelli; res præterea domi perangusta, sumptus ad studia necessarios non ferebat; neutrum tamen delectui obfuit quo Deus Fabrum multis ad salutem reuocandis prouinciis designarat, non ad familiæ vnius, aut pagi consolationem: huius enim cognato Georgio Fabro Chartusiæ Requiæ Priori vim tantam addidit, vt obtinuerit à patre de mittendo Parisios filio, vbi tunc erat præ tota Europa diuinarũ flos, humanarúmque doctrinarũ. Ibi nactus in Philosophicis eundem, quem postea Ignatius Magistrum, Ioannem Pennam, charus in paucis illi fuit, ob integritatem morum, & candorem mirè amabilem, accedente præsertim soliditate præstantis ingenij, & laboris assiduitate quibus effectum est, vt parem inter condiscipulos haberet neminem. Ipse quin etiam præceptor vbi Aristoteli aliqua ex Græco lux duci poterat, Fabrum adhibebat, velut mentis illius interpretem optimum. Ita decursis artium spatiis, Doctoratu inauguratus est vnà cum Francisco Xauerio, & iam erat in Theologiæ limine, cum in Collegium S. Barbaræ

Philosophiæ operam daturus venit Ignatius, sub eodem Penna cursum denuo ineunte. Agebatúrque tunc annus supra sesquimillesimum trigesimus, quamuis enim legatur in Academiæ illius tabulis in laterculo Gallorum (in quem referebantur etiam Hispani, cum Nauarræis, & Lusitanis) 1529. Martij 15. renunciatus Doctor: cum tamen anni exordium à Pascha tunc Parisiis duceretur, eius temporis vigesimus nonus in nostrum trigesimum cadit. Conitárque idem ex eo pariter quod de duobus Ignatij sociis eodem libro habetur consignatum; Claudio Iaio, & Simone Roderico, quorum ille Martij 6. eóque Sabbato anni 1534. Hic mensis eiusdem quarto & decimo, sed anni 1535. die Martis, secunda ieiunij verni hebdomade, Magistri artium creati sunt, quod nostro computandi more respondere non potest, nisi eius sæculi annis proximè sequentibus trigesimo quinto, & trigesimo sexto, quorum priore, Martij sextus in Sabbatum incidit; altero quartus, & decimus in eum quem diximus diem Martis, negare hanc lucem annorum dispositioni non debui, nec rebus Ignatij dispositionem iis annis alligatam. Ingressus Parisios Februario mense Ignatius, anno 1528. initum Remigalibus anni subsequentis curriculum 1533. absoluit, & doctoratûs insignia Martij 13. accepit; indè annos quatuor integros in Theologia posuit ad vsque annum 1537. vt postea enarrandum erit. Cursu igitur artium in S. Barbaræ inchoato, qui tunc annos tres & sesqui tenebat, Petro Fabro à Penna Ignatius tanquam secundario Magistro commendatur, vt ei prælecta publicè, priuatim repeteret, inculcanda sibi eorum memoria, & fierent illius intelligentiæ proniora. Ex hac mutua consuetudine breui alterum alter primum intimè perspicere, dein, quod consequens, mirari, & amare, cum vtrique abundè inesset quod miraretur, & amaret in altero: nec posset Ignatius, cœptis suis nanciscí Fabro aptiorem, nec Socium Faber Ignatio sibi gratiorem. Diu tamen vterque affectus presssere tacitos, licet Fabrum Ignatius suis valdè consiliis vtilem; Faber Ignatium ad interiorem sui curam, cui par solus non esset, perneceſſarium iudicaret. Eóque demum increuit neceſſitas, vt semotâ iam obseruatione, apertè se totum Ignatio crederet. Pulsabatur enim imaginibus impuris eò molestius, quò erat integritatis amantior, & mente Religiosior: vrebat hinc illum susceptæ voto castimoniæ ingens amor; fœda hinc animo simulachra motúsque insultabant, quibus licèt vehementer abhorrens, inquinari perpetuo videbatur, nec domabant corpus hostiles pœnæ quibus in se asperè sæuiebat; acceſſit quin imo aliud ab gula malum cuius proritabatur illecebris; auxítque vtramq; molestiâ quod leuare illam debuisset, constans videlicet aduersus vtramque animus, ex quo illum inanis gloriæ, dum blandi titillarent motus, nihilo securior fiebat victoria, quàm pugna. Ad hæc denique, quod ferè bonarum est mentium, verminatio scrupulorum tanta, vt silentio tandem impar, & patrocinium quæsierit ab Ignatij precibus, & ab consilio medicinam, séque illi propterea integrè manciparit. Quòd autem scrupulosi exoticas planè alienásque vt plurimum curationes moliuntur, vbi vis morbi vltra modum insanit,

sanit, indicauit sibi in mentem venisse, de solitudine petenda, vbi nec occurreret cuiquam, nec quicquam occurreret, cuius obiectu impudicæ cogitationes mouerentur; herbis verò, & frigidâ tamdiu corpus illic emaciaretur, donec animi quietem in lucro ponere didicisset. Sed non erat tanto ad victoriam opus, cum ex Ignatio grauioribus præliis defuncto, posset artem vincendi tum securiorem, tum faciliorem condiscere; nam vt longinquam in heremum se altè quis penetret, se tamen ipse semper secum portat, nec transuersum vnguem ab hoste capitalissimo recedit; & docet expertus, præter alios complures. Hieronymus etiam deserta Palæstinæ Romani Theatri clamoribus, & plausu; sonuisse feris peruios solis syluarum recessus, puellarum choreis gestire visos ac strepere, nempe quas animo impressas illuc intulerant, qui dum iis se latebris conderent, putabant se illas omninò erasisse. Nec item extrema ieiunia sat certò lasciuiam expugnant, cum certum sit homines exhaustos ieiuniis qui ægrè vitam pelle, & ossibus retinebant, carnis stimulis fuisse obnoxios: quare nouo tyroni, vsu edoctus Ignatius, aliud censuit plus posse conferre, cuius præsidio, fusisque pro illo ad Deum precibus, breui grata pace illum composuit. Præter quod partæ libertatis bona pars videtur demissioni tribuenda, latentia vulnera candidè retegenti. Siue est hæc merces abiicientis sese, remedij gratia, ad aperiendos alteri verecundos nævos; siue hostis ingenium, refugientis pugnam, cum duobus deinceps ineundam. Spectabat tamen grandius aliquid in curando Fabro Ignatius, sublimiorem nempe gradum absolutæ virtutis, cuius illum optabat desiderio incendi, vt eum operis quod meditabatur, postea socium haberet. In illa itaque tristia libidinis; gulæ, & gloriolæ tentamenta, examen illi præscripsit singulare, cuius triplici quotidie vsu, fibras sigillatim reuelleret affectionum cognatarum, ex quibus tot illa pullularent germina virulenta: quod si ab Dæmone proficiscerentur, etiam in solo naturæ ab iis alienæ, spuria semina spargente, interiores dictauit motus; quibus clam omnibus procul periculo vanitatis aduersus illum tueretur sese: ab scrupulis denique, suo enim sumptu & quidem graui, horum euaserat optimus medicus; ita paucis diebus hominem extricauit, vt vitæ totius hexomologesim illi suaderet; quod iis non potest sat tutò committi, quorum facilè solet conscientiam, miscere, & quietem susdéque vertere. In quo tamen id quoque studebat Ignatius, vt de se Faber in posterum aliquid certi statueret ad suscipienda cœptis prioribus maiora. Quam in rem mirum quantum iuuet, vitæ anteactæ, probæ, malæ, decursus omnis distinctè simul oculis obiectus: valuit etiam ad eum fortius Deo adstringendum frequens inter illos de diuinis sermo, quo tam iucundè vtérque pascebatur vt nisi de cœlo, ac Deo nihil nosse præterea viderentur; cóque res venit vt inhibenda necessariò fuerit. Vbi enim sub noctem confederant ad Philosophica eius diei retractanda, seu ex re ipsa quæ repeti deberet aditus pateret ad superiora; siue alter ipsorum (quod iis frequens erat, animi affectum in piam aliquam

laxaret vocem, mox vt stipulæ ex scintilla, sic flammam illicò rapiebant; aliúsque ex alio de Deo, & cœlestibus sermo, bonam noctis partem velut momentum absumebat; vt qui rebus mirè placentibus occupantur, sic in iis toti sunt, vt ne sui quidem nedum aliorum meminerint. At hæc literarium profectum cum magnoperè retardarent quem ex mutuo de Philosophia congressu quærebat Ignatius, conuenit inter illos, ne quid de Deo interiiceretur horis repetitioni attributis; pactúmque deinceps bona fide vtrinque seruatum. Sic in expoliendo sensim Fabro, biennium insumpsit Ignatius, cui iam altiorum capaci, die quadam non alia quàm amicitiæ vnius fiducia; fixum sibi esse aperuit in Palæstinam nauigare, suámque illic operam & vitam infidelibus conuertendis impendere; qui Deum ex animo diligeret, nihil posse melius Deo dare; nihil posse à Deo maius accipere quem Deus haberet chariſſimum. Nullam excelsiorem Apostolicâ vitam; mortem nullam Martyrio pretiosiorem. Ad hæc Faber, sexcentis hactenus in deligenda vitæ ratione, anxietatem flatibus agitatus, quasi Deo tunc illas dissipante, rapi se penitùs in idem consilium persensit, arctéque Ignatium complexus, illi se socium instituti dedit, fuítque hic primus Ignatij filius, patri non indecor, vt eo filio dignus quoque pater Ignatius; hunc igitur nactus meliorem terreno animi sui patrem, huic putauit relicto alio inhærendum. Quare in patriam matre iam mortuâ reuersus, substitit illic menses octo, multorum potius interiori solatio, quàm vt suis gratificaretur. Inde post patris adprecationem,& veniam mancipandi se diuino obsequio, Parisios repetiit, vnum se ex paterno lare, & sæculi rebus, tam nudum secum ferens, vt ab Ignatio alendus fuerit piorum liberalitate: atque hic mundanis iam vinculis & curis vilibus solutum, maturum ad Exercitia capessenda Ignatius censuit, vt eorum vi tota, primos inuaderet aditus virtutis illius excellentis,cuius erat mirificè capax. Sed nouo planè ad stuporem modo ea Exercitia transegit: nam ex Collegio S. Barbaræ vbi contubernalis Ignatio & Xauerio erat, in pauperem casam via Iacobæa secessit. Hiems erat tam fera vt conglacians Sequana quæ vrbem diuidit, onustos currus tutò transmitteret. Faber cœli aspectum conferre sibi ad benè orandum sentiens, prodibat angustam in cortem gelu ac niuibus constratam, & sub aperti cœli rigidissimo algore malè vt erat à vestibus munitus, horas aliquot nocturnas traducebat, quodque aliis foret intolerabile, precanti nihil oberat, cum applicatâ vix ad orandum mente, igne interius maiori, quàm exterius frigore, vreretur. Vndè ratum habebat ne scintillam quidem dumillic hæreret admittere, & carbone ad focum antea parato, vtebatur pro lecto, in eum vno tectus indusio se iactans, ad cruciatum potius quàm ad somnum: cui tormento præterea adiunxit: sex totis diebus continuatum ieiunium, solo diuinæ Eucharistiæ pabulo contentus, producturus quoque inediam quamdiu illi sufficeret natura, si non Ignatius vetuisset, nam ex vultus defluí pallore, labrísque liuentibus argumentatus quod res erat, cognitáque porrigendi ieiunij voluntate,

luntate, post consultum precibus Deum, iussit eodem die cibo, & foco recreari: fuit tamen hoc Fabro suum huius ieiunij pretium, quod extincta sit prorsus illa fames quam illi seu Dæmon, siue natura incendebat ægrè ieiunij patientem. Expleto penso Exercitiorum, initiari Sacerdotio optauit, cuius primos in iis fecerat apparatus; incredibili affluxu deliciarum cœlestium consecratus, seque ipsum Deo in Sacerdotem, ac si dignaretur in victimam deuouens, sacrorum primitias obtulit die S. Mariæ Magdalenæ Festo, quam præcipuo venerabatur cultu, inde secutus est in studio Theologiæ vtriusque haud segnius mysticæ, quàm scholasticæ pergere.

II. *Xauerius primũ Ignatij contemptor, post eius sociis, quo pacto Deo, illique adiunctus, quàm dirè ne id fieret à Dæmone pugnatum.*

Francisci Xauerij fuit sors altera; nisi fortè verius Ignatij dixerim, qui nactus in eo pectus capax ingentis illius animi quem ipse alebat, sancta illius institutione id assecutus, est vt discipulum haberet Apostolum. Quod profectò semper agnouit Xauerius; nam vsque ab Indiis magnos illos quibus agebatur in labores, & quæuis ardua spiritus, profitebatur sibi ab Ignatio inditos, cum quo ipse tanquam superiore vi, conatus, & operam iungeret. Nec verò minus fortunatus, vel vno Xauerij quam multorum lucro foret Ignatius, vt neque infœlix egestas illa est quæ suis omnibus pretiosam emerit margaritam, cum lucro immensum quæstuoso, iacturas mille, sed exiles, & macras sarciuerit. Felicior planè vna de Paulo victoria Stephanus, quam longinquis & sparsis conuersionibus plurimorum; is enim Christi tunc efferus insectator, post orbis integri piscator, vt eum Chrysostomus nominat, & chori Magister domesticas iuxta, & barbaras voces omnium gentium in concentum vnius Christianæ fidei collegit. Sauerium, siue Xauerium, vt indigenæ efferunt (ex quo Francisco Xauerio cognomen) in Nauarra Castellum, diei itinere Pampelona distat, ad quam Ignatius vulnus accepit salutare, quanquam autem Ioannes Xauerij parens gente Giassia ortus esset, cognomentum matris penes filios mansit, Mariæ scilicet, Azpilquetæ & Xauerij Dominæ, ne clarissimæ, & antiquissimæ inter Nauarræ familias obliteraretur memoria. Huic meritorum insignium à Rege Theobaldo Castellum Xauerij præmium datum est, cœpítque tunc dici Xaueria, cum prius Asnarezia vocaretur, & trecentis plus annis Castellum id tenuit. Cæterum eodem quo & Ignatius anno 1497. In lucem hanc venit Xauerius, fratrum natu postremus, sed eo felicior, quod eos ambitus, hunc sibi mundi contemptus abstulit. Ad hunc tanto ante attemperauerat illum Deus ingenita puero indole multum à fratribus diuersa. Capiebantur illi armis, hic literis paterni hæres & æmulus genij: fuit enim consultissimus Iuris pater, & Consilij Regij auditor, atque apud Ioannem Tertium Nauarræ Regem magna gratia floruit. Sub annum 1527. Lutetiam profectus Xauerius, tertio post studiorum anno appellatus est artium Magister, Martij quinto & decimo; mox triennio & sesqui, Philosophiam docuit singulari laude præstantis ingenij. Studiorum sodalem habuit, vt ante indicaui, etiam aliquamdiu & contubernalem in S. Barbaræ Petrum Fabrum; fuítque mira res, & ortu nobilem, & pares

ortui

ortui animos tollentem, non fastidisse contubernium rustici iuuenis adhuc opilionem redolentis. Sed nimirum hæc erat prouidentiæ diuinæ circa illum cura, & nimium interest ad continendam studentium iuuenum incautam licentiam, socius aliquis cuius vel aspectus, & occursus, modestiæ, honestatísque censura sit. Quanquam id Xauerij potius virtuti tribuerim, quam fuisse oportet egregiam; quod florens ætate, succo, & sanguine, suíque arbiter & mirè amabilis; sui tamen custos tam Religiosus extiterit, vt quem materno ex vtero tulerat pudorem virgineum, moriens secum abstulerit. Eius de cætero cogitationes, vltra honores euanidos non ibant. Hos metam ponebat vltimam generosarum animarum; vnde Ignatium qui tunc alter ad Fabrum accesserat socius, famæ, sui, cultúsque negligentem, & malè ab rebus necessariis habitum, spernere; abiecti & vilis animi, eius illam excelsam deiectionem sui arbitrari; víxque in eum oculos sine aliquo nauseæ renisu coniicere; monita verò introspiciendi sui enitendíque ad Deum propius, interdum ab Ignatio iniecta non aspernari modo, sed ipsum quoque monitorem falsè ludere, & ioco traducere. Verùm Ignatius, eorum quibuscum ageret periclitator vbique mirabilis, statim animaduertit, non esse Xauerij vulgarem geniũ, & mediocribus contentum; huiusmodi autem, soli humilius radendi nescios, & passim aliis teri solita dedignantes, si semel ab caducis ascensum ad æterna tentarint, in altissimos volatus assurgere; indè quanto cernebat Xauerium alieniorem, tanto contendebat omni officio illum demereri vt eius animo Deum insereret. Ad hoc igitur callidè ipsius ambitum vertere, vt amorem Iuditha ad irretiendum, & debellandum Holofernem; obseruare studium hominis, ingenij famam & doctrinæ captantis; prensare illi auditores, discípulos aucupari iísque illi tradendis, perductoris munere perfungi, vbique demum honoris illius, tenues etiam pro aris & focis tueri ac prouehere rationes. Quibus Xauerij nobilis indoles facilè obstricta, videre iam aliis Ignatium oculis, haberéque illum ex vero amicum, admodum familiariter confidentérque cum illo agere. Ad hæc probè norat illustribus ortum natalibus, & hos etiam illi aliquando inanitatis, & gloriæ fumos cerebrum oppleſſe; quod autem nunc adeò alius ab illo, ídque Dei vnius amore quo flagrabat; videri iam prorsus aliunde quam ex vili, & degeneri pectore profectum sed magno potius, & excelsiori rebus his infimis, quas velut suo indignas ambitu calcaret. Ita sensim Ignatij sanctitas, diuersam illi à prima facie præferre; Dei etiam castra, campum illi magnarum mentium, magníque heroicè gerendis pandere haud paulò ampliorem quam esset in quo serpilla pro palmis captaret. Optimis interim occasionibus, quæ multæ se dabant, opportunè vsus Ignatius, validè hominem adoriebatur, & quà se ille tutiorem rebatur, illac Ignatius magis debilem sciens impressionem acrius vrgebat. Crebrò igitur ipsius auribus illam intonabat potentissimam Christi vocem, [quæ si altè animum subiret, infrigidatura mox erat omnem illam bullientis gloriolæ vanitatem, *quid prodest*, aiebat

bat *homini si vniuersum mundum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur.* Exin Christi fidelis interpres, ad hoc eius effatum mirabile, Franciſce, inquiebat, ſi præter hanc quam trahimus vitam alia nulla eſt, & noſtrum hoc exiguum viuere, & mori æterna non ſequitur viuendi neceſſitas; do manus, & victum me fateor. Sapis vnicè, vitæ huius commoditatibus & honori ſtudens: erro ego & ſtultè facio qui tibi author ſum partis quoque proiectis, te abdices; at ſi hoc tantulum vitæ punctum, immortalitatis lineam inchoat; tuum eſt tecum vtrumque otioſè metiri, illam tempore, hanc æternitate, vt ex indiuiduo momento, & infinitate ſæculorum conficias, quid puncto temporis, quid æternitati tribuere debeas Tu tibi fœlicitatem vitream vt hic ſtruas, teipſe deſtruis, cogitationibus inſiſtens quas tibi iudicio, profecto nimium humili generoſas, & ſublimes fingis; nondum ergo tibi fortuna tua peracta eſt, vt neceſſe ſit ad eam abſoluendam teipſum abſumere? ſi tamen non credis te hoc tuo conatu elaboraturum aliquid melius quàm cœlum, & durabilius æternitate. An non tua eſt in præſens, aut tibi parata cum cœlo æternitas? quis te horum ſi voles poſſeſſione prohibeat? quis te ſi ſemel poſſederis expellat? non tempus, non vſus, non caſus aliquis, ecquid placet certare & immori, in beatitate lutea, cœleſti animæ fingenda? & exaggeranda fumo, & flatu illius magnitudine ad implendam mentem, Dei vnius immenſitate explebilem? cæcorum eſt, quos latent longinqua, quod primum occurrit prehendere. Cœlum qui ſuſpicit, aut illum terræ conſpectus deſerit, aut æſtimatio: nihil ſentit de illa maius, quàm de terra, & luto; indignis ſcilicet ob quæ cœlum periclitetur animo, & animus cœlo. Nam etſi ſuum illud ſummum, ſuum illud *Omnia* tibi addicat mundus, cuncta orbis regna, pompámque illorum in luce fulguris raptim obiiciens; quamdiu illud tuum, tecúmque futurum eſt, niſi anguſto quibus ſuperſtes futurus es aliquot annorum ſpatio? & protendas illud in centum ætates, annon eius demum ſupremæ diei, vitæque occaſus veniet. Fuiſſe paruo, & breui diuitem; poſt Dei exhæredem, & æternitatis, hæc nempe cuiquam compendioſa negotiatio videri poſſit? quis illorum aut nomen, aut numerum edat, qui vixere hactenus diuites, illuſtres, excellentes; nec tamen reipſa tales eſſe ſinebat numerus. Præſtantiæ nomine dominatio vocabatur, & cuius Domini, & poſſeſſores videbantur, ad hoc ſibi ſeruabant vt breui relinquerent. Eſt-ne inter illos qui ſecum hinc obolum tulerit quo illic vteretur? qui vel ſeruulo vili comitatus abierit? qui de purpura ſua filum diſcedens reuulſerit quo ſe Regem fuiſſe, illic oſtentaret? æternitatem momento inituri, viderunt retortis oculis nouos in ea quæ poſſederant Dominos inuolare, dum ipſi ſecum abibant ſoli non rerum ſibi ereptarum, ſed operum vicem recepturi. Neque his à me hoc agitur, vt tui amplitudinem pectoris, & nobiles curas in anguſtum cogam, imo ſuis potius ex anguſtiis humi ſtratis, in ſublime, & immenſum educam. Anguſtas voco, & humiles curas, quarum ſe quantumuis complexus

exporrigat terræ punctum ad summum colliger; quantumuis se efferat, vix palmum se humo attollet: ac licet optatis desideria impleas, non explebis tamen, sunt enim capaciora orbe toto, neque felicitati vnquam, delitiis; honori dicturus es plenus sum, abundè est, ne plus vltra. Hoc verò tunc solum dicturus es cum Deum possederis, nihil aut extra illum, aut illo inferius requires, vtpote omnibus in eo potiturus. Mundi autem huius qui tibi nunc tanti est, vniuersa bona, tuis comparata, stillam ad oceanum putabis. Pulchra omnia, & formosa, scintillam morientem, ad pulchritudinem immortalis, & æterni solis. Prudens es Franciscе, ac sapis, prudentiæ tuæ statuendum relinquo, præstétne terrenis omnibus nunc illud opponere, *quid prodest homini*? an vero postea iis breui potitum, frustra æternum eiulare, *quid profuit*? Hæc sacræ Philosophiæ capita Franciscо tradebat Ignatius, vt in eo Christi stultitiam formaret, mundi sapientes derisuram, nec egit ille Magistrum præstantiùs, quam hic discipulum, nam qui linguam Ignatij, aures idem soluebat Xauerij, quibus se in eius animum penetraret. Ac turbarunt primum insueta hominem monita, qui solet esse motus primus virtutis, & gratiæ, cum natura, & vitio pugnantis, at motum secuta iudicatione admodum fœlici, quicquid terreni & caduci fermenti latebat ex mente libera exsudauit. Optasset Ignatius curationis huius initia Exercitiis ab eo confirmari, sed docendi munus, & discipulorum interpellatio tunc quidem obstitere: horum vicem secreta interim & frequens subibat de summa salutis communicatio, in qua spiritus lacte, ad solidiorem sensim cibum ab Ignatio firmabatur. Sed grandis illa vox, *quid prodest*? cuius quanta vis esset expertus senserat (hoc enim remulco, ab rebus fluxis auulsus est) fuit illi exinde in ore perpetua, & validissimum telum ad extorquenda ab aliis eadem, quæ ab se per illam extorta gaudebat. Legitur eius Cocino ex Indiis ad Simonem Rodericum Epistola desiderio ardens, Ioannem Tertium Lusitaniæ Regem ad propagationem fidei acrius inflammandi, reuocanda illi horum tantum verborum memoria, *quid prodest*? [Si possem putare, inquit, Regem à meis consiliis, sanè fidissimis, non fore alienum, cupidè illi suppléxque suggererem, quartam horæ partem quotidie huic versandæ sententiæ tribueret, *quid prodest homini si vniuersum mundum lucretur, animæ verò detrimentum patiatur*. Eiúsque, cum intimo sensu intelligentiam, infundi sibi à Deo posceret, nec vellem eius ad Deum preces alia præter hanc absolui clausula, *quid prodest homini*? nunc enim demum est cum ab errore eximi debeat, propiore scilicet quàm credat hora illa qua Rex Regum, & Dominus dominantium pereulsurus illum est hoc vadimonio. *Redde rationem villicationis tuæ*. Quare te quæso id cum eo agas, vt necessaria infidelibus conuertendis auxilia mittat.] Hæc ille, cuius tam commodi clientis indoluit quidem iactura Dæmon, sed multo acerbius innumerabiles sibi ereptum iri ab eo animas, & primos in semota regna Euangelio aditus referandos, quod piæ cuidam Dei famulæ prædictum, fortè resciuerat. Quare artes suas eò non

Quid profuit superbia, aut diuitiarum iactãtia quid contulit nobis sæp.5.

distulit,

distulit, dum sibi mutuo Ignatius, & Xauerius in S. Barbaræ Collegio occurrerent (illum enim vel sola Ignatij, Parisiis mora, nimis tenebat sollicitum) sed Ioannem Xauerij patrem per suos perpulit vt eum ex Academia domum reuocaret, quod tantum pecuniæ, spe nulla vtilis, in sumptus proiicere, esset omnino superuacaneum, qui planè dolus hosti procedebat, nisi hunc Religiosæ Virginis & sanctæ contraria monita elusissent. Fuit hæc soror Xauerij Magdalena, olim inter præcipuas Reginæ Catholicæ honorarias, tunc verò Gandiæ in cœnobio S. Claræ, Christi beatior famula, insigni dum vixit, & post obitum fama sanctitatis, & singularibus de cœlo suffragiis aucta. Illi cœnobio dum præesset, præsciuit diuinitùs quam vberem operam, Dei & Ecclesiæ rebus daturus esset Xauerius: dedítque ad patrem literas vt quanta ipsum diuinæ gloriæ tenebat cura, tantoperè caueret ab reuocando Parisiis Xauerio, pergerétque suppeditandis illi quæcumque opus forent, donec Theologiæ studia clausisset; hunc enim à Deo aiebat apertè, Indiarum Apostolum fuisse designatum, & in firmam Ecclesiæ columnam, & hanc diu seruatam Epistolam multi ab se lectam iuridicè sunt testati. Haud grauatè parens filiæ literis persuasus propter eius opinionem sanctitatis, omnem de reuocando Xauerio cogitationem abiecit: aliundè igitur cacodæmon aggressus Xauerij vota euertere, quendam ad hoc Michaëlem Nauarrum, genere, & animo vilem in furorem egit, hic videns Xauerium, cuius alebatur sumptibus, totum se Ignatio credere, futurúmque vt totus pariter in eius vitam egentem, & humilem transiret, decreuit eodem scelere, victum sibi qui erat defecturus, & domus Xaueriæ honorem qui abiiciendus, vnà stabilire, idque tollendo è viuis Ignatio. Quod erat scelesto nimis ex voto succesturum, nisi sollicitus amborum Deus auertisset ictum ab Ignatij corpore, qui erat Xauerij animum confossurus; dum ergo sicarius scalas iam frigide inscendit, vt improuisus suo in conclaui adoriatur Ignatium, voce terribili sistitur, quo te infœlix? & quò tendis? quibus perterrefactus, suíque dubius, ac tremens aduoluitur Ignatij pedibus, & deliberatum confessus crimen, & criminis causam, veniam petiit.

III. *Iacobus Lainez, Alfonsus Salmero, Nicolaus Bobadilla, & Simon Rodericus Ignatio socij accedunt.*

Secuti sunt in disciplinam Ignatij Xauerium adolescentes Hispani duo, egregiis dotibus Iacobus Lainius Almazanensis (qui est in Sequenzi Diœcesi pagus) & Alfonsus Salmero prope Toletum natus. Prior annorum vnius & viginti, alter decem & octo, raris vtérque ingenij, studij, doctrinæ, & supra ætatem ornamentis: erat enim Lainius in Philosophia magister; Salmero præter hæc, Græcè, Latinè, Hebraicè callens. Compluto illos confectis studiis Parisios pellexit, haud tam illa cupido novi, familiaris veteribus, consuetudine præstantium vbíque hominum fruendi; quam Ignatij sanctitas, cuius remanserat Compluti, & afflabat Parisiis Complutum is odor, vt eius videndi studio, audiendíque ex eo pietatis doctrinam, dum specularentur subtiliores scientias, in Galliam venerint, & Deo placuit, profectionem hanc non obscurè probare: cum iis Parisios ingredien-

tibus primum obiecit Ignatium, quem cum Lainius vidisset nunquam, quia tamen sanctum inquirebat, talisque aspectu & incessu visus Ignatius; creditus est esse quem expetierat; & quasi excipiendi sui causa diuinitùs misso, amicum se ac discipulum dedit, magna sua & Ignatij voluptate, gratulantis sibi, lectorum accessu militum, Deum suis desideriis fauere. Nec enim hic solum, operis socius quod meditabatur, illi venit, sed eidem fundato iam operi post Ignatium præponendus. Hic enim ille est Iacobus Lainius, qui sparsis Europa & Africa, claris pro Ecclesia Dei laboribus, qui Pontificis Theologus, Synodi Tridentinæ, præsens sæpius admirationem promeritus; qui paratam sibi à Paulo Quarto sacram purpuram constanter auersatus, vitare non potuit quin ab Societate, defuncto Ignatio iudicaretur simillimus, eique præficeretur Generalis: quodque inter tot laudes splendet augustius, par orbi regendo habitus, ei se oneri demissione sui verecunda, fugáque subduxit, cum duodecim Cardinales in secreto concessu de Pauli Quarti successore, hoc ipsi tentarent imponere: raro in historiis exemplo vocandi hominem ad Pontificatum, quem nec Mitræ, nec purpuræ honor antea decorasset. Comitem, non diu post, secutus Salmero, exercitiis cum illo ab Ignatio excultus est, ea in vtroque contentione pietatis, vt totum triduum absque vllo cibo peregerint; Lainius alios quindecim solo pane & aqua contentus; præter cilicia, flagella, & nudis in tabulis somnum breuem. Diuersam ab his in Nicolao Alfonso viam iniit Deus. Huic cognomen Bobadillæ, natalis prope Palentiam pagus fecit. Vallisoleti iam philosophiam cum laude non vulgaris ingenij docuerat, & Theologiæ cupidus Lutetiam venerat, vbi eum egestas ad Ignatium compulit, postquam enim resciuit de frequenti, & larga multorum liberalitate, quam nota sanctitas conciliabat Ignatio, subsidij aliquid ex eo quæsiuit, optabiliori prorsus quàm sperauerat euentu; nam præter pecunias ad victum, pretiosius ab eo lucrum tulit, auxilij ad salutem animæ efficacis; vnde Ignatium sentiens meliori quàm primò rogasset [moneta diuitem, post mensem obitum in Exercitiis, quintus ad eum socius accessit. trium de quibus egimus cum Ignatio nexum præcesserat, summa cum eo Simonis Roderici Azeuedij necessitudo: natalis huic erat Buzella pagus, Diœcesis Visei in Lusitania; parens Ægidius Consaluus loci primarius, qui morti proximus, vocatisque liberis benè adprecatus, amissis ab se natu maioribus, oculos in Simonem vertit, qui tum matris Catharinæ Azeuediæ brachiis gestabatur. Diu verò & tacens infantem contuitus; hunc ait, Domina, enixè tibi commendatum volo & peculiari sollicitudine educari, illum enim Deus magnis in sui obsequium gerendis destinat. Videtur pius parens priùsquam huic luci clauderet oculos, præuidisse, quantum bonorum Europæ, & Indiis esset is infans allaturus ad subdendos Christo infideles, & restituendos dignis moribus Christianos. Eum igitur Deo pia mater, Deus eum sibi educauit, donauitque Angeli puritate, & charitate Apostoli: prioris fidem victoriæ faciunt iuueni reportatæ de amoribus probrosis

brosis insidiantium sibi feminarum; alterum probant quos ante alebat communes cum Ignatio sensus de adeunda Palæstina, & infidelibus illic omni ope ad Christum adducendis; quæ mens illum prius Ignatio adstrinxit, quàm Salmeronem & Lainium: Hanc enim cum eo dum communicaret aliquando consilij gratia, vt idem cognouit Ignatio inesse, iámque propterea illuc nauigasse, & nunc colligere socios ad profectionem cum iis iterandam, componi rem cœlitùs credidit, nec absque Dei nutu, Regis Lusitani iussu, & sumptibus ad Parisiensem Academiam missum, vt se Ignatio in socium daret: ita se illi absque vlla mora penitus commisit, cuius tenacitatem propositi Exercitiis spiritus arctius obligauit, in quibus etsi ob valetudinem ex morbo debilem, asperitatis sociorum non potuit assequi, sed liquidius perspexite Deum velle, vt sibi ex forma Ignatij inseruiret.

IV. *Natalis vocatio.*

Fuere hi sex, Patriarchæ nouo Parisiis filij; tres alij postquam inde abscessit; nam præter hos quendam tunc valde optatum, nisi post annos aliquot obtinere non potuit. Erat is Hieronymus Natalis. Maioricæ ortus, de cuius aduersus Ignatium refractario primum; tum docili genio hic à me oportet edisseri, ne si partem illius in suum tempus reiecero, quod dicam admutilatum displiceat. Iis fuit conditionibus Natalis, vt summa omnia ad Dei gloriam adeptus vno egeret Ignatio, cuius Apostolico instinctu moueretur: & inuitatus quidem ab illo est; sed prius, ac multo validiùs à Fabro, & Lainio: verùm petitiones illorum omnes alacris exiuit. Successit his Emanuel Miona animarum piscator egregius, & confessiones Ignatij audire solitus, nam & Natalem sibi confitentem audiebat. Verùm vt ab se reposci aduertit, cuius ne mentionem quidem sustinebat, tueri se indignatione, cum rationibus non posset, cœpit; & cur sibi tantoperè suaderet Miona, quod ipse non faceret? si tantum inerat cum Ignatio boni, prior sibi ad illud præiret; tum se ab illo accersitum, consideraturum quid facto opus. Sic spebus his quoque euanidis, tentare ad vltimum si quid posset Ignatius voluit, vt cui doleret vehementer tantarum pro Deo partium iuuenem sæculo cedere. Die igitur quodam opportunè in illum incidens, in vetus sacellum quasi aliud agens cum illo subit, vt absque interpellatore, cum eo aliquid de Deo sermocinaretur, quod vbi feciset aliquamdiu, Epistolam profert bene longam, & fortem qua fratris filium vrgebat, vt mallet Christo quàm mundo seruire. Hanc porrò Natali Epistolam vti amico, & familiari dum tractim, & lentè perlegit, insistens etiam nonnullis grauioribus commentandis, captánsque hamo vno duos, fratris filium, & Natalem; sensit hic se interius pungi, móxque fœlix præda fieri metuens, suspicari se dolum finxit; re autem vera, Deum Deo opponens, librum producit Euangeliorum, eumque Ignatio ostentans, hunc, inquit, mihi certum est sequi, & hic abundè est: si præstantius nihil habes, frustra es, nec ego te sequar, hactenus quidem tu, ac tui qui sitis, haud scio (vestrum enim, vobiscum arcanum, habetis soli, & intelligitis)

qui verò futuri in posterùm sitis, multo minus id noui. Cúmque his proripens sese, deinceps Ignatij, eiúsque sociorum accessum quemlibet incatamenta videlicet eorum metuens, vitauit. Indè reuersus in patriam decem plus annis fluctuauit, vt qui in ea quam consectabatur probitate parabili non acquiescerct, nec ab se tamen satis impetraret, vt vellet excellentiorem, neque etiam ipsi (vnde olim Ignatio insultarat) Euangelium satisfaciebat, Angelum optasset eius interpretem, qui sibi iuratus assereret præceptum de cruce post Christum ferenda ad se pertinere: hæc enim fere est illorum pœna qui spernunt vocantem per homines Deum, vt incassum expectent moneri ab Angelis, vel prodigiosa aliqua specie percelli, & miseram interim seruitutem sæculo seruiant. Quasi sit tam periculosum Christum propius sequi, vt declinando periculo imperiis velint ipsomet à Deo editis compelli. Vsus est tamen solitarij cuiusdam consuetudine Natalis quem ipse plurimi faciebat; verùm ad aliquam dumtaxat colligendi sui, orandique opportunitatem, cuius etiam fructum, à priuato profectu, in aliorum quoque deriuauit salutem. Meditatus est enim sociorum aliquot delectum, quibus secum egregiè à virtute instructis, plurimos iuuaret. Nec animaduertit, quos vocabat, quod Ignatio dixerat, multo sibi æquius obiecturos, ostentatóque Euangelio dicturos, esse hoc vno perfectè viuendi ductore contentos, quo nihil haberet ipse præstantiùs. Interea rerum coalescens, & ritè fundata Societas cum sole iam manus extenderat, dabátque Xauerius vsque ab Indiis in Europam ad Ignatium, & socios literas, quibus significabat, quàm multa in dies infidelium millia se ministro Deus ad fidem adduceret. Harum exemplum Maioricam, cum fortè perlatum passim legeretur, venit etiam in Natalis manus, id auidè perlegens, vidit Xauerium, probè sibi Parisiis notum inter Ignatij socios (de quibus dixerat, nescire se quid futurum iis esset) factum esse Indorum Apostolum; ad hæc in canonem Ordinum Religiosorum Societatem à Christi Vicario adlectam, nam iisdem literis, eius quoque rei gratias agebat Xauerius; & redeuntibus quæ olim Parisiis indignans Ignatio dixerat, pugno mensam cædens exclamauit, hoc vero planè aliquid est. Ac recipiens sese, mox iter Parisios suscepit, quo illum etiam, suus ille quem dixi solitarius, Antonius nomine animauit. Proficiscendi causa fuit, reuisendi Ignatij ardor, proficiendíque sancta illius institutione, haudquaquam tamen ei adhærendi; quæstus imò est apud Ignatium quod esset ab Lainio, & Domeneco ad Exercitia inuitatus, hoc est, vt aiebat ad Societatem, cui nec parem virtutem, nec dotes condignas habere se crederet. Verùm Ignatius de Exercitiis animos addidit; de Societate vetuit esse sollicitum; Dei negotium id esse; ab eo ad illam si euocaretur prouidè quoque ab eo in illa occupandum. Diu secum pertinaci lucta in Exercitiis pugnauit; quippe illa ingressus, animo tantum non obfirmato reiiciendi ab se quicquid sibi ratiocinant; pro ea occurreret, certúsque vt olim vocanti non parere, nisi certò vocari se sciret, vel sensu aliquo deprehenderet vocantem. Exstimulabat

labat tamen illum Deus, nolens alio in Societatem, quàm interiori suo impulsu adigi, quo solet homines tacitè affari: contra ille secum & cum Deo luctari, stipare paginas rationibus in vtramque partem, an se adiuncturus esset Ignatio, an secus: Verumenimverò, meditandis vexillorum duorum conditionibus diuersis, tandem aliquando tunc Deo cessit, cum minimè omnium facturus videretur. Nam versandis quæ ad Christi vexillum optandum impellunt (quī scopus est eius contemplationis) in ipso eius legendi articulo, tam perplexè diréque exagitatus est, vt deficiente lassitudini capite; & angustiis animo, nihil abfuerit propius, quam vt omnia desperaret, atque abiiceret. Sed ea demum noctis hora quam velut vltimum conatū eidem impendit cogitationi, Deo propitiis oculis perturbatū animum serænante, & purgante se in apertum nube, tempestas momento posuit: eius autem loco tantum flumen diuinæ consolationis mentem inundauit, vt sumpto mox calamo in Dei conspectu de genibus hæc verba scripserit. [Hoc demum ex iis de quibus hactenus altercatus sum mecum, certò conficio, omnium est quæ me à Christo auocabant, nihil tanti est, vt mea dignum sit refutatione: quin & iis etiam quibus primum ab eo auocabar, ad eum nunc vrgeor, atque corroboror: nam ex serio omnium diligentíque examine, id mihi constitit, nulla me dubitatione, pugnáque, iactactum, nisi quàm priuatus mei amor, & abhorrens à cruce, sensus corporis excitarunt. Nunc tantò certius Deum intelligo id à me reposcere, quantò pertinacius caro mundúsque restitat, quibus sapere nihil potest, quod pietatem cœlúmque sapiat. Quare obsistat licet quicquid potest mortali, durum asperúmque accidere, quicquid cacodæmon suggerere, nedum quicquid me hactenus tenuit; In nomine sanctissimæ Trinitatis Patris, & Filij, & Spiritus sancti decerno, & statuo, Euangelica sectari consilia, & in votis Societatis Iesu vitam traducere, paratus quæcumque in ea seruantur religiosè obseruare, & ad illa me voto, si à me exigitur alligare, cuius mei propositi fidem, cum summa reuerentia, & tremore, magna illa confisus Christi misericordia, cuius nunc capio tam certa inditia, tota mente, totóque animi conatu, voti Religione stabilio, huius Deo sit gloria. Amen. Hoc die Nouembris vigesimo tertio, Exercitiorum decimo octauo] quod sponderat exsoluit, Societatem amplexus est, in qua illi (quod præmonuerat Ignatius) non defuere occupationes, in Italia, Sicilia, Hispania, Lusitania, Africa, animorum saluti perutiles, & qui primam laudem sibi excidere passus est, vt Societatem cum primis Ignatij sociis constitueret quod semper deinceps doluit; secundam adeptus est, vt in eius gubernatione fieret Ignatij adiutor, & in constitutionibus explicandis, quas per magnam Europæ partem ipsemet promulgauit.

V.

Prima cum sociis Ignatij deliberatio de ineunda vnius formæ vita.

Hoc tam fœlici commilitonum fortium delectu, vidit Ignatius sua iam posse consilia exire, si vt animo secum coniunctissimos habebat singulos, sic inter se secum in eundem finem conuenirent, nemo dum enim erat alterius conscius, sed solum se quisque in suo proposito credebat. Vt ergo

ergo omnibus singulorum mentem apertam faceret (quod incredibili vniuscuiusque voluptate, faustitatéque mirabili factum est) illósque inuicem, secum, Deóque copularet, certos iis indixit ieiuniorum, precum, aliarúmque afflictationum dies, quibus interim animum confirmarent, in suscipienda vitæ ratione quàm ipsi diuinæ gloriæ (cui studebant) magnificè promouendæ, iudicarent summè idoneam; post hæc die, quem dixit, conuenirent, edituri quod deliberassent: scirent autem non fore se solos, sed adfuturos eiusdem consilij socios: adsunt igitur condicto die, cupidissimi suos illos qui significati fuerant eiusdem operis sodales cognoscendi. Cumque vnà iam essent, Ignatius, Petrus Faber, Franciscus Xauerius, Iacobus Lainius, Alfonsus Salmero, Nicolaus Bobadilla, Simon Rodericius, notæ præstantiæ singulis, tantum singuli detulerunt, vt se omnium quisque postremum censeret, magnæque gratiæ duceret iis accenseri, eaque omnium lætitia extitit, vt prius etiam quàm ipsi se proderent, dulces tenere lachrymas non possent. Humi abiecti, cum paulisper orassent, sic primus dixisse fertur Ignatius. Illos tanto aliorum è numero, diuino lectos consilio, ad magna vt arbitrabatur, opera, non vulgares successus in salutem mortalium habitura. Viderent quibus sociis gesturi rem essent, quantis vel inde animis, illam aggredi par esset, etiam præter illos quos sua cuique charitas, & diuini amor obsequij subdebat. Etsi autem priuatis ad ardua Deóque & Ecclesiæ glorioſa pollebant præsidiis, acturos tamen potentius, si vnius instar, eundem in scopum consensione mutua raperentur. Quare ab se indictum singulis deliberandi tempus, diemque quod decreuerant efferendi sibi quidem (vt ab se, Dei nomen præfatus inciperet) fixum esse, ac ratum quam posset proxime Christum sequi, compertum iis esse, exemplum aliunde, nec posse magis absolutum duci, nec magis securum, aliud quodlibet hoc fore perfectius quo illi similius. Christo præter sanctimoniæ priuatæ studium, ita cordi fuisse homines, vt quicquid egit, passúsque est, publicæ illorum saluti consecraret; ad hoc se quoque fastigium duplex, quantum homini fas est anhelare, perfectionē sui, & aliorum hominum salutem. Non ignorare se vitam sua vnius virtute, Deóque contentam, & conscientiæ gaudentem seræno, vt minus operosam, sic iucundiorem; vt leuioribus exercitam casibus, ita placidam magis & tranquillam; at enim quid istud rei sit? cedent videlicet rationes diuinæ gloriæ, quæ nusquam maior est, quàm in salute animarum pro quibus omnia, & egit, & passus est Christus; cedent, inquam priuato commodo, & quieti? possim meæ ardore charitatis soluere aliorum gelu; illuminare illorum cæcitatem, mea in diuinis perspicacitate, exerrantes in viam ad cœlum, quam scio, & teneo, reuocare; negligam attamen, & omittam ne quid huic apricæ quieti meæ incommodēm: mea cæteris inflammādis, forsitan charitas intepescet: illuminandis, cæcutiet? ducendis, à via aberrabit? qualenam iacturæ hoc genus? imo proprium quisque si lucrum attendat, vnde vberius existat, vnde meritorum honorisque feracius? nam quid aliud agebant primi illi nascentis Ecclesiæ

cleſiæ ſancti, quid Apoſtoli ? quid ipſemet Chriſtus ? quod inſtitutum diuinius ? Sed ſemoueamus ab oculis priuata hæc emolumenta, quæ ſi nobilis eſt, & caſtus Dei amor; ne aſpectu quidem dignatur ſuo; nobis omnium inſtar ſit diuina gloria, & Chriſti obſequium, nihil æquè ardentis, quàm vt ſanguinis ſui pretioſo commercio, animas illi redimamus. Sed quia facto iam opus erat, addidit ab ſe luſtratas animo Prouincias omnes, vt campum in iis cerneret, vnde poſſet meti diuinæ gloriæ, animarúmque fructus vberior. Illuc ſe ante aliquot peregrinatum annos ingemuiſſe vehementer illam humanæ libertatis parentem Palæſtinam, Lucifero ſeruire. Illi ſe fidei ſacroſanctæ ſementem parare fœlicem nimium! ſi ſibi obtingeret, ſuo quoque illam ſanguine irrigare vbi Chriſti ſanguis quodam modo etiamnum ruberet. Quæ cum diceret Ignatius, ardentis animi toto in ore flamma eminebat. Clauſit denique orationem profeſſus, interea dum nauigandi, & agendi tempus appeteret, certum ſibi eſſe Deo ſe penitus conſecrare, nec ſui quicquam deinceps retinere; facturum autem nuncupato illic proficiſcendi voto, paupertatis item voluntariæ, ac perpetuæ caſtitatis. Sub hæc tacuit expectans vt mentem ſuam ſinguli ederent; ſed viſi ſunt intimi eorum animi, linguam dicentis Ignatij mouiſſe, ipſéque ſenſus proprios referens, expreſſiſſe omnium communes: vnam omnibus mentem, indiderat Deus, qui omnes inter ſe, vt cum Ignatio colligarat. Haud tamen intra Palæſtinam arctari placuit, vt quibus ingentia in Dei gloriam per ſe ac poſteros auſuris patere terræ ambitus deberet. Eius quidem pars illa quam ſuis laboribus obiuit Xauerius, multis Apoſtolis præbere campum agendi potuit. Fuit ergo conſentiens, omnium vna vox, communis applauſus ad ea quæ velut omnium interpres præfatus erat Ignatius; ita ſe illi in ſocios, & aſſectatores in perpetuum manciparunt. Indè cum lachrymis inuicem complexi, mutuæ charitatis ſtrinxere nodum, tam tenacem, & lentum, vt ſe non alio deinceps quàm fraterno ſpectarent oculo; nec vllo diſcrimine niſi ſingularis erga Ignatium amoris, & reuerentiæ, tanquam natu maiorem, & obſequij velut patrem. Poſt hæc, Deo illorum ardorem in deſtinatos ab ſe exitus diſpenſante, dubitatio incidit, intercluſa fortè in terram ſanctam nauigandi, aut illic hærendi facultate, an eſſent alias explicandis laboribus regiones adituri; & poſt multa prolixè diſputata, conuenit denique, vt ſi expectanda per annum Venetiis nauigatio negaretur, exiit voto ſolutos ſe intelligerent; ſed Romæ ſe Chriſti Vicario ſiſterent quocumque gentium placuiſſet, in auxilium animarum ab eo mittendi: quòd verò ipſorum bona pars, Theologiæ curſum, quod neceſſarium videbatur nondum confeciſſet, iis datum à menſe Iulio anni 1534. ad Ianuarij 25. anni 1537. in ſtudiis pergere, inde Lutetia Venetias peterent. Ita quidem ab ip decretum, aut certiùs dixerim à Deo, proſpiciente quod conſtituerant, de expectanda in Palæſtinam nauigatione, hoc ſolum inter tot alia tot annorum decurſu propoſita, fore irritum, & inane; mouente tamen vt hoc decernerent

ad eos Pontificis arbitrio, & obsequio tradendos, & Societatem hac occasione statuendam.

VI. *Ignatij & sociorum vota in S. Mariæ montis Martyrum prope Parisios, quod fuit primum Societatis Iesu rudimentum.*

Ad coronanda quæ constituerant votorum nuncupatione, nullus æquè placuit dies, vti Augusti quintus & decimus Assumptæ in cœlum Deiparæ sacer. Spes fuit prima hæc Deo vota, quæ per Virginem offerebant, prosecuturam semper fauore præcipuo, veluti rem suam, & eo fore gratiora quo per manum venissent digniorem. Quod ergo superfuit temporis, ad hoc quotidiano ieiunio, precatione, & asperitate varia, pro suo cuiusque feruore contulerunt, vt paratiores diem illum obirent. Lectus solo in colle, leucæ dimidio extra vrbem, locus (quod tunc arbitros nollent) S. Mariæ in monte Martyrum, insigni templum veneratione. Illic stato die, subterraneo in sacello soli, Fabro celebrante, præter quem nullus ex iis erat Sacerdos, vota edidere, is sacratissimum Christi corpus, mox ab se sumendum manu tenens versúsque ad socios, tum ipse, tum singuli deinceps voce clara, obstrinxere se Deo ad paupertatem, & castitatem perpetuam, ad transmittendum in terram sanctam, & deferendas, vti condixerant summo Pontifici operas. Ad reiiciẽdum præterea cuiuscumque stipendij donum quo compensaretur sacramentorum administratio. Paupertatem interpretati sunt, qua fine studiis posito quicquid sibi reliquum foret abiicerent, dempto quod opus conferetur ad profectionem transmarinam: quanquam ne hoc quidem ab ipsis seruatum inuenio, sed eleemosynis ad iter suppletum: Reiectio verò cuiusuis ob sacra stipendij, idcirco ab iis promissa, quod & pertineret ad absolutam paupertatem; & os obstrueret calumniantibus Lutheranis, clericos Christi sanguinem cauponari, & sacrorum, nundinatione diteſcere; ac demum vt sui copiam nullo sumptuum metu omnibus facerent. Nuncupatis in hunc modum votis, eo animi sensu, ea profusione lachrymarum, Christi corpus sumpserunt, vt trigesimo etiam post anno, ex iis vnus, Simon Rodericius hæc narrans horum suauissimo influxu perfunderetur. Sed ea omnium cœlestis voluptas in vnum Ignatium confluxit tota, vt qui sudoris tam diuturni primos meteret fructus, & spes longas videret tam vbertim à Deo fortunari, factus iam familiolæ fœlix parens, numero quidem exiguæ sed eorum virorum delectu eximiæ, quorum erat quisque par multis futurus. Hic non est silendum quod meminere huius & superioris æui scriptores grauissimi momentum clarum diuinæ erga Christi Ecclesiam, eiusque Pontificem curæ. Quo enim anno 1534. Societatis iacta sunt semina, peculiari obedientia summo Pontifici deuinctæ, (vt huius operis initio attigi) eodem Rex Angliæ Henricus, nomine octauus, ex defensore fidei, desciuit in impugnatorem, sedique Apostolicæ rebellem; eodem edictis adeò infestis, & trucibus insectatus est eius Pontificem, vt Papæ nomen non obliterasse vbicumque scriptum legeretur, crimẽ fecerit capitale. *O ineffabilem*, exclamat, Sanderus, *ipsius in nos Ecclesiámque vniuersam bonitatem, & misericordiam.* Qui ipsis temporibus quibus à Blasphema Lutheri lingua alibi, & in Anglia per inauditam iniquissimi

quissimi Tyranni sæuitiam extincta planè videbatur omnis Religionis, ac perfectionis vitæ professio, & erga Christi Vicarium ita omnis sublata obseruantia, vt ipsius Papæ ac Pontificis venerandum fidelibus nomen fieret execrabile, exitauit Spiritum viri Dei Ignatij Loiolæ sociorúmque quorumdam suorum, qui castissimam, purgatissimámque religionis viam ingressi, ad cætera perfectionis studia, & vota, illud quartum singulari quadam ratione ex Dei instinctu votum contra Lutheri & Henrici impietatem sponte addiderunt, vt in omnibus officiis pietatis, ac Religionis peculiariter Romano Pontifici se suámque operam pollicerentur, ipsiúsque iussu quiduis periculorum, aut laborum in religione propaganda subirent; & quocumque demum terrarum, ad infidelium errantium, ac peccatorum instructionem, & conuersionem ab eo mitterentur, mox absque omni contradictione, etiam non petito viatico, tanquam à Christo missi proficiscerentur. Hi se hoc modo, & in eum finem collectos pulcherrimísque Ignatij Institutis edoctos vocarunt Societatem Iesu, eiúsque sanctissimum nomen, ac fidem in communione Romanæ Ecclesiæ incredibili celeritate, & industriâ non solum ad extremos Indos, aliósque remotissimos populos, & Reges (quod maiori cum labore, sed periculo certè minori fecerunt) sed & ad miserè deceptos ab hæreticis septentrionales, & per Tyrannorum sæuitiam à communione Christiani orbis inuitò penitùs diuulsos Britannos, etiam cum periculo capitis, ac cruoris sui effusione; regnante, & in Ecclesiam sæuiente Henrici filia Elizabeta, ita Deus posuit nobis semen pro Abel quem interfecerat Cain. Huc vsque Sanderus. Post expleta pietatis officia, actásque Deo ex animo gratias, diei residuum ad fontem duxerunt, ex collis, eiusdem radice profluum, & amœnum, & S. Dionysij Areopagitæ olim sanguine consecratum, eo enim fertur caput sibi abscissum propriis manibus lauisse. Illic solutum ab iis ieiunium mensa quidem pura, & paupere, sed alacritate, pissque sermonibus sapida; quorum pars fuit de viuendi modo quem essent retenturi dum Lutetiæ morarentur; in quo Ignatius qui vt munus paternum, ita & Spiritum recens à Deo nouum acceperat, ad filiorum gubernationem, mensus est quædam communia omnibus opera quæ nec arctarent studendi spatia, nec primigenium feruorem intepescere sinerent. Fuerunt hæc quotidianæ quædam preces, ac voluntariæ pœnæ; Eucharistiæ diuinæ vsus quot dominicis, ac festis solemnibus (quod haud paulò pluris erat tunc temporis, quàm nunc videatur) ad hæc instauranda, eodem & die, & loco vota, quod annis subsequentibus duobus ritè peractum est; mutuus denique inter se tanquam fratrum amor quo se quisque non minus in alio, quàm alium cerneret. Ad hoc inquilini sparsis in ædibus cum essent, voluit sæpius, vti Iob Filios, inter se, & apud seipsos, in orbem conuenire, & parabili prandio, sanctisque colloquiis, animare mutuam, charitatem, quæ familiari consuetudine, vsúque domestico fouetur. His animi nexibus ita coaluit nodus ille, quo erant à Deo inuicem copulati vt in cœptis

non solum fortiter steterint, sed illa etiam promouere adiungendis sibi sodalibus impensè contenderint. Accessit quoque nouus animo vigor, & perspiciendi acumen in literis. Doctrinarum enim apparatu in multorum salutem instruendo crescere visa est intelligendi vis, ex desiderio agendi. Alij certè sunt operæ successus in Dei honoré literis insumptæ;alij in pabulum sterile, inanis curiositatis. Prior illa laborem per se ancipitem in æterni præmij meritum transmutat (quod palmaris chimicæ genus est) facitque vt duretur in eo constantius: sed præter hæc à patre luminum, cuius denique interest sibi famulantibus adesse, insolitis radiis perfusa cognitionem abditorum quæ inuestigabat assequitur. De hac sui deuotione à patribus congregatis peracta, quæ Societatis conceptus fuit, Societatis mater Lutetia dicta est: quod præter alios auctores testatur inscriptio æreæ insculpta laminæ, quæ vt esset magis conspicua in superiori templi Martyrum æde affixa est, sub quo Patres vota ediderant,eius verba sunt.

D. O. M.

Siste spectator, atque in hoc Martyrum sepulchro, probati Ordinis cunas lege. Societas Iesu quæ S. Ignatium Loyolam Patrem agnoscit, Lutetiam Matrem, anno salutis MDXXXIV. Augusti XV. hîc nata est: cum Ignatius, & socij, votis sub sacram synaxim religiosè conceptis, se Deo in perpetuum consecrarunt, ad maiorem Dei gloriam.

Quæ res etiam mouit Ludouici decimi tertij piam mentem vt daret supplices ad Gregorium XV. prolixas, & manu propria literas de referendo inter Sanctos Ignatio, sibique honori futuram duceret, quam inde Societas ductura erat dignitatem, vtpote domi suæ nata; & res sua. [Regno, inquit, meo hoc decus obtigit vt tantus Dei seruus in almam hanc meam veniret, Lutetiam, ad comparandas sibi scientias, lectisque in ea sociis in æde sacra ad montem Martyrum. Societatem suam inchoaret.]

VII. *Societatis Iesu, in monte Martyrum, omen spargẽdi ab ea sanguinis.*

Liceat tantisper hîc mihi digredi, lectorémque ad duo aduertere quæ & intra lineas futura, & placitura non dubito. Vnum est nascentis Societatis locus; alterum tempus. Primum quod attinet, haud sine arcano Dei nutu, Ignatium, & suos ad destinatum vbique prouidè gentis, factum existimo, vt inter innumera, foris, & in vrbe Parisiis templa, Montis Martyrum omnibus anteferret, manifesto, ni fallor præsagio, affectiones cœli

cœli ac ſuperum in Societatem conſentaneas fore, loco eius natali, & fundendi ſanguinis prodigam, ac perpeſſione maſcula excitandarum in ſe tempeſtatum, Martyrum omini reſponſuram & tenemus euentus, ominis huius claros interpretes; nam lapſo vix ſæculo, ſupra trecentos hodie cenſemus, qua ſerendo in ethnicis Chriſto qua propugnando inter hæreticos, lentis ignibus coactos diu mori, præfocatos mari, quadratim diſſectos, confixos telis, & lanceis, ſuffixos in crucem, capite truncatos, aquis vel conglaciantibus extinctos, vel ardentibus necatos, veneno, laqueo, foſſa (tormenti apud Iapones genus) crudeliſſimè conſumptos. Iam quidem ipſa ad excolendos Indos paratura iter & Martyrium longum eſt, vita inter ſæuas furentis tempeſtates, & iacentis Oceani pertinacem languorem ærumnoſiſſima: nauigationes infinitæ, zonæ torrentis æſtus vix tolerabiles, populorum immanitas barbara, linguarum difficillimarum faſtidij plena; refugíque horroris diſciplina; ferina interdum in ſubterraneis, in antris, ſyluíſque habitatio, victus coctæ orizæ breuis, poſt hæc mortes non rarò, tam ingenioſæ in cruciatus ſæuitiæ, vt in iis mors ipſa gratiæ loco ſit. Hæc nihilo ſegnius perrumpit ſpargendi pro Chriſto deſiderium ſanguinis, quod ſuo ab ortu hauſit Societas, tam quidem fortiter, & latè per eius filios graſſatum, vt tanti huius boni aucupandis apud Indos occaſionibus, illorum bona pars, ſi modo ſinatur, deſertura ſit Europam.

guinis, & rendarum perſecutionum.

VIII. *Eiectionibus, & famoſis libris exagitata Societas*

Iam ſi diras inſectationes mente repetimus quas Societas paſſa eſt, haud ſcio an vllum in ordinem res duæ conuenerint, adeò inter ſe non modò diſſitæ, verum etiam prorſus oppoſitæ, tot, inquã ſequaces habuiſſe, tot inſectatores, tot exeptã locis, tot eiectã: tam multis & linguis, & calamis in publica commoda locutam tam multis, aſſenſu publico laceratam. Eius hiſtoriam qui leget, creuiſſe comperiet, vt duce olim Nehemia, reſtitutos Ieruſalem muros, cum manu altera, trullam, & malleum opifex; arcum, & lanceam altera moueret; illa operi faciendo, hæc ab hoſtis impetu defendendo. Illata Gentibus Euangelij lux; diſputationes, & libri aduerſus omnes hæreſeon ſectas, propugnatio Synodi Tridentinæ, tum in fidei dogmatis, tum in morum inſtauratione; defenſa auctoritas ſummi Pontificis; promulgatus emendati Calendarij vſus, & his ſimilia, Societatem quot locis expulerunt? Iaponia, Sinis, Æthiopia, Congo, Anglia, Scotia, Tranſyluania, Hungaria, Liuonia, Bohemia, Belgio, Gallia, Grizonibus; additis ſæpius probroſi exilij decretis, columnis, & pyramidibus ad æternandã infamiam, cõmuni ad ludibrium, & vituperium adplauſu; addictione etiam noſtrarum & domorum, & vitæ, in direptionem, & furorem populi, contra nos debacchantis. Vulgati deinde aduerſus Societatem, omnis generis libri, hiſtorici, Poëtici, fabuloſi, mercuriales, cenſorij, forenſes, prouocatorij, Satyrici, Philippici, etiam, ſi ſuperis placet, prophetici, & qui non? certe bibliothecam ſoli occupaturi ſint benè grandem. Quod à me tam certò ſcribitur, vt ante annos quadraginta, prodeunte primum Petri Ribadenairæ manu, ſcriptorum

noſtrorum catalogo, contrarium illi contexuerit hæreticus eorum qui contra nos ſcripſerant tam multorum, vt vel vna ipſorum nomina iuſtum volumen conflare potuerint. At enim callidus compilator quod habet optimum Ribadeneira, id cauit quàm maximè auctorum nominibus quos cenſebat, vitæ illorum ſummam attexere noluit, haud ſine improba calumniatoris benè conſulti laude, ne Societatem quam cupiebat exoſam facere, hoſtilitate talium aduerſariorum faceret omnibus venerandam. Hortatur idem, orátque Principes, & Europæ Reſpublicas ad conferendam pecuniam in ſumptus ingentis operis conſarcinandorum in corpus librorum, quicumque eatenus aduerſum Societatem exierant: cœptum iam Rupellæ tam ſalutare negotium; tomóſque ſex editos, ſed animis ſupra facultatem; congeſta promiſcuè à collectoribus ſtrenuis, quælibet obuia; omiſſa quæ cerni poníque debuerant, in quorum typos, tanti ſcilicet eſt, totius Europæ Principes conferre ſubſidia oportere. Ex eo tempore, turba eo excreuit, vt multo ſit minus operoſum eos refellere, quàm enumerare; niſi verius fortè, quod interrogatus in arreptitio Dæmon, de nomine reſpondit. *Legio, quia dæmonia multa in eum intrauerant*, idem reſpondeat ex iis auctoribus non nemo: vnus enim complures effutiens in Societatem libros, variis titulis, & adſcititiis multorum nominibus quaſi ab iis prodiiſſent, palam fecit, inſtinctum dæmonum legione, ſe ſcribere, in maledicendi concordem rabiem, diuerſis linguis furentium. Alij quod ſuis æmulis obiicebat Hieronymus, *in tantùm imperiti, vt ne maledicta quidem habeant propria*, deſcribendis quæ dudum prodierant, & alieno vomitu ebrij, *alienis vocibus blaſphemant*. Quid autem exoticæ titulis, & prodigiali nomenclatione, librorum frontes, ignota, grandia, priuatis æquè vt Regibus ſcitu per neceſſaria profeſſæ? quem ſtultum, & ſtolidum non cogant ad eos theſauros toto ſuo patrimonio emendos? hic torquet, hic interpretatur, hic damnat, Societatis Ieſu nomen; alius doctrinæ ipſius adumbrat arcanum; alius retegit; eſt qui caracteres Societatis diuinat, qui catechiſmum exponit; qui phyſionomiæ deſcribit notas; non deeſt qui ſubtili anatome ſpiritum diſſecet; qui ſcrutetur fibras, & interiora vitalia; qui latentia examinet, & ſecreto commiſſa ſtudia; refert ille priuata eiuſdem colloquia; priuata ſpargit alius monita; arcana documenta hic euulgat; ille aphoriſmos eius enucleat, quidam à priſtino defluam repræſentant; ſunt qui eius agendi peculiarem modum; qui veram eius hiſtoriam ab ortu, per ſuos deducunt progreſſus; qui artes aperiunt; qui flagitia enarrant; infantes videlicet ſexcentos, vt minimùm, domi ſacrilegio nobis natos; parricidio necatos in piſcinis in quas coniecti fuerant repertos: congeſta templorum in cameras arma, perduellibus vbi vſus foret armandis: nocturnos cúiuſque ſuo cum dæmone tractatus ad condiſcendas ab eo incantationes quibus cerebro moti religioſorum Ordinum profeſſores in verba Pontificis iurarent: theſauros vndique in ſepulchra veluti orbis ſpoliaria defoſſos. Conſultationes hebdomadarias in rerum omnium publicarum politicam gubernatio

bernationem, ad priuatas nostras inde componendas, augendásque, quà ventus adspirauerit, rationes. Concubinas Cardinali Bellarmino addictas mille sexcentas quadraginta duas, & ab ipso denique occisas, vt hinc nempe intelligeretur quid credi de aliis deberet, quorum erat virtus debilior, cum inter optimos insignis, fuisset nihilominus tantorum flagitiorum capax. Ad hæc prouinciarum rebelliones, cædes Regum, orbis deprædationes; & ruinas, denique scribebat ante annos septuaginta Nicolaus Sanderus. [De Iesuitis plures fortè fabulæ feruntur, quam olim de monstris. De origine enim horum hominum, & genere vitæ, & instituto, de moribus, ac doctrina, de consiliis, & actionibus varia simul, & contraria, ac somniorum simillima, non priuatis tantum colloquiis; sed publicis concionibus, libríque impressis publicantur.] *L. 3. de Schism. Anglic.*

IX. *Libri aduersus innocentes quantum noceant.*

Nec ista librorum colluuies, perdita auctorum consilia segniùs promouet, quàm olim, Christi & Christianorum execrationem pestilentissima Pilati acta, Maximini iussu toto orbe Romano peruulgata, & in scholas inducta. Fingebat scriptor sacrilegissimi operis, exscriptum bona fide, ex cognitione iuridica causæ Christi, ex actis Pilati præsidis in illius condemnatione, ex tabulario Ierosolymitani prætorij. Stiparat autem horrendis flagitiis, quibus innocentiam Christi Iesu, furcifer incestabat. Quæ vulgo credita tam exosos fecerant Christianos, vt vbi se primum darent in publicum, ad ignem mox palam à conclamantibus poscerentur; ex quo & sarmentitij dicti sunt, quam artem, quidlibet cuilibet Dei seruo, pro libidine inurendi, ad proritanda in illum hominum odia, nemo ferè est veterum, qui scriptis à se defensionibus non queratur, nemo cuius verba magnam partem, Societati non bellè congruant, vel expostulanti, vel seipsam solanti. [Illi verò, inquit Athenagoras, etiam epulas detestandas, & concubitus incestos fingere nobis audent, partim ne temerè infensi nobis videantur; partim quod ita existiment, vel nos metu perculsos à nostra professione abduci, vel principum animos, propter flagitiorum magnitudinem aduersus nos concitari, & exasperari posse. Nos verò illudi vos intelligimus; & non contra nos tantum, sed omnibus retro sæculis morem hunc fuisse scimus, diuina quadam lege, ac ratione, vt contrariam sibi virtutem improbitas impugnaret.] Et suo quidem grandi periculo id sensere præstantissimi etiam mendicantium Ordines, ex quibus vt ducit Societas sanctimoniæ exempla, ita etiam consolationis, & Gregorius XIII. suprema sua authoritate Societatem erigens afflictam, duos profert *sanctorum Dominici, & Francisci, præstantissimos Ordines*, suis etiam vexationibus perfunctos, & publico bono à summis Pontificibus seruatos. Nota Guillelmi à sancto amore, Parisiensis Doctoris in illos factio, scriptiones, conatus; quamuis primo adhuc vt vnquam deinceps spiritu vegetos. Tam criminoso atrore impius sanctissimos homines, & doctissimos deformauit, subornauítque tam fraudulento veri fuco suas calumnias, vt eos & toti Galliæ faceret odiosos, & extruderet pulpitis quæ Parisiis obtinebant, imò & spes suas sacrilegas mitteret

Bull. Ascendente Domino &c.

mitteret ad eos ab Ecclesia, & hominibus exstirpandos, tanquam germina virulenta. Sunt autem hæ pessimi hominis accusationes aduersus mendicantes, ex iis impromptu, quibus duo Ecclesiæ Doctores Thomas, & Bonauentura eas confutarunt: Vsurpari à mendicantibus pimaria in Academiis pulpita, extrusis contra fas possessoribus antiquis; excussam ab iis Præsulum potestatem, atque imperia, Apostolicis priuilegiis prætexi: domos passim inuadi, lupina fame, ad prædam ex iis faciendam: fastu ac superbia tumidos, terere aularum limina ad aucupandam Principum gratiam; immiscere se consilij specie, negotiis alienis, re autem vera vt propria commoda nundinentur; arrogantiam, docendo; concionando, vanitatem; sua narrando, iactantiam ructare: cursare vagos, & vbique semper: nunquam vllibi esse. Obstare aduersantibus pertinaces, & vice maxillæ alterius præbendæ, ictum vsuris centesimis reddere: inhiare honori, famæ, ac plausibus, & priuatam suam in Christi gloria venari: versari frequentes in litibus; & de re aut fama disputetur, de summo iure nec apicem cedere, modesta specie animum impudentem; mentita virtute Pharisaicos spiritus premere. Illorum ergo cellas esse non aulas; chorum non Academias; sportas, & storeas, & manuum opera, non doctrinarum, & artium studia, non concliones, & sacra pulpita, sed triste silentium; non alienorum iudicia criminum, sed suorum detestationem & luctum, quantumuis forent integritatis inculpatæ; at pseudo-Apostoli cum essent & pseudo-Christi, ac prodormam operam venturo anti-Christo darent, esse de medio tollendos, an possit atrocius aliquid in vllam hæreticorum sectam vomi? tam cæcus fuit paucorum errore grassabundus in omnes furor; inuidentia, sui tam impotens. Quòd literario eius Regno, ex iis ordinibus magni viri, maiori splendore officerent; & primas docentium exedras suis meritis occupassent. Tanto demum damno, improborum suasu ab Innocentio IV. Sancti Dominici depressus Ordo, haud alterius reus quam auctæ altiùs sanctitatis, scientiæ, ac famæ; vnde hostium in illum ausus tam efferi, quem cernerent ab eo abiici à quo vno tutelam sperare debuerat: vnde ingens, pariter discrimen, vel scindendæ in partes Ecclesiæ, vel subruendi funditùs Ordines egregiè meritos de vniuersa Christianitate, actúmque profecto de iis erat, nisi fauentiorem sibi nacti essent Alexandrum IV. & Thomæ ac Bonauenturæ non segnes, mutósve calamos, quales doctor, cum suis optasset, sed in suorum propugnatione strenuos, ac robustos, alioqui nec venti tam immanes, tam citò consediſſent; nec Guilelmum à Sancto Amore probrosi censura silentij, exiliúmque domuisset. Iam à simili canum allatratu amplissimi Ordines liberi, diuturnæ inuidiæ, ac perpessionum præmio fruuntur, alta pace, nec est qui contra gannjat, aut stylum moueat; In nos *adhuc manus extenta.* Sunt tamen qui velint, nos Iobo crudius, manu nihilo mitiori quàm Dæmonis, Iobi carnificis, ne debere quidem retinere *derelicta labia circa dentes*, ad patrocinium aliquod innocentiæ laceratæ; sed quod de Philosopho Christiano Nazianzenus dixit, cædenti

non

non modo alteram, verùm, & tertiam quæ nulla est, maxillam porrigere. Habent nos si vocem mittimus vindictæ cupidos; si tacemus, confitentes reos; vt illum in Euangelio qui ad crimen obiectum *obmutuit*.

X. *Aliæ Soc. contentiones, & vndenam ortæ.*

Ad Societatis quoque iactationes sed ab ortu suo repetitas eæ spectant, quibus eius fundator exagitatus est retortis præcipuè in parentem, scelestis in filios molitionibus impiorum. Gabrielem Lermeum, Simonem Misenum, Heliam Hallenmullerum, Rudolphum Hofpinianum, Pascasium, Arnaldum, & alios famosos effecit, collecta ex hoc argumento infamia, dum vitam Ignatij Ribadeneiræ opus configunt tum stolidis, & puerilibus; tum hæreticis censuris; & nomen ipsum contemptui, gesta vituperio traducunt, quod tamen ex recens edito de vita S. Matris Teresiæ exemplari, detracta sint illa præsidia, quæ sibi ab Ignatij filiis collata, suis ipsamet scriptis profitetur, Typographi rationculæ cuipiam certò tribuerim decurtare sibi editionem illam ea potius parte quæ Societatem attinebat, quam alia qualibet indulgentis, quanquam & edita suo toto pars illa, vt sanctæ illi perhonorifica, ita nec esset vel vnum apicem de cuiusquam gloria decerptura. [Deo, inquit, Teresia, sub finem capitis vigesimi tertij vitæ suæ) Deo laus à quo id accepi vt quos à confessionibus habui, semper iis obtemperauerim, esto non absque meo aliquo defectu, fuere autem illi ferè perpetuo, viri Deo cari de Societate Iesu,] & alius quidem per annos quatuor, alij sex, decem, duodecim alij. P. Ripalda; & Baltasar Aluares vir Sanctus; Hieronymus Perez; Ægidius Gonzalez præter, & alios, diu P. Franciscus Ribera qui Virginis posteà vitam composuit, opus dignum authore, & sanctitate argumenti. Nec absimile est quod in enarrandis, magni Archiepiscopi Mediolanensis Caroli Borromæi rebus pariter actum est. Earum post alios scriptor, quà voluit edere auctiores, inde vt potuit maximè, qua mente haud scio, Societatis excluſit nomen, omnémque illius operam in iuuandis sancti progressibus, eiusque Ecclesia, clausis præteriit oculis, quamuis ab testibus oculatis, particulatim, & disertè posteritati tradita, vbique passim perlegatur. At hæ profecto comitates quocumque animo adhibitæ fuerint, placere superis non possunt, quorum beata de cœlo mens ad defossam radicem ramos fructibus graues libentissime inclinat, quasi gratias habitura (vt dixit de arboribus non nemo) præstiti sibi quo creuerant alimenti. Quod ab ipsis quoque dum viuerent, sedulo factitatum, cum æterna virtutis ipsorum commendatione attendat qui volet, ex aliquot lineis datæ ad Christophorum Rodriguez de Moya à S. Theresia Epistolæ, qui essent eius in Societatem, & de Societate sensus [horum poterit fieri certior ab nonnullis è Societate Iesu qui hic versati sunt, & probè me norunt, eaque spectarunt. Sunt enim ij, patres mei, quibus si quid habet anima mea boni, post Christum integrè id debet. Mihi pro nostris cœnobiis non omnes probantur quæ pietati student, sed eæ tantummodo vel quas audiunt confitentes, vel suis consiliis regunt; nec vllam à me huc vsque admissam memini quæ non esset illis in Christo filia, nam eas video

esse præ aliis Ordini nostro idoneas; vtque ab iis eram in Spiritu, Dei beneficio educata, sic eodem accepi vt his cœnobiis idem spiritus inseratur; ac si regulas ipsorum V. D. legerit, opinor viderit, Constitutionibus illorum, nostras multis in rebus consentire. Pontificio enim diplomate id obtinueram vt possem. &c. Auilæ 8. Ian. 1568. mihi quidem hactenus periucundum fuit ea memorare quæ Sancti Ignatij beatis primordiis contulisset tum D. Ioannes Chanones Monachus S. Benedicti, tum ex S. Dominici familia nonnulli quorum ductu Manresæ regebatur, tum ex Franciscanis Iacobus de Alcantara, & Theodosius quorum Barcinone, alter ei à confessionibus; Romæ alter fuit. Ac si ad me plura in hoc genere peruenissent, plura omninò retulissem, certus, præter fidei laudem historiæ amussim, & animam; futurum me quoque acceptiorem S. Ignatio fuisse summè in eos grato, per quos in Domino profecit. Non solos autem Chemnitios sensimus, solos Osiandros, Lermeos, Hospinianos, Lauseros, Cambilonios, Misenos, & farinæ istiusmodi sexcentos, Apostasi, hæresi, laude vtraque notos; suo allatratu, & probrorum honore Societatem dignatos, vt de, insectatore suo, Apostata Iuliano, Nazianzenus scribit; *felices Iesuitæ, si hos proferant solos instituti, & famæ carnifices, quod ab iis vituperantur, qui nihil vnquam nisi aliquod grande bonum vituperare consueuerunt.* Sunt, nec paruo numero alij, hoc nocentiores apertis hostibus, quod eandem professi, & Christi fidem, & fortassis vitam; proferre infestum animum non possunt nisi pia velatum specie charitatis. Ipsa ordinum religiosorum dissimilis ratio, cuius tamen formosa varietas Ecclesiam vestit, illos censet interdum exerrare, quos in aliam viam Deus induxerit, pari cum iis figmenti ludibrio qui antipodas cogitant inuersis capitibus terræ insistere, quod terras incolant rectà illi terræ oppositas; vno tamen omnes, & puncto medio, & situ reguntur; *vnus quidem sic, alius verò sic.* Nec iste dissensus est, sed concors dissonarum fidium concentus. Ille Reginæ Ecclesiæ ornatus, inquit Augustinus, nec de vili materia ob dignitatem, nec de vno colore ad pulchritudinem, sed *pretiosus, & varius.* Ergo subdit ille, *in veste ista, varietas sit, scissura non sit.* At ecce à contrario, ex eodem siue pietatis seu literarum ministerio natam *Schismatum matrem*, æmulationem, illudque *velle ditescere aliena paupertate.* Quod iniquissimum dixit Augustinus, certò quidem ab illo diuinæ gloriæ studio prorsus alienum cui esse optabilius nihil potest, quàm cum ea secum parciùs latiùs ab aliis promouetur, eum ferè in modum quo Dei gloriam enarraturi mundo cœli, veloci motu se inuicem rapiunt quo circùm lustrent vniuersum.

Rescius in spongia.

In Psal. 44.

Tertul.

Serm. 91. diuers.

XI.

Septem causæ turbarum in Societatem.

Prima ignoratio illius cuilibet loquaci credula.

Hic si causas lubet cognoscere vnde tam læua mens, affectusque in Societatem, vltro illas nobis suppeditet Iacobus Gretserus, qui vt de anatomista Herophilo Tertullianus dixit, *sexcentos exsecuit, vt naturam seruaretur*, longo saltem vsu defendendæ à nobis calumniæ, tentata arteria scriptorum calumniantium, peruenit ad focum, causamque paroxismi quo tantoperè insanirent, & eam septenario numero comprehendit: prima,

retum

rerum noſtrarum non alia quàm ex triuio rapta cognitio ; ne in dubium quidem vocans an credendus ſit potius eſſe maledicus,cui prona ſit ad maledicendum libertas, & libido ; quàm eſſe improbus quem diuinæ, & humanæ leges, prohibent ne velit eſſe improbus ſi poſſit ; nec poſſit, ſi velit. Primis Eccleſiæ ſæculis, affingebantur Chriſtianis nefaria, & execrabilia ſcelera : adoratio capitis aſinini : vnius infantis quotidiana ſub auroram cædes, eiuſque farre inuoluti, ſacrificium, & eſus carnium, ac ſanguinis potus : inductæ verſis per edoctos canes lucernis tenebræ, in iiſque promiſcua nullo diſcrimine turpitudo. Hæc de Chriſtianis tam horrenda, latè credita, & nuſquam probata, tam certæ fidei cenſebantur, vt damnandis ad beſtias,ad ferrum, rogum inſontibus Chriſtianis ſat eſſet *confeſſio nominis, non examinatio criminis*. Chriſtianum confeſſus, eadem voce, ac nomine ſacrilegum, homicidam, inceſtum, maieſtatis reum, falſus putabatur;haud alio quàm famæ publicæ argumento, Chriſtianos tales garrientis. Hinc illæ tot veterum eius æui ſcriptorum querelæ, nulla Chriſtianis ineſſe crimina præter illa de quibus non inquireretur ; & ideò minimè inquiri, quòd inquiſita non inuenirentur. Qui damnari hos vellent, noluiſſe ſcrutari vt reos, ne deprehenderent innocentes. Perſtringebat quoque malignos oculos, quòd facinoroſi palam, ac publicè, chriſtianæ lucis tenui radio afflati, vbi primum illam animo excepiſſent, repentè quidem in alios tranſiſſe cernebantur ; at licet religioſi ex impiis ; ex homicidis manſueti; veraces & candidi, ex fraudulentis, & verſipellibus ; ex alienæ rei direptoribus, ſuæ prodigi reipſa probarentur, negabatur tamen ipſis oculis fides; præiudicio ſceleris, de Chriſtiani nomine concepto, euidentia cedebat innocentiæ ; de manifeſto quod addubitari non poterat, prouocabatur ad ſecretum, quod non dabatur introſpici. Sic omnis inſontibus eripiebatur defenſio ; omnis ad accuſandum, licentia calumniatoribus laxabatur:Quamdiu enim teneri ſepulta latebris putantur crimina, abſtinebatur à probatione illorum exigenda, & poterat quilibet, quicquid ſomniaſſet, cuiuis imponere. Subire hanc legem triſtem, & barbaram primi Eccleſiæ filij cogebantur ; opinione rei ; præiudicio damnandi, inuita nihilominus,& ringente iniquitate hac adeò impudenti, Romæ potiſſimum, vbi tanta Chriſtianorum ſtrage volitabat,ſtetit Chriſti fides inuicta,& viuida etſi multa interdum eorum millia quotidie caderẽt;ſementem faciebat cædes;ex vno centum naſcebantur, & mortui vnius ſanguis,meſſem dabat viuorum lætiſſimam. Erant tamen illæ immanes, ac truces ſententiæ, quibus tot hominum populi, non ex cognitione criminum, ſed ex ſtulto plebeculæ ſtolidæ rumore necabantur. [Natura famæ omnibus nota eſt, inquit Tertull. veſtrum eſt, fama malum quo non velocius vllum. Cur fama malum ? quia velox ? quia index ? an quia plurimum mendax ? quæ ne tunc quidem cum aliquid veri affert, ſine mendacij vitio eſt, detrahens, adiiciens, demutans de veritate. Quid ? quod ea illi conditio eſt,vt non niſi cum mentitur perſeueret ; & tamdiu viuit, quamdiu non probat. Siquidem vbi probauit

Tertul. c.1. apol.

Apol.c.8.

cessat esse, & quasi officio nuntiandi functa rem tradit : an vero famæ credat nisi inconsideratus ? quia sapiens non credit incerto. Omnium est æstimare quantacumque illa ambitione diffusa sit, quantacumque asseueratione constructa, quod ab vno aliquando principe exorta sit. Necesse est exinde in traduces linguarum, & aurium serpat ; & ita modici sermonis vitium cœtera rumoris obscurat, aut ingenio æmulationis, aut arbitrio suspicionis, aut non noua, sed ingenita mentiendi voluptate. Meritò igitur fama tamdiu sola conscia est scelerum Christianorum. Hanc indicem aduersus nos profertis, quæ quod aliquando iactauit, tantóque spatio in opinionem corroborauit vsque adhuc probare non valuit. Hæc Tertullianus, Romanorum incusans licentiam spargendis clam, palam, & aure credula bibendis quibuslibet flagitiorum probris quæ confingerentur aduersus Christianos. Vt verò Ambrosius de Naboth per calumniam lapidato *historia Naboth tempore antiqua est, vsu quotidiana* ; ita de hac tam iniquè vulgata maledicendi libertate dici potest, quàm vna fulcit vesana credulitas cuiuis præbita pro sua libidine garrienti, huius iniuriæ quanta pars ad Societatem pertineat, longum sit narrare ; ex eo tantùm fiat coniectura, quod in Saxonia, & aliis Germaniæ tractibus hæresi contactis infantes adhuc pueros, doctrina hæc imbuit quasi extra dubium cunctis notissima, Iesuitas (vti etiam Papam, vultus præferre Dæmonum similes, vespertilionum alas, caudas, cornua, & pedes hircorum, digno certè prædicantium acuminibus commento, à quibus tales plebeiorum oculis pingimur, & mentibus fingimur, ex quo (vt de Christianis olim Minutius) ante nos incipiunt odisse, quam nosse. Iam si maledica odia tantum audent, vbi possunt nullo negotio, euidentissimi mendacij damnari, quid non sibi assument vbi argui non possunt, vt nos apud se animo describant tam monstrosè deformes, quàm lubitum maleuolis fuerit, si præsertim exterior species putetur simulandi arte composita, ne possit ex illa de interioris hominis probitate benignè coniici. Paucorum est Henrici secundi Regis Galliarum prudentia qui nos hypocritarum nomine apud se inuisos facere conatis ; æstimandi sunt, inquit, de gestis & moribus, non de mente, Deo vni perspecta, nec sermone hominum fit reus, qui verè sit innocens.

XII. *Secunda causa, libris contra Societatem fides facilius credula.*

Causæ huic succedit altera haud multum dissimilis. Scribunt videlicet in nos Catholicè quidam hæretici, & vice versa hæretice ex Catholicis non pauci. Fidem illi sibi arte parant dum mentiuntur fidem, vtcumque tamen leone se tegant, in eo pecudes se produnt, quod velut mente, & anima cassi, animarum saluti studere se fingunt. Hi verò aut aliquo priuatim commodo, aut alia quauis perturbatione extra modum communis odij abripi se sinunt, solenne vtrisque, potissimum primis, alienis nominibus cælare propria ne si aut Caluini aut alterius hæresis deprehendantur asseclæ, præiudicio nominis negetur iis fides quam facere cupiunt, dum volunt pro Catholicis legi. Quare illorum mendacia nudaturo, succurrit in primam statim periodum illud Stanislai Rescij in spongia, quâ tergit, nobis

aspersas

aſperſas maculas ab quodam ſemiſchiſmatico, ſemizuingilano iuuene, nobilis Poloni cognomentum mentito *Atheus ſis, an Iudæus; hæreticus, an Schiſmaticus; ater an albus, Ieſumaſtix procaciſſime! ignoro, Catholicum eſſe non credo, Chriſtianum vix puto.* Habent hoc etiam vt ſuis præfigant Indices arma defenſioni publicæ pollicentes & florem ſinceri ad coronandam veritatem, vt fuit illa ad Regem Chiſtianiſſimum. *Oratio ſincera.* Planè, inquam, ſincera mendaciis, veri nullius interpunctione; illud item *Patrocinium veritatis* tam vbique manifeſtè falſum, vt in plenam confutationem mutata litera plus ſatis fuerit ſcribere *Latrocinium veritatis.* Aliam fabulam putarunt alij proceſſuram ſibi lepidius, credi voluerunt fuiſſe de Societate, & ea perfidè eiurata, dum fanda nefanda in illam ſcribebant: arcana proferre, quorum pars fuiſſent & teſtes oculati, tantum non illud D. Ioannis vſurpantes, *quod audiuimus, quod vidimus oculis noſtris, & manus noſtræ contrectauerunt, teſtamur & annuntiamus.* Placuit duobus iſta fraus Ioanni Cambilono, & Ioanni Schloſſio, horum alter Germanus, alter Anglus, volens vterque ab Eccleſia & Societate, quam nunquam inierat, videri ad hæreticos perfuga, exceptus ab iis eſt mercenaria comitate, & collati ſibi ad argenti ſonum, Eccleſiæ & Societati ocyma decãtauit. Poſtremò denique inuẽto; velut à nobis & noſtro nomine, data eſt in typos, gubernationis peſtiferæ ratio titulum præferens (*priuata monita, inſtitutio ſecreta Societatis Ieſu*) quaſi duobus ſtaremus inſtitutis; publico vno eoque ſancto, quod nobis ſcripſiſſet fundator; politico altero, & arcano, quod Præpoſitus Generalis priuatim Rectoribus dictaret, refertum cauponariis artibus, ad rem faciendam, & emungendos quæſtus ex nundinatione animarum, & Religionis. Ac ne fabulæ ſuum deeſſet mangonium, commendabantur ea monita plauſibili nomine RR. PP. Capucinorum à quibus vulgata dicebantur, eorum autem in manus veniſſe, cum Dux Brunſuicenſis hæreticus Paderbornenſi noſtro Collegio direptioni dato, libros noſtros, & ſcripta iis condonaſſet, at enim quorum eſt veri laruam falſis detrahere compulere hoc mendacium in lucem, cum auctoris, ſi minus nomine, at ſaltem infamia. Nam in Polonia Pontificis Nuncius, & Cracouienſis Epiſcopus, in Hiſpania ſacri Quæſitores, librum tanquam falſo Societati attributum, & pernitioſum confixerunt. Romæ Cardinales Eminentiſſimi ſequenti decreto proſcripſerunt. *Die* 10. *Maij anno* 1616. *in ſacra Indicis Illuſtriſſ. & Reuerendiſſ. S. R. E. Cardin. Generali Congregatione, habita in Palatio Illuſtriſſ. & Reuerendiſſ. D. Cardinalis Bellarmini, facta relatione cuiuſdam libri cui titulus.* Monita priuata Societatis Ieſu *Notobrigiæ anno* 1612. *ſine nomine authoris, Illuſtriſſ. DD. Cardinales decreuerunt præfatum librum, vtpote falſo Societati Ieſu adſcriptum, calumnioſum, & difamationibus plenum, omnino eſſe prohibendum prout de facto illum prohibuerunt, & mandarunt ne cuiquam in poſterum licitum eſſet illum legere, vendere, vel apud ſe detinere,* &c. Iam iſtarum lucubrationum ſi quis in aliquam incidat, magis curioſus, quam catus, & ſolidus; tam ſiniſtra de nobis concipiet, vt ſit par

miraculo futurum, si vllius vnquam apologetici machina reuellantur, præterquam quod enim pronior est in accusatorem, quàm in patronum fides; plus valet sæpe confictis mendacium, quàm rectis veritas ad persuadendum, illudque Ambrosij de lilio, etiam plerumque in virtutem cadit, à maledicis laceratam, *quæ tanti est artificis manus, quæ possit lilij speciem reformare?* Quæ confutandi vis tam perita, & potens, vt quantacumque contentione ingenij & artis primo flori probitatis, famam restituat, publicæ semel infamiæ, aut vituperationis vredine perstrictam?

L. 3. hex c. 8.

XIII. *Tertia, odere improbi, suæ improbitati obsistentes, quocumque tandem modo ei obstiterint.*

Tertia est, quod inter Catholicos bene multi, tam illustre hoc Catholici nomen, labris solum extremis retinent; habéntque in promptu tantillum id ex quo se nominant, expuere, si non vereantur ne flatu eodem rogum sibi accendant, palam alioqui professuri alius Machiauellum, Epicurum alius, etiam non nemo Diagoram, hoc est homines sine Religione, sine anima, sine Deo. Ab his quicumque diuersâ graditur, vel hoc solum ab eo offendi se putant, eiusque occursum sui esse censuram, quin vt de pallio Tertullianus dixit illius, vel *ipse habitus sonat*, pessimam eorum de diuinis mentem, & vitam peiorem: militare verò sacramentum aduersus vitia apertè suscepisse, longè grauius illos vrit, cum sint omnibus infensi qui non sunt eorum vitiis amici. Planè illud scelestum, & deliberatum sacrilegè *circumueniamus iustum*, aliundè non fluxit, nisi quod *contrarius est operibus nostris, & improperat nobis peccata legis.* Sed sinantur hi sanè coaxare, & scribere, tales denique agnoscendi quales ranas describit Augustinus, *de paludibus personantes tantò tumultuosius, quantò sordidius ex delictorum cœno.* Ad extremum verò si fortè accidat vt contra rem suam veniisse nos credant, tunc demum viuaces Iacob inter, & Esaü incrudescunt inimicitiæ: cœperant illæ materno ex vtero, nec potuerat communitas illius hospitij longè ab se dispar ingenium emendare; nec agrestis alter, & multum de bestia sapiens, alterius Angeli contubernium sustinere; sed hæc demum rixa ad summum euasit, cum id sibi Iacobi vindicauit industria, quòd iure suum iam fecerat; tunc enim tandem mors ipsi decreta est; tunc ei ad eam vitandam necessitate indictum exilium. Iisdem his actus stimulis scripsit quidam (fortè adhuc superstes) edidítque variis titulis, & idiomatis libros contra Societatem quatuordecim singulos ex æquo pessimos; vt sunt *Mysteria Patrum Societatis Iesu. Actio perduellionis in Iesuitas. Anatomia Societatis Iesu. Iesuita exenteratus. Arcana Societatis. Relatio Alfonsi de Vargas, Consultatio fratris Iuniperi. Relatio Fratris Ludouici Soteli*, & his persimiles. Atque ad istius farinæ homines alludere visus est Paulus IV. Pontifex Max. cum patres alloquens primi nostri confessius Generalis, & in iis coram genu flexis Societatem recens natam. *Ne putetis*, inquit, *vos melioris esse conditionis, quàm legis vtriusque sanctos Dei legatos. Similiter vobis continget, multi enim non recipient vos, nec doctrinam vestram, sed persequentur vos, & interficient, obsequium se præstare Deo arbitrantes. Perturbatissimum enim sæculum hoc est, quo Dominus vocauit istam beatam*

Sap. 2.

Societa

Societatem. Ecclesiam Dei diris modis vexari, & vbique ferè oppugnari videmus. Oppugnant Christi sponsam, non tantum à fide alieni, barbari, & qui in nouis insulis Christianum nomen hostiliter insectantur, sed etiam illi qui communi nobiscum Christianorum nomine gloriantur.

XIV.

Quarta, errores paucorum omnibus attributi.

Quarto, priuatorum seu næui, seu lapsus, largitate iniquè prodiga in omnes conferuntur, & ex acini liuore, non racemus tantum, sed & vitis ad falcem damnatur. Communitatem hominum, culpæ semper vbique expertium, frustra quis extra cœlum quærat; illic inter beatos nemo vmbram mittit vllius nubeculæ, cum sit illorum cuiusque lux septemgemini solis, hic lumine vtimur lucernarũ, quæ ex S. Ambr. non extinguntur solum defertæ pabulo, sed olent extinctæ grauiter, & latè putorem adstantibus inhalant. Non est vbi aliquid peccatur, ordo religiosus propterea malus; alioqui nullus sit vsquam bonus; sed vbi impunè peccatur. Nam si errans punitur, inquit *In psal. 118.* Augustinus, in ornamenta errores vertuntur, vt picturas vmbræ manu erudita dispensatæ distingunt, & distinctio ordinis mater est; Ita lapsuum prudẽs negotiatio, quæ meritâ illorũ castigatione peragitur, vigere ordinem demonstrat, & viuendi regulam tenere: quo etiam modo, ex criminibus hominum exprimit sibi diuina iustitia gloriam dum ea suppliciis vindicat, quorum hæc sapiens administratio id facit, aut si minus *specie*, at saltem *ordine* placeant; sic enim *ipso faciente pulchra sunt singula, ipsò ordinante, pulchra sunt omnia.* Verumenimverò, si vnus ex omnibus reus, cur omnes inuoluat damnantis sententia? fiat id prorsus quod se facere solitum Ferdinandus II. Imperator aiebat *Alicui ex Societatis hominibus irasci possum, Societati vniuersæ non possum.* Ne dignus laqueo parricida Iudas, totum faxit secum laqueo reum Christi collegium; nec tot hominum millia; maximam partem nec de ingenio inuicem, nec de facie nota, perinde vnius in mente censeantur vt omnis in Adamo illius posteritas; sitque propterea vnius contra fas, sermone factóve admissum, omnium odio, pœnáque mulctandum. Si iusto humanius videtur, multorum virtute, paucorum culpas prætexere, hoc saltem æquitati detur, ne paucorum error, virtuti officiat plurimorum. Durum hoc & intolerandum queritur Augustinus, ad populum scribens, offensum duorum ex suis, mutua accusatione, ex qua necessariò aut alter impudicus, aut erat alter pronuntiandus calumniator. [Nempe *Aug. de Genesi c. 5.* *Epist. 137.* esse hominum genus quibus vnicè cura sit venari, an Episcopus Sacerdos, Monachus, aut virgo Deo consecrata, in aliquo lapsi sint, vt indè conficiant cæteros omnes eadem peccare, licet de his nihil eiusmodi audiatur, nec tamen iidem vxores repudiant, nec matres incusant, licet audiant adulteria maritarum. At si de aliquo sanctum institutum professo increpuerit sinistri quidpiam, si falsus aut verus noxæ odor eos afflauerit, hic verò ingenium acuunt, huic adlaborant, & sudant vt persuadeant omnibus, omnes eiusdem propositi, vni eorum esse persimiles.] Licet ex vno illorum cognoscere quid de nobis alij obloquantur, qui omnes vnius aut culpa, aut suis suspicionibus reos esse nos volunt, *Nec causa*, inquit, *nec culpa earum re-*

vum

rum quarum Iesuitæ insimulantur, ita partiri, & separari potest, vt alter alterò mitius, aut durius tractandus sit; sic enim secta hæc tam arte inter se comparata est vt totum corpus, & cum hoc omnia eius individua membra in vnum conspirent, & ad vnum scopum mente, & corpore ferantur. Ita scilicet fieri oportet, nec quicquam interesse, inter communitates hominum, & metalli venas, sed ex probato vtrobique vno, vtrobique omnia eadem æstimari, inde communione omnium, hinc vnius culpa liquido comperta, omnes æquè pro reis damnari. At cur non potius insontes haberi? post exploratam vnius innocentiam, & consensionem omnium palam notam? sic iste argutator dum nimium premit, nihil exprimit. Sed ita sit sanè, & consensionis mutuæ præiudicio, partis vnius malum pertinere ad omnes iudicetur; ergo ne si cui extremus digitus abscedat, totum corpus secari vtique oportebit? huius enim, membrorum inter se, quam Societatis vnius hominum coniunctio maior est, atque consensio, suaque singuli propria, diuersa vt plurimum sentiunt, & sæpè contraria. Nihilo præterea iustiùs, sententiam omnium ex vnius sensu colligere; quàm probum, aut improbum eorum animum, ex vno. De tot Societatis scriptoribus, dictum fortè, ab vno seligere, esto, vel assertum leuius vel parum ad censoris saliuam fasciens, & hoc pro communi Societatis doctrina obtrudere, in qua sunt plurimi qui illud improbent, plures etiam qui non probent hoccine ius vllum, hoc vlla æquitas pariatur? *Iesuitarum Aphorismos*, anonymus nebulo Emmanuelis Sa opus nominauit, & ex eo quod illic peccatum ab illo putauit, nigrum theta nobis omnibus præfigit, quasi prophetico septuaginta interpretum consensu, vel minimos etiam conueniremus in apices, & forent omnium quotquot sunt in Societate Doctorum ingenia, ex vnius cuiusque calamo apta. Omitto quod opiniones pro nostris damnantur, quæ orbe toto iam inualuerant, priusquam nostra in elementis literarum lallaret infantia, alij nimirũ silentur auctores, ne qua pars odij nobis depereat.

XV. *Quinta, qui malè agit, omnes sibi similes putat.*

Quinto, id habent improbi, vt libenter credant omnes sibi esse consimiles, vt iis qui vertigine laborant, verti omnia videntur, quod tunc deterius agitur, cum peccandi assuetudine, in licentiam quandam necessariam conuersâ, irretita vsu scelerum voluntas, impotentiam mentitur emendandi, ita vt plurimum qui peccant, libidinosi præcipuè, patrocinia sibi fingunt in credulitate sua arbitraria, qua omnes vt eadem secum ex carne concretos, ita pariter voluptarios esse volunt; qui vero minus id præferant, cautos magis esse quàm castos: hinc se fronte quidem manifestè leprosa cogitant; alios sinu, & occultè, plaga eadem maculosos: Porrò hi de se dum alios pendunt, dúmque (quod improbis innatum Ambrosius notat) nolunt alios videri innocentes; palam est linguam cuiusmodi, ac stilum in sui dissimiles exerant. Susannæ causam impuri Iudices dum tractant; adultera est, & lapidibus obruenda, Danielem appellet virginem castimonia ipsius, *Secura est de victoria castitas, cum est iudicatura virginitas.*

Sexto

XVI.

Sexto quoduis in literis, virtute, aut hominum gratia, paulò spectabilius incrementum, iniquos statim oculos pungit, & malediea eorum odia, incendit, quæ se hoc miserabili remedio solantur, vt auerso ab iis aspectu, quæ cogantur fateri si videant; persuadere sibi conentur nequaquam æmulis ea bona inesse, quibus illos carere quàm maximè cupiant. Illa quam ex Sacro Capucinorum Ordine vir doctus, *Typographiam inuidiæ* dixit *ex qua libelli tot famosi in. Ignatium, & Socios eius prodiere; diabolo exagitante, eloquio, & scriptis Societatem*; Illa, inquam, æternum Typographia illos premet, quoscumque virtus extulerit altiùs, quàm ferre valeant, qui nec maiorem patiuntur, nec parem. Quas linguas Sidonius, *cote liuoris acuminatas* nominauit, docétque rem esse omnium pessimam; nam & lethales ictus habent, & qua defigunt aculeos, vnà & venenum infundunt, quo semper insano turget inuidia. Earum tamen pernicies multiplex, quamuis certa solum cogatur in capita; cum nec mihi scribenti, nec legenti opinor non possit non esse permolesta, vltro hic à me omittitur: vnum tantummodo referre liceat, quod scriptor nescio quis, proximis retro annis non est veritus in lucem edere; Nempe S. Franciscum Xauerium, Clericum fuisse secularem, non autem de Societate Iesu Religiosum; quod videtur magis in Societatem quàm in illum torqueri. Quod enim tanta Societatis nostræ commendatione summi Pontifices, Xauerium dixerint [nouum Indiarum Apostolum, sanctitatis gloria, & meritorum splendore singulari Illustrem.] Quod iidem tot regna enumerent, quibus etiam vltra Indos, Euangelij solem, primus omnium intulit; quod multis centenis millibus barbari censeantur, quos sua ipse manu, sacro fonte intinxit; quod quæ mari, ac terra, pedes obiuit spatia, terræ ambitum aliquoties adæquarint; quod tam multos ad vitam mortuos reuocarit; quod charismate linguarum claruerit; quod illius nomen magnificentius in dies miraculorum perpetuitate diuina bonitas celebret; hæc omnia faces sunt quibus radiata Societas, fulget augustius, quam vt tantum splendoris nonnulli valeant æquis luminibus sustinere. Inde aliis nouum sucreuit acumen ad mouendam de iis etiam aliquam saltem dubitationem, quæ ante apud omnes in confesso erant. Ex quo nisi isti nugarum mendacium satores consecuti essent apud multos, pasci fabulis assuetos, quod potissimum volebant; nec vlli cordato refutatione nec mihi viderentur digni; cum fastidioso plerumque silentio melius enormis falsitas, quàm defensione confutetur, & fiat suspecta res simplicioribus, fidei non adeò certæ, quæ disputationi committitur; at si hæc ratio valeat, triumphum certò hinc ducat effera hæreticorum audacia: nam quid Catholicis dogmatis certius, quid autem hostilius impugnatum? nedum controuersiæ subiectum, ab iis quorum perfidiam seu inuidia siue ambitio, seu amor effrænis licentiæ ad exagitanda illa ingeniosam fecit & acuit: nec tamen propterea quicquam sanctissimæ illorum decedit veritati, siue in arænam aduersarij prodeant, siue argumentis fortioribus prosternantur. At vndenam quæso proposi-

Marcellin. tom 2. mor. encycl.

L. 8. Ep. 1.

utm validiùs asseram quàm ex rei ipsius per se notissimæ, & vulgatissimæ exploratissima certissimáque euidentia. Sunt enim quædam lucis instar, tam splendidè certa vix vt illiqui ea non videat, possint luce alia monstrati; sed collirio sit opus oculis vt cernant; non rebus ipsis alio lumine vt cernantur. Nam quòd Xauerio Prouincialis munus in Indiis crediderit Ignatius; quòd multa mandarit illic peragenda; quod obedientiæ præcepto ad parendum quandoque obstrinxerit, etiam ad Europam relictis Indiis repetendam, quod item Xauerius Societate gloriaretur magnopere, vt suis tot literis fecisse legitur, Deóque perpetuas gratias tanti boni, quòd pro ratione officij Societatem gubernarit; admissis qui eam expeterent; eiectis qui se illa indignos præberent, iisque etiam Rectoribus; quod iussa culpæ lethalis religione sanciuerit; quod se per literas S. Ignatio paratum obtulerit ad redeundum Romam si vel innueret, iubendi nimirum præditus potestate, quòd Societatis vota quotidie instauraret; quod theca reliquiaria, cum Ignatij Chirographo ex eius Epistola reciso, & officulo Thomæ Apostoli, inclusam gestaret professionis suæ solemnem formulam manu sua scriptam, qualis in Societate edi consueuit; nullus sit opinor ita effrons qui neget. His autem tam claris, Apostolico Breui nihil quicquam derogari quo creatus est Apostolicus Nuncius, plus satis constat ex sola illorum diplomatum lectione, quibus id munus, illi creditum est: ad hoc enim solum id illi concessum in iis legitur, vt posset obstante nemine, opportuna munitus facultate Societatis ministeria, vel apud Æthiopes, vel in India obire, hoc est concionari ad populos, sacramenta iis administrare, & alia quæuis æternæ salutis præsidia. Fuere quoque Apostolici Nuncij Salmeron, & Codurius, è primis Ignatij sociis, à Paulo III. anno 1540. mense Martio dicti, sex priùs mensibus quàm ab eodem Societas in Religiosum ordinem formaretur, nec ante annum consequentem in destinatam sibi Hiberniam sunt profecti, substituto in locum Codurij defuncti Pascasio; ecquid verò id obfuit quo minus ij Romæ solenni ritu profiterentur Societatem? ecqua verò ad hoc noua facultate, aut diplomate opus fuit? Nam si Paulus III. eorum nominibus eo diplomate, quo Societatem statuebat expressis, priuata lege tacitè vsus cum illis dicitur; in eandem legem necesse sit pariter Xauerium venire, qui cum iisdem nominatur. Quid autem si ante Societatis Xauerius fuerit professus quàm nuncius? At extra dubium est fuisse. Iussus Ignatius à Paulo III. quos idoneos iudicasset duos è suis ad Ioannem III. Lusitaniæ Regem destinare, ituros, inde in Indiam; Rodericium & Bobadillam legit; sed cum Xauerium noui illius orbis Apostolum designasset Deus, Bobadillæ ex morbo ad iter prorsus inhabili, Sanctus Patriarcha Xauerium subrogat, profectionem indicit Martij 15. anni 1540. & proficiscitur die proximè insequenti. Quod autem quamprimum Societas crederetur à Pontifice confirmanda, triplex suum ea de re decretum scripto consignauit, priusquam Româ discederet. Primum assentire se regulis, & constitutionibus vniuersis

sis, quas esset Ignatius Romæ cum sociis scripturus, probare se illas suo suffragio, polliceríque se religiosè seruaturum. Alterum, ab se Ignatium eligi in præpositum Generalem. Tertium iam indè nuncupare se religiosa vota, quæ Societate post Paulum formata essent suam vim omnem habitura: suas autem vices Iacobo Lainio demandare, vt hoc suum autographum Patribus suo nomine exhiberet, cuius tertiam partem ex Romano nostro vbi asseruatur tabulario Hispanicè scriptam Latinè hìc reddo. [Simul, inquit, postquam confirmata Societas fuerit, datúsque illi præpositus. Ego Franciscus, exinde in id tempus promitto perpetuam obedientiam, paupertatem, & castitatem. Rogo itaque te Laines mi Pater charissimè, in Dei Domini nostri obsequium, meo absentis loco, Generali quem delegeritis meam hanc mentem, offerre ne graueris, cum tribus religiosis votis, exin siquidem in diem quo lectus fuerit promitto me illa seruaturum in cùius animi mei, & sententiæ veram fidem, scriptum hoc meo chirographo confirmo. Datum Romæ anno 1540. Martij 15. Franciscus.] Post hæc aduertendum non fuisse Xauerium Nuncij munere insignitum, nisi mensibus septem ab Societate, Pontificio maiori diplomate probata. Leguntur enim inter Pauli III. Rescripta, quatuor de legatione Xauerij simul & Rodericij Nunciorum; vnum 27. Iulij adnotatum anno 1540. ad Ioannem III. Lusitaniæ Regem, quo ampla illi fiebat potestas, illius eorum alteri, aut duobus, vel neutri etiam tradendi, vti magis luberet; eos in Lusitania vel retinere, vel indè amittere. Constituebantur verò Pontificis Nuncij cum auctoritate Euangelij promulgandi, explicandæ scripturæ, &c. Secundum Augusti 2. annóque eodem signatum, cuius facultate possent Ecclesiæ reconciliare hæreticos, & cum iis quos labes aliqua ab sacro Ordine arceret; vel à coniugio propinquitas sanguinis, indulgere; & eiusmodi alia. Postrema duo data Octobris 4. eiusdem anni, vtrumque Nuncium Imperatori Æthiopiæ, & Indiæ Regi maiorem in modum commendant, nec quicquam præterea continent. Ex his colligitur hoc primum, Nuncij dignitatem non fuisse ante Xauerio collatam, quàm Roma discederet; cùm diplomata breuia quibus ea illi collata est, nisi post quartum & quintum mensem ab eius discessu data non fuerint. Ea verò in Lusitania ab Rege (cuius erant arbitrio permissa) non priùs accepit; quàm Regem postremum salutans, nauim esset quamprimum in Indiam conscensurus, quod Aprilis 7. factum est anno 1541. mense septimo post Societatem inter religiosos Ordines cooptatam: prætérque hunc omnium qui de illo scripsere, in hoc idem consensum habetur autographa in Romano nostro Archiuio eius Epistola à Rodericio pariter, cuius erat communis, subscripta. Interea temporis de Societate confirmata edoctus professionem in ea emisit; verùm quid attinet in probationes alias diffundi, cum Paulus III. à quo Nuncius missus est, cum primis nouem Societatis Patribus Xauerium numeret, primo illo quo Societatem confirmat diplomate, cuius est initium *Regimini militantis Ecclesiæ*; Secundo item, cuius prima sunt verba, *Iniunctum nobis*

bis ann. 1543. Xauerium apud Indos versantem iisdem accenseat & coniunctim omnes Societatis religiosos vocet. *Cum itaque*, inquit, *nos aliàs postquam dilecti filij Ignatius de Loyola, & Petrus Faber, & Iacobus Lainez & Claudius Iaius, necnon Paschasius Broët, & Franciscus Xauier ac Alfonsius Salmeron, & Simon Rodericus, necnon Ioannes Codurius, & Nicolaus de Bobadilla socij Societati Iesu nuncupatæ presbyteri*, &c. quod ipsum quoque declarat Iulius III. diplomate *Exposcit debitum* anno 1550. quo institutum nostrum sanciebat; nec deest auctoritas recentiorum Pontificum idē probantiū, audiuit enim Greg. XV. Probauítq; Eminentissimū Card. deMōte, referentem in Consistorio de Xauerio Societatis Religioso, & S. Ignatij potestati subdito, cum auctoritatibus testium publicis, ad eum sanctis adscribēdum. Quā relationem in hæc demum verba Eminentissimus concluſit. *Hæc sunt Beatissime Pater quæ ex legitimis actis huius causæ dicēda fuerunt de vita, & moribus serui Dei Francisci Xauerij, Societatis Iesu* Ad hæc tum idem Gregorius, tum Vrbanus VIII. eo diplomate quo in album sanctorum refertur Xauerius; *Sancto verò Ignatio* inquiunt, *Præposito suo non nisi flexis genibus scribebat*, cum dabat ad illum ex Indiis literas. Denique instar sit publici decreti, pertinaciæ cuilibet præscripturi, quod eius memoria Ecclesiasticis tabulis Romani Martyrologij consignata est iuridica potestate in hæc verba. *In Sanciano Sinarum insula S. Francisci Xauerij, Societatis Iesu, Indiarum Apostoli.* Sed hæc satis quidem ad retegendam radicem virulentam, ex qua tam luculenta mendacia germinarunt; ad fidem verò rei clarissimæ atque apud omnes certissimæ plus satis.

XVII. *Septima causa, desertorum malignitas, & electorum ex Societate. Ep. 82. Serm. de pudicit.*

Septima deniq; odiorum aduersum nos causa, improbitas est desertorum, & electorum è Societate, in qua nobiscum dum viuerēt non fuerunt ex nobis; *neque enim pudet*, inquit Ambr. dicere quod *dicit Euāgelista Ioannes*, spebus illā suis haud paulò frigidius adamarant, quas in humana quædam præmia cum misissent; iis postea cassis, eiuratáque propterea Christi domo, inde vti senes Susannæ proditores, *ex amatoribus accusatores*, vt ait S. Zeno, euaserunt & ad eluendum transfugij sui sacrilegium, damnare illam pergunt, tanquam sua indignam habitatione. Hostis cœlo peior dæmone nullus est, qui cœlo excidit; religiosis familiis, præter earum desertores; nulli acriùs aduersantur aguntque id scilicet, proterenda modis omnibus earum fama, ne quis eò ascendat, vnde ipsi in præceps iere. Nauim ad latus insulæ qui fregit, antennæ truncum in eo erigit, ad notandam magis loci infamiam quàm nauigantium cautelam, sic isti odiis pietate prætextis; lingua si calamo non valent, passim monent, qui nolint perire, aliò diuertant, & locum auersi execrentur, quasi omnes illic certa naufragia maneant, vbi vnum sua stultitia perdidit. Quos primis seculis malorum turbines Ecclesia experta est, eos vt plurimum desertores illius mouerunt, vt cum Martyre Cypriano respondendum sæpius fuerit. *Hoc de apostatarum fictis rumoribus nascitur, neque enim laudare possunt nos, qui recedunt.* De qua fratrum falsorum iniuria habet Societas quod multum queratur, nam ab ea expulsi, eiusque proditores oculatæ fidei venditatione, aures credulas nacti, vbi ei nocere pro libidine

L. 4. Ep. 2.

bidine ſtatuerint, quibuſuis externis damnoſiùs quicquid ira ſomniauerit affingunt. *Ep.*137.

Poſtquam enim illos decretoriæ illius vocis perculerit tonitru, *non es aptus regno Dei*; ſolet quaſi iam proiecta ſpes omnis in ſcelus omne audaces agere, vt gladiatores olim, necis ſuæ ſecuros, impudentia criminum efficiebat metuendos, *quid timeant non habent, & vehementer timendi ſunt.* Pro lege illis eſt, vt in pſalmorum enarratione notat idem ſanctus *abſterrere intraturos, quia ipſi cum intraſſent perdurare non potuerunt*, idque agunt ſpargendo de ſingulis, ac de vniuerſis quicquid peſſimè auditum iri exiſtimant, *quales illi? inuidi, litigatores, neminem ſuſtinentes, auari. Ille illud ibi fecit; & illa illud ibi fecit.* Ita *non habentes in cauſa diuiſionis ſuæ quod defendant, non niſi hominum crimina colligere affectant & ea ipſa plura falſiſſimè iactant, vt adducant in odium de quibus fingere quicquid in mentem venerit, poſſunt.* Ad Societatem quod attinet fructus ſenſit ſceleſtæ iſtorum contra ſe volũtatis, libros illos quorũ alteri nomen *Hiſtoria Ieſuitica.* Alteri *de modo agendi Ieſuitarum.* Ac præter ſtyli eiuſdem conſimiles, alios recentius editos, ab domeſticis quidem exterius noſtris, occultè reipſa hoſtibus, qui Societatem tam ream faciunt, quàm erga ſe iniquam ſtatuunt, quod efferre ipſorum ambitus in eos gradus nequiuerit, quorum dignitatem ſuſtinere meritis non valebant: nam ſi ad honores perperam cupitos, & pulpita, cenſores hos ſuos, & reformatores, Societas prouexiſſet, nihil foret apud illos eius inſtitutione ſanctius, excellentius doctrina, gubernatione ordinatius, nunc nihil non diſſonum, & diſcors, & quòd peſſimo quouis peius, eo redacta eſt, vt neceſſe ſit exleges qui cenſuræ ipſius ſanctæ impatientia reuelli ſe ab ea paſſi ſunt, legem illi ad iura, & cenſuram dictare: nam qui verſo deorſum capite, pedes ſurſum attollit, verſa ſuſdéque omnia intuetur, haud quidem re vlla ſuo loco mota, ſed illo vno ſurſum pedibus verſo. Statum ille vnus ſuum recipiat, & qui prius inuerſus videbatur orbis; pulchrè, rectéque cernetur conſtitiſſe, ſic ſe, in cæco præfecturæ, aut pulpiti ambitu repulſam paſſi vſque adeo vindicant, vt vertant infœliciſſimum ingenium in Ordinis viſcera, in quibus nec occupari voluerunt intra tenuitatis ſuæ limites, nec extra officij regulas potuerunt. Grande opinor artis opus, capútque ſcientiæ, omni maius admiratione! Præpoſitorum Generalium diuulſas literas, Congregationum diſiectos canones, & decreta, in alieni commenti librum contexere, artificio minimè ab eo diſpari, quod in re ſimili deſcribit Ireneus, decerptis videlicet vnionibus, ſmaragdis, carbunculis, cœteráque ſuppellectili gemmarum, Imperatoris vultum reddentium; ex iis conſertis, caput vulpeculæ fingere, vt ex eo quod eædem agnoſcantur gemmæ, credatur quoque idem vultus eſſe. Egit aliquamdiu in Societate, ſeu religioſum, ſiue vt ipſe vult, eius pro hæreticis exploratorem, Helias Haſenmullerus, & hoc, aliquamdiu, longum tamen Lutherano viſum cui pro ſale cum eſſet anima, cogebatur interim tãtiſper virum bonũ præferre. Erupit tandem è Societate, eiuſque ſecum regulas abſtulit, vt ſuis illis commentariis præclaris eas illuſtraret, quos

Aug. tr. 33. *in Ioan. in pſal.* 99. *Ep.*137.

*L.*1. *c.*2.

in historia Iesuitica euulgauit. Inter illas verò quas illic damnat constitutiones, illa est qua iubemur in rebus omnibus, iis qui nobis præsunt, tanquam Christo parere & textum quidem constitutionis verbatim refert, sui tamen nequaquam immemor, hoc est hæretici, qui Tertulliano teste. *Ex veritate accepit quod ad mendacium suum struat*; vociferatur aduersus Ignatij alumnos, quibus tam parui sint propria scelera, vt se alienis etiam auctorent; quæcumque scilicet præposito cuiuis lubitum fuerit imperare, nam qui ad omnia se illi obstrictum voluit, nec homicidia, inquit bonus interpres, nec latrocinia, nec quicquam aliud excepit. Cui stolidissimæ explicationi quanta fides habita fuerit, norunt qui tot libros euoluerint, quibus tam dirè Societas scinditur. Ferè siquidem nostram illam carpunt animi comparationem ex præpositorum suspensam arbitrio, vocántque quadrupedum, & assassinorum obedientiam: tanti est ad probrum religiosæ familiæ, sanctum quoque illius institutum apud eius ignaros, nec de illo nisi ab eius plagiariis edoctos. Nam si regulam integrè reddidisset Hansenmullerus, subdens quæ deinceps legebantur, non potuisset homo perfidiosus, Iesuitas impudenter traducere velut omne professos facinus quodcumque possit cuiuis regentium iubendum incidere; illic enim disertè legitur, nostris rectoribus dicto audientes debere nos esse in omnibus, *vbi peccatum non cernitur*. Quod idem facile euenit cum fragmenta de Generalium Epistolis, & monitis trunca referuntur. Excubant illi è summo vertice Ordini sibi concredito, & vigili acie indè circumspiciunt vniuersa, indè vocem attollunt identidem, monent, hortantur, iubent, nec lenti expectant dum error vnius in omnes proserpat, licet videantur dum vnum increpant, alloqui vniuersos. Id enim agitur ne cui culpæ laxetur aditus, & si quà iam pedem intulerit, indè fortiter expellatur. Quare ad hoc mittuntur publicæ admonitiones, vt publico prosint, & ægritudines, vel curent vel occupent. Quod de Generali etiam conuentu intelligendum est cum adstringit, cum firmat & perficit religiosam disciplinam. Nec sunt ista laxati, perturbatique Ordinis testimonia, sed firmamenta conseruandi: nam benè regendi officia qui callet, videns quà pilus cumque mali germinis surgat, in religionis campo, toto orbe diffusæ; concurri statim ad eum euellendum, facilè conficit, non posse id fieri sine insigni studio pietatis, quod illic vigeat; nec sine illius studij detrimento, aut periculo prætermitti. Iam illa quædam grauiora, quæ seuerioris præcepti religione sanciuntur, quanto sunt momenti aut per se maioris, aut propter illa quæ secum in alios trahunt; tanto sane pauciorum fuerunt; factum tamen prudenter dum deliberata cautione iis occursum est quæ non essent tam mala quod ad paucos spectarent, quàm quod bono multorum officerent. Ordinis denique Religiosi totum corpus, in reuellendis vitiis, haud aliter se habet quàm humanum in spina quæ pedem confixerit extrahenda, punctionis dolore, intacta licet, & dissita lingua, hei mihi? exclamat, & illacrymatur oculus & *totum corpus*, inquit Augustinus, *contrahitur*, & *sedet homo*, *curuatur*, *spina*

Aduersus Praxeam.

In Ps. 130.

spina dorsi vt quæratur spina quæ hæsit in planta. Omnia membra quicquid possunt faciunt, vt de infimo exiguo loco spina quæ inhæserat educatur. Sed quamuis ad curationem malè totius corporis opera confertur, haud tamen totius corporis malum est, nisi ait idem, *per concordiam charitatis.* Quod consensione mutua membrorum pars sana & valens laborantis ærumna doleat, eiusque remedium poscat. Sed, Dei gratiâ, non sunt tam breuis iudicij, curtíque prospectûs homines vt esse hanc nesciant calumniatorum artem, fingere medicinam vt morbi grauitas de illa æstimetur; nec animaduertant ad Societatis famam pluris esse, quod præcipitium ad inferos ambitione leuius censeat, quàm ad Societatis infamiam, quòd monstrum quoddam ex laceris eius instituti consutum frustis famoso libro in lucem proiectum sit: nam *quid est claustralem, redire ad seculum, nisi cœli habitatorem cadere in infernum.* Quid autem is liber nisi concauum speculum quo rerum formosa species tam prodigialiter immutatur, vt pro Angeli pulcherrima facie obiecta, Dæmonem horrendum referat *seruata similitudine in peius.* An erit qui credit euocatos vndique terrarum, ex Societate vniuersa viros, numero quinquaginta ad hanc anni 1646. Congregationem Generalem, morum integritate, studio disciplinæ, vsuque instituti præstantes, post tantum curarum, atque examinum, tam parum vidisse, vt eguerint eius luce, qui ad discernendas religiosi quem gerebat habitus maculas, tunc primum illuminatus est, cum detestabilem in modum, illum ab se proiecit? eguerint scilicet eius consilio qui tunc totus in salem sapientiæ concreuit; cum se denuò spumosum in mare secularium sordium immisit, vndè olim Deo miserante fuerat ereptus? At si nihilominus non desit qui ex illius eiusmodi libris, ferre de nobis iudicium velit; non debebit videri magis nouum, quàm quod meritò dolet Clemens Alexandrinus, Ethnicos arguens, qui fidem sibi suo arbitrio ex corui garritu certam, ex discursu hominis dubiam fingerent. Infelices, inquit, & miseri, qui graculum, & crocitantem coruum, reueremini vt Dei interpretes, iisque velut diuinitus & diuina sonantibus creditis; hominem ratione, ac sapientia differentem non modo exploditis, sed insectari, & perdere pergitis.

Ser. 79. de temp.

Blesens. Ep. 13.

Senec. l. 1. q. nat.

XVIII. *Insectationes aduersariorum Societati perutiles.*

Hoc verò quod mihi huc vsque licuit adnotasse, ne viderer dixisse audentius Societatem in monte Martyrum nascentem, crucem in Horoscopo habuisse; particula solum est illius influxus, quem sibi ab cruce impressum agnouit, sensítque Societas, sit tamen ad propositum satis. Nunc illa nostri, rerúmque nostrarum commiseratio qua dolent nonnulli, durè nobiscum prætérque fas agi, etsi perhumana est, & pia, sed eam aduerto, pietatis errore aliquo non carere, vt nec illa carebat boni senis Iacobi pietas, dum Iosephi sui Polimytam laceram largo fletu perfundens, laniati corporis deuorata membra lugere se putabat, & pro inuidentiæ fraternæ iniuria, ferarum immanitatem incusabat. Quotquot nos externo ab hoste conflictationes, damna, iniuriæ, incursarint, vestem profectò solam vellicabunt, & distrahent; nec fortè absque meriti lucro, & diuini fauoris, etiam

tempo

temporarij, & caduci. Obseruatum ab incunte Societate notat suis in aduersariis Hieronymus Natalis quoties Deo visum munere aliquo singulari Societatem attollere, toties illam vexationis alicuius præuio verbere humi afflixisse. Nullam S. Ignatius tranquillitate ipsa tempestatem Societati timebat sæuiorem; nullum genus aduersariorum periculosius quàm aduersariis carere. Notatus verò aliquando præter illam suam vt animi, sic oris, serænitatem perpetuam, vultu tristior esse, & suspiriosus, causam indicauit, quod in Prouincia quadam, Societatis rebus ab aula & populo adspiraret flatus secundior, & cuius alij propioribus attenti, gratulabundi, Deo gratias agebant, ipse alta ex animi specula cernens longinquiùs, euentus timebat ambiguos aiebátque se multum suspicari ne esset illic parum fœlix diuini obsequij cursus. Quod illum non modo sanctorum prudentia, sed fida & vetus experientia sæpè docuerat: cum enim sibi attenderet vni, tantum abest vt quenquam experiretur aduersantem: vt verò agere cum proximo cœperat, ibatur in arma continuo, stabántque mox ex aduerso accusatores, vincula, catenæ, silendi imperia, & pœnæ seditiosorum. Mira pax oppido ista est qua gaudes Parisiis, aiebat quondam Ignatio amicus. Mira intulit vir sanctus? mundo pax mecum est, dum linguæ ignarus Gallicæ, bellum mundo tantisper non moueo; sine pòssim in campum exire, videbis in me totam vrbem illicò surgere, me verò vndique pugnantem. Sentiebant hoc idem magni illi Franciscí duo Xauerius, & Borgia; metuebat ille vehementer, cum Societas tranquillè agere sineretur; gestiebat hic dum illam videret sperarétque de cœlo visurum nunquam non aduersis exercitam. Nihil igitur est quod iis terreatur, ex quibus potius eandem se agnoscit quæ fuerat cum primum nata est, reflante in illam perpetuò, impugnantium casuum, & hostium, qui nascentem exceperat, primo nisu. Quod religiosæ familiæ metuant, nisi ab se solis non habent. Dabunt illis infidelium gladij Martyres: hæreticorum odia conciliabunt famam eo sanctiorem quo ab iis diuersâ, & planè contrariâ incedunt; ærumnarum ardor ex persequentibus Catholicis æstuans, virtutem illarum excoquet; cautioréque factas, tum sibi mutua suorum inter se necessitudine connectet arctiùs, tum à solo Deo certiore fiducia suspendet. Ad summum insani ab impiis turbines, quatient, esto, nos, ac perstringent, sed eâdem iacturâ, vt Baltazaris Aluarez sententia vtar, quasi cœlum in vineam densis vnionibus grandinet, stragem edat ruina pretiosissima fortunatam: intestino ab hoste timendum est, interius nascitur quod nocet, vt si philautia dissidiorum parens, & scindendi Ordinis artifex, nexus dissoluere publicæ charitatis, & linguis discordibus seducta, dissiliret illa partium inter se articulatio, quæ ab toto seiunctæ non possunt consistere. Si supra cœteros eminere, industria quæratur, non merito; si amicitia fauórque procerum Religionis parta dispendio, ad priuatam disciplinæ communis laxitatem, contra ipsam Religionem instruantur; ex quo illa existat amara necessitas, vt dissimulari noxas aliquas oporteat, ne grauioribus occasio præbeatur;

præbeatur; si publici honoris studio ex quorumdam ingeniis captandi, vel speratæ priuatim vtilitatis, propriæ, claudantur eorum defectibus oculi, & sorbere illis muta licentia annuat, quod vulgo ab aliis strictior disciplina rigidè exigit. Si tandem vt olim pulchrè Nazianzenus foris procella sæ- *Orat. 35.*
uiente, peiorem nautæ inter se dissidentes, ac depræliantes in naui excitent, & his similia. At è contrario si nos inculpata, vitæ agendique innocentia sustentabit, ex tuto illius fastigio ridebimus tempestates, & turbines, haud magis de iis solliciti, quàm imposita rupibus insula ad cuius latera allisu perpetuo frangit se, ac resorbet mare, stat ipsa immobilis, fluctúsque despicit, *tundi potest, frangi non potest.* Iuuat quæ diximus omnia, testimonio viri grauissimi Ludouici Granatensis fulcire: fuit is è sacro S. Dominici Ordine, diuinorum apprimè intelligens, & si quis alius hoc æuo ad summam virtutem magister tutissimus, erítque nobis aliàs etiam memorandus. Venit ad me ex eius Epistolis quam scripsit, paucis quàm obiret Ignatius mensibus, scribendi occasio fuerat, quam vitæ illius sic auctor explicat: [Societatis, inquit, beneuolentiam, & amorem quàm abundè promeritus sit Ludouicus Granatensis: manifestum est ex literis, quas dedit ad quendam Societatis eiusdem Sacerdotem, de vexatione in eam concitata per virum Religiosum, grauem, canum, omnia molitum vt eam & Imperatori, & omnibus inuisam efficeret. Huic restitit Ludouicus non hac modo quam teddo Epistola, sed concionibus è Sacro pulpito. Ex quibus quidem palam est Societatem quantùm diligeret, & de illa quàm præclarè sentiret; sed multo illustrius, viri optimi candor, & probitas, sic enim ea Epistola loquitur. Quanto me dolore R. Vestræ affecerint literæ, Deus scit: etsi enim vehementer optem vos crescere, prouehíque ad vlteriora, sed sumptu nostro parabiliori, cum in hoc negotio verear plurimum, ne sit inferenti, maiori damno iniuria quàm accipienti: ac noui hunc esse Deo morem vt sale, aquarum salsuginem diluat; luto detergat cæcitatem; ficuum emplastro vulnera persanet; Hebræos Pharaonis, tyrannorum barbarie Christianos immenso numero augeat; suis quin etiam Deum consueuisse aduersariis vti, ad sua consilia in destinatos exitus perducenda, vt venditionem Ioseph contulit, ad fidem eius somniorum euentu præstandam, cum esset ad eam infringendam à fratribus venditus. Atque huc denique videtur hæc mihi noua tempestas desitura, esto ad Societatem subuertendam conflata; verùm incremento humilitatis sanctæ, pietatis, exempli, & prudentiæ vndíque oculatioris, commendatura est illam existimationi, hominum & amori; sic iisdem illam Deus attollit, quibus Religiosus ille contendit eam deprimere. Estque haud paulò veriùs, eum vobis ferere, quàm vos (vti aiebat) Anti-Christo. Mihi quidem hoc persuadeo *qui ponit ventis pondus*, & Pau- *Iob.*
lum carnis stimulo onerauit, ad saburrandam qua perfruebatur sublimitatem dictionum cœlestium; vos quoque hoc flagello terruisse ne efferremini plausibus, beneuolentia, & obseruantia populorum meminerit, quæso,

Luis. mugnes l. 3. c. 4.

egere fata, interdum cœli clementia, & tepore; rigore interdum, ac gelu; vt altero germinent, altero radicem demittant altiùs: iisdem egent etiam Christi plantæ, in Ecclesia ad Dei gloriam consitæ: vt enim virtutem iusta laus prouehit; sic animi robur aduersæ conflictationes. Gaudeat R.V. eodem iure Societatem regi, quo primigenia olim Ecclesia; væ Romæ! si Chartagine caruerit, væ Societati, si concertantium impugnatione. Id vnum à R. V. efflictim peto, vt pro suo charitatis perfectæ studio, à Deo exoret ne vnius culpam vniuersi luamus. Quod præ quouis alio hac in re pertimesco. [Ita ille. Vlissipone Martij vltimo 1556.

XIX.

Aug. in Ps. 96.

B. Virgo Deipara Societatem domi suæ natam, vt rem suam tuetur.

Dixi de natali Societatis loco; addo de tempore de quo inter alia compendio tradita, narrat Simon Rodericius, vnus ex decem Ignatij sociis concepta in domo Deiparæ Virginis Societate, dieque illi præ omnibus sacro fuisse communi Patrum suffragio, ipsius tutelæ Societatem eandem ab ipsis concreditam; delectam exinde Virginem in Societatis parentem, illosque tum sese, primúmque illud votum; tum verò spes omnes ita eius è manu pendere voluisse, vt certò confiderent, sua consilia ipsius auspiciis in Christi gloriam feliciter exitura. Iam quisquis patenti optimæ fidelem, atque intimè deuotam, Societatis seruitutem hinc quidem attenderit; hinc verò illam seruitutem quam profusis, & singularibus Dei donis Societati Virgo rependerit, profectò intelliget, iam tum nexum teneritatis quendam velut matrem, & filios iunxisse, & mutuas vices officiosæ clientelæ, & beneficentiæ herilis velut inter seruos, & dominam constitisse. Vt enim certò Reginam Virginem, propius tangit filij gloria, quàm sua; & exhibitos filio honores, vltro sibi imputat reponendos: ita dubitari non potest religiosam familiam, Iesu Filij sui sanctis obsequiis penitus consecratam, quin præcipuo affectu complexa sit, ex iis nempe compositam, qui vt loquitur Pius V. *Verè mundi huius relictis illecebris, adeò Seruatori suo se dedicarunt, vt conculcatis thesauris, quos ærugo & tinea comedit; lumbisque paupertate, & humilitate præcinctis, non contenti terrarum finibus, vsque ad Orientales & Occidentales Indias penetrauerint ac eorum aliquos ita Domini amor perstrinxerit, vt etiam proprij sanguinis prodigi, vt verbum Dei inibi efficacius plantarent, Martyrio voluntario se supposuerint, perque eorum spiritualia Exercitia, etiam regna ipsa fidem agnouerint.* Si pari vt aiebam gressu, crescentem filij gloriam materna sequitur, & quanto filij honoribus additur, tanto glorioſior fit mater, clarum videtur Deiparam Societatem filij sui, asseruisse sibi tanquam suam, vtpote cuius laboribus iam tum prospiceret, agnoscendum latè à populis filium, propagandam illius fidem, augendam gloriam cum ingenti quæstu innumerabilium animarum.

XX.

Seruitutis fructus quã Matri Virgini Societas profitetur.

Præter hæc tamen officia quibus Societas filio seruiens, simul etiam matri obsequitur, habet alia erga illam proptiè nec pauca nec leuia. Imprimis enim haud facilè dictu est, quantum possit ad clientelas Deiparæ magno numero proferendas, orbe toto ab Societate iuuentutis educatio suscepta, qua non magis quidem ingenia literis, quàm pietate animi exco-

luntur

luntur, sed peculiari cura Virginis cultui studetur. Hoc enim imbuti iuuenes, illi se statim initio solenni formula ritúque se addicunt, sua illi perpetua obsequia obstringunt, hanc sibi æternùm venerandam, æternùm matrem profitentur. Quæ institutio in omnibus Societatis Collegiis constanter viget, florentibus illic sodalium cœtibus qui magnæ parenti sub variis festorum titulis militant. Ex quo si nihil aliud rediret boni, nisi quod paruuli ad eam deducantur, quibus ad se patere aditum iubebat Christus, res esset non parui æstimanda, quàm gratum enim spectaculum Virgini tot adolescentum millia suis coram sacellis vbique gentium distincta, ad celebrandas, legendas, audiendásque laudes suas festis diebus conuenire, in sui cultum & honorem lectionibus sacris attendere, visere pauperos in nosocomiis, diuino epulo, saltem quot mensibus refici, aliáque obire, pietatis, & pœnitentiæ munera, quorum illa ætatula capax est. Verùm hoc insuper vsu compertum est, primigenia hæc virtutis semina nunquam interire, sed altis radicibus durare, & crescere, lætóque fructuum prouentu vitam omnem ditare consequentem. Quantum verò hac officiosa sodalitatum suarum obseruantia delectetur adeò multiplex in earum alumnos eius beneficentia testatur, vt possit grãde volumen implere: eius sunt miris modis vitata iuuenibus hominis vtriusque pericula; conuersiones morum patentibus tàm nouæ, ac lætæ quàm contra spem editæ. Magni fortísque animi Heroica decora, in propugnando potissimum castimoniæ candore; frequens, nec ea vulgaris impulsio ad religiosos Ordines capessendos, qui hoc annuo, lectóque reditu perpetuò augentur; eiusdem Virginis obiecta interdum præsentia, etiam quandoque prælectiones grammaticas, non aspernatæ familiariter puero tradere, denique inter eius brachia obitu mortes iuuenum sanctæ. Nunc si tantoperè illi placet, exhibitus à pueris honor, quàm caros habebit à quibus illa instituuntur disciplina? Henricus IV. cognomento, & reipsa Magnus, Societatem restituens, seu calumniis, siue hæretica factione Gallia exulem, præclara commendatione, Parisiensi curiam iubebat perpendere, iuuenum plus centum millia intra paucos annos, nostris è Gymnasiis progressa, in Iurisperitos, Philosophos Mathematicos, Medicos, morum ac Theologiæ magistros euasisse, magno regni totius ornamento, & vtilitate; quantam ergo est apud cœli Reginam Societas commendationem habitura, quàm certum fauoris, & tutelæ pignus, in educatione innumerabilium iuuenum, quos in regni ipsius splendorem toto orbe format, & expolit? Nec ista adolescentiæ ad Deiparæ cultum eruditione, inferior est, & officij minoris, librorum de illa scriptio, qui absque numero ex Societate prodierunt, quà incitandæ populorum erga illam venerationi; quà suggerendæ concionibus sacris laudum ipsius materiæ; quà ad vindicandas tum contra hæreticos, tum alios ipsius glorias. In quo non obscurè illud enituit, qua nocte nuntiati Verbi diei præuia, Monserrati post militares vigilias, ensem Virgini matri sacrauit Ignatius, quo ipsam de Mauro sacrilego vlciscí voluerat. Fuisse Ignatium ab ea conscriptum in militem suum, instru-

ctúmque ab ea ensibus lacu intinctis meliori, hoc est stylo, & linguis Canisij, Turriani, Richeomi, Cottoni, Pelletarij, qui Doctor Virginis, cognomento illustri, hinc dici meruit, & aliorum è suis complurium qui ausos Virginem Dei Matrem, sceleratis linguis appetere, huius ætatis hæreticos fortiter expugnarunt. Quò etiam pertinet duplicis illius gloriæ luculenta defensio, vna ab insigni Theologo Turriano, qui rationibus euicit, vt Præsentatio Virginis in fastos Ecclesiæ restitueretur, cum Pio V. Pontifice, insimulata nouitatis ex iis fuisset erasa, ipse veterem eius memoriam, & probatam in Ecclesia venerationem ab antiquis accitam temporibus asseruit, quod sibi quàm gratum accidisset visa est significare Deipara, dum illo ipso sibi festo die, illum in cœlum euocauit. Altera Francisci Suaris qui excellentiam meritorum, præ sanctis simul, vniuersis incomparabilem vni Deiparæ tribuit, siue potius aduersus quamplurimas impugnationes vindicauit, cuius obsequij gratiam, ipsa per se Martino Guttiero cœli Regina testata est, qui elucubrandi eius pro se tractatus impulsor Suari fuerat.

XXI. *B. Virg. erga Societatem amor.*

Societati verò vniuersæ tanquam, sibi addictæ, & peculiari, quantum amoris testata sit, tum primi loquuntur eius ortus & incunabula, tum eius incrementa. Imprimis enim Deiparæ fundatorem Ignatium debet Societas; illa primos satus futuræ sanctitatis Ignatio infudit, inter quos illud est castimoniæ donum singulare, quo restinctis affectibus quibusuis, & imaginibus parum castis erasis ex animo, ad vsque obitum à iunctis præstitit certaminibus corporis immunem, cuius doni vis illa præcipua, quæ vitam seruat ab integritatis labe alienam, ab Ignatio parente, hæreditaria in eius familiam transfusa durat, habéntque hoc suo quodam iure ipsius nepotes, vt peculiari cultu, demereantur sibi præsidium Virginis, vt possint cum omni ætate, conditione, sexúque, velut in spinis lilia tuti esse, adeóque inter populos barbaræ nuditatis, vbi ex solitudine sociorum, & incolarum libidine, prona foret in lapsus natura, nisi sustentaretur præsidio Virginis (quod quisque sibi, vt nouit optimè, expoſcit) essétque hoc pars eius Gratiæ quæ vocationi tribuitur; opis videlicet copiosæ atque affluentis ad instituti munera tuto, & feliciter obeunda vocatis, cœlitùs destinatæ. Hinc illa Deo laus frequens & tenera ab vno ex antiquissimis nostrorum Patrum ob tria quæ suspiciebat in Societate, optabátque ad hoc à posteris suspici, vt ea deteri nunquam paterentur; Vnum, tanta tot hominum inter se consensio, diuersis licet ex nationibus editorum: Secundum, tanta & sanguinis, & scientiarum præstantia, tam ab omni præstantiæ ambitu, & sui opinione aliena. Tertium, in tam numerosa, florentíque iuuentute, casti, & honesti tanta integritas, creuit deinceps Ignatius in sinu optimæ parentis, beneficiorum eius singularium proflua vbertate, dum illi quamdiu vixit familiarem sui conspectum fecit, nunc sola, quandoque cum filio, modo quasi posita maiestate humanius, perducens nonnunquam ad Augustissimam Trinitatem, vt quarto libro narrabitur, nouis tamen semper adiectionibus

nibus donorum quorum tantæ Reginæ tam beneuolus aduentus non potest non esse liberalissimus. Duo sibi parauit mirè chara pœnitentis vitam inchoaturus Ignatius, gestauítque sub sacco pectori appressa: alterum fuit Christi de cruce pendentis, sesquipalmaris effigies, quam vel pio sublatam furto, vel benemerenti donatam Pasqualio pro thesauro domi religiosè semper asseruauit, ille quem toties memini Ioannes. Alterum imago Deiparæ penicillo expressa, quam post fundatam quoque Societatem retinebat; sed ea tandem carere sustinuit vt P. Araosium affinem ab se ægerrimè discedentem vtcumque solaretur; nam vt erat eius eximia comitas, abeuntis mœrorem non ferens, protractam de sinu imaginem perinde illi dedit, vt si cordis dimidium donaret, vetuítque vlli omninò eam dare, addens ex quo vestem mutasset, secum ab se perpetuò circumlatam, & sexcentis animi, & corporis casibus cultus eius mercedem cumulatissimam, multiplici auxilio expertum. Nec alio egebat stimulo Araosij pietas, sed ei tam grato munere diu potiri non licuit, illo enim in Hispaniam reditu, dum negotij causa, Loiola transit, Maria sancti viri ex fratre filia illam sibi, mutuò saltem expetiit regredienti post illac Araosio redditura; sed neque is vnquam postea rediit, nec illa se teneri promisso credidit. Verùm annos iam agens octoginta, cauénsque ne pretiosum pignus, post se forte aliquibus cederet, à quibus minus honorificè haberetur, Syracusano Societatis Collegio illud dedit. Spectatur in pictura illa, Virgo dolore, pectus & ense confixa, augent pretium colores vetustate, & gestatione, tamdiu benefica pallentes atque euanidi. Verùm potissimam Deiparæ opem in Societate fundanda sensit Ignatius. Duos enim eius, veluti cardines, Constitutiones, & Exercitia spiritus, illi magna ex parte dictata scimus instinctu Virginis, spectandam se illi sæpius dum ea scriberet exhibentis; vt esset alterum Societati radix cui insisteret; alterum succus quo aleretur, & fructum ederet. Quare Paulus III. Sapientissimus Pontifex Instituti nostri recognoscens formam iure addere potuit illam esse Deiparæ manum, vt dixit verè & grauiter *Digitus Dei hic est.* Nec abs re videtur aduertere qui nascentem excepit Societatem locus, Romæ scilicet ædes ab Iesu dicta, fuisse hanc antea S. Mariæ de Via dicatam, vt vtrobique Societas in domo Virginis, & conciperetur Parisiis, & Romæ nasceretur. Præter quam quod nullo potuit loco Iesu Societas conuenientius, quàm domo Mariæ excipi. Ipsius verò felices progressus in diuersi orbis, abiunctissimas plagas Franciscus Xauerius Mariæ bonitati acceptos refert, quam suorum ducem in Iaponiæ regna itinerum legerat. Hanc verò tutelam Apostolicæ huic expeditioni ab ea præstitam, per infestissima tempestatibus maria, vel ex eo constet, quod ipso illo eius ad superos Assumptæ die, quo suis pedibus aduolutam ante quindecim annos Virgo Societatem exceperat, eodem Xauerium Iaponiæ intulit, vnaque in illam fidei, Societati, Martyriis aditum patefecit, quibus etiamnum quotidie decoratur. Nec fuit auxilij parcior erga Gonsaluum Syueiram ad portandum in Africam Christi nomen, & Societatem, subiugandúmque

dúmque cruci Monomotapæ Regem, & matrem ipsius Reginam, quam in rem animos, ac vires per sacram Deiparæ tabulam ingentes accepit. Multos præterea vel specie præsens, vel iussu propitio, vel inusitatis beneficiis Societati dedit quibus eam & numero, & sanctimonia augeret. Duos illi Beatos debemus Stanislaum Kostkam,& Aloisium Gonzagam. Ad hæc Venerabilem Patrem Bernardinum Realinum, & Iosephum Anchietam;alterum thaumaturgum, & (quem primum è nostris Æthiopiæ Patriarcham summus Pontifex esse iussit)Ioannem Nunnium Barrottum;Thomam etiam Sanchez quo ægrè solidius de rebus conscientiæ quisquam scripsit; Sebastianum item Barradium scriptis quoque voluminibus illustrem, Iacobum Ledesmam, & similes,de quibus fusiùs cum hanc historiam ad eorum ætatem perduxero. Tot argumenta beneficæ in suam, & filij sui Societatem Deiparæ, Generalibus eius Præpositis indidere hanc mentem, vt quæcumque in nos aduersa insurgerent, ad pedes Virginis velut arcam salutis confugerent, quam eorum confidentiam, nunquam bono exitu destitutam, quotidianæ aliquot confirmant preculæ, quas tributi loco tunc quidem supplicis, nunc grati animi confidentísque, illi exsoluimus. Vnde suis eorum nonnulli ardentibus literis ad Societatem vniuersam, vehementer hortantur, hanc superum Reginam veneremur vt dominam, vt parentem amemus, tueamúrque illam nostri quam gerit exploratissimam tutelam, quam Patri quondam Gutthiero indicauit, cum Societatis, illi vniuersæ sub stolæ suæ regio syrmate,collectæ speciem ostendit.Sed nunc in viam redeamus.

XXII. *Gesta Ignatij Parisiis, profectio in suã, & sociorum patriam.*

Ignatij socios, si minus vna iam, at simili vita voti religio ligabat, parque omnes agebat literarum, & virtutis ardor suo ipse feruori plura quam quæ præscripserat sociis imponens, seipsum sibi, & proximis liberaliùs commodabat. Distant Parisiis sesquimilliari ad Montem Martyrum fodinæ gipsi quibus passim apertus collis totus, multo hiatu patet. Illic sibi penetralem specum Ignatius legerat, vbi velut semota in heremo, ab vrbe & strepitu procul, diem in corpore diuexando, noctes precando exigebat, idem factitare solitus in æde S. Mariæ de Campis paucis frequenti,& pietati mouendæ valdè idonea in S. Germani Suburbio sita. Fuitque hic illi solennis in solitaria secessus, vt se identidem contemplationi, & voluntariis pœnis totum reddens, horas literis impensas pietati reponeret, & quasi repetita fornace animum inflammaret. Saluti verò alienæ haudquaquam propterea deesse, multos ab hæresi reuocatos, ad sacrum Quæsitorem, reconciliandos Ecclesiæ perducere; multis auctor esse religiosæ vitæ quam in variis ordinibus disciplinæ tenacem amplexi sunt.Quemdam etiam peste ictum omni opera iuuare nec à medicandis quidem eius anthracibus absterreri, ex quo sæuis repentè doloribus, contagij indicibus correptus, aliquot dies extra Collegium, & socios egit, sed mira Dei bonitate restincta morbi vis, liberum iis illum restituit. Demum Parisiis ità vixit, eaque præbuit absolutæ virtutis documenta, vt eius olim, & familiaris,

fiatis, & discipulis, sed notæ scientiæ Doctor affirmaret quæ illic in Ignatio viderat, & notarat plus satis videri ad sanctorum honores illi decernendos. His acquiescentem, & inhabitãtem piis laboribus stomachi dolores acerrimi inuadunt, eóque in dies increscunt, vt planè viribus exhaustus vnî iam tolerantiæ par esset. Cúmq; remediis omnibus consumptis, residuam Medici eius curandi spem in natali cœlo reponerent, pia sociorum importunitate adactus est ad suscipiendum illud iter, quanquam haud adeo valetudinis causa illum à sociis quàm eorum securitas tantisper abiunxit quæ turbari vtcumque potuisset (fas sit de hominibus tam exactæ virtutis ita loqui) nisi eorum vice Hispaniam repetiisset Ignatius: nam & Xauerium, Lainium, Salmeronem, nuncupati ius voti vrgebat vt suis se bonis abdicarent, & præterquam quod erat magno futurum incommodo, si eorum tam multi, distraherentur in varia; non ignorabat Ignatius quam pellaci visco paternæ domus, blanditiæ, & incantamenta cognatorum, facile animos implicarent. Quare profectionem illam persuaderi sibi passus, magis illam sociis quàm sibi obiuit. In procinctu ad iter iam erat, cum ecce tibi profecturo mora iniicitur; indignans simul, & inuidens, furénsque cacodæmon quod Societatem illam magnis suis in posterum damnis ab Ignatio colligatam, non potuisset dissoluere, vidénsque illum quendam de se triumphum ducere, extremam in illum experiri rabiem statuit. Suspicionem ergo quibusdam mouit, ne ex arcto illo paucorum assensu, & moribus à communi vsu alienis, sectæ aliquid hæreticæ pullularet. Nec fuit pluribus vrgenda suspicio, defertur illicò ad sacrum tribunal Ignatius sodalitatis eius auctor, saltem examini subdendus; haud enim alio crimine oneratur, nisi quod res eius, ob oculos positæ, nouitatem doctrinæ sapiebant, probæ, an secus; id quidem nesciri; sed nimio latendi studio, suspectam fieri prauitatis; posse tamen certis vestigis detegi, si retractaretur acuta disquisitione libellus quidam, Ignatij opus, ex quo illam cum omnem commutandorum in alios hominum, & ad se trahendorum ducere ferebatur. Hæc summa totius accusationis, quam fortè excusset mens deferentium non mala; sed illius auctor si dæmon attenditur, exagitauit illum haud dubio iactura, quam ab Ignatij sociis, & sibi tantopere inuiso Exercitiorum libello iam tum metuebat. At enim & huius malignitas, & suspicio illorum grauioribus Dei consiliis ignara seruiebat; fera siquidem Romæ post annos aliquot erat incubitura Ignatio procella, ex eo maximè collecta effronti mendacio, quo dicebantur aufugisse Parisiis; flammis damnandi nisi euasissent; in eorum effigies id factum, quòd in corpora non liceret. Sic ergo rem totam prouida bonitas digessit vt nunc iuridicè de hac causa ille ipse cognosceret plenius, qui post esset Romæ innocentiæ illorum testimonium illustre, ac legitimum dicturus; quod alioqui ægrè aliundè haberi potuisset. Erat Parisiis de rebus fidei Quæsitor Matthæus Orius, cuius & aliàs memini. Sic lego vocatum in veteribus nostris monumentis, tametsi autographum de Ignatij fide ac moribus testimonium habeo, Valentini

Licuinũ

Lieuini Dominicani nomine consignatum; eius scilicet qui successerat Orio. Amabat Ignatium Orius ob egregiam virtutem, & fidem præcipue ardentem, cuius studio multos ad illum hæreticos, restituendos Ecclesiæ duxerat. Ne tamen officio, & accusatorum suspicionibus deesset, secreto examine, clam de moribus, doctrina, & quibusuis aliis ad Ignatium eiusque socios vtcumque spectantibus cognouit, conceptáque ex iis, vt expectauerat, admirationis materia, vnde alij errorem timuerant; quasi foret abundè suspicionibus, & causæ satisfactum; hæsit videlicet, nec pergendum vlteriùs censuit. At contra Ignatius instare, nec dubitare profectionem illam sibi à Medicis imperatam, in suspicionem præiudicati erroris, fugæque vertendam. Vltro igitur Inquisitori se sistere; de se ac suis ecquid præterea, vel quærendum, vel agendum restaret, in promptu offerre. Sed enim viro sapientia præstanti, vna resederat curiositas pia legendi libelli, quo tantos ad Deum motus animorum, tam potenter Ignatius ederet, easque tam fortiter illi deuinciret. Libellum itaque non examinandi, sed piè legendi gratia ex Ignatio rogatum, & acceptum, auidè perlegit; atque vt erat non modo speculandi, sed & sancte agendi scientissimus, facilè aduertit, diuini vim spiritus, qui paucis paginis clausisset quæcumque animum poterant ab caducis purgatum, & illuminatum, perfectè Deo adstringere. Quare reuertenti ad recipiendum illum Ignatio quanti faceret indicat; petit sibi exscribendum concedi, & aliis; quorum bono, si nosset, eo vti sperabat & quidem facilè paruit vir sanctus. Verumenimverò apud se reputans, nequaquam deinceps iam solum, vti Barcinone; sed neque cum nouis, sui adhuc iuris, atque arbitrij sociis agere, vt Compluti olim, & Salmanticæ egerat; sed factum se nouæ patrem familiæ, tunc quidem exiguæ, at eo ingenti numero grauidæ quem mente præuiderat; ad hæc probè gnarus, bonum nomen, quanti momenti sit alienæ saluti operam daturis; nec abstiturum dæmonem quocumque pergeret, ab aliqua semper insectatione; fidei Quæsitorem interpellauit sæpius, cognitione legitima causam absolueret, & supremum de illa pronuntiaret; ab se enim quamprimum in Hispaniam redituro, & ab sociis Lutetia paulò post abituris, nullam velle relinqui vmbram, vitæ ac fidei parum sanæ; quod foret alias procliue, si suspicionibus, delatione, & examinibus passim notis, de illorum exitu, non constaret. Verùm Quæsitori obiectæ accusationis tam clarè patuerat vanitas, tam erat perspicuum ex eorum orta ignoratione quæ Dei virtus solet efficere, instrumentum nacta Ignatio simile, vt induci non posset, vel breue id temporis quod exposcebatur, causæ plus nimio perspectæ insumere: Ignatio verò satisfaciebat, aiens, illi potius emendas quàm timendas accusationes, cum in eius laudem omnes desinerent; at his Ignatius minimè acquiescens die quodam, cum scriba publico, & præcipuè aliquot auctoritatis doctoribus, quæsitorem adit, petitque ex eo vehementer, vt quando censeret delationes sui, ac sociorum, indignas esse de quibus iusta quæstio haberetur ad ferendum de innocentia iudicium huius saltem

saltem sui iudicij fidem ne grauaretur publicam facere, & legitimis tabulis munire id sibi pro innocentiæ absolutæ sententia futurum. Annuit petenti Quæsitor sacer, adeò prolixè, & ea Ignatij prædicatione, vt plus indè pudoris, quàm satisfactionis retulerit.

XXIII. *Excepius Aspeitiæ pro sancto Ignatius, trimestre illic sanctissimè transigit*

Ab hac itaque postrema solutus remora, commendatis Fabro reliquis sociis in quibus velut maximus natu erat, & solus Sacerdos; condictóque Venetias die Ianuarij quinto, & vigesimo anni 1537. post mutuos, & teneros complexus profectus est, quæ si exeunte 1535. profectio contigit, vt ex Polanci manuscripto, edidere Maffeus, & Orlandinus, liquet Venetias non potuisse attingere, ante finem anni proximè sequentis; nec enim breuiùs, affecto vir corpore, vulgarique instructu potuit de media hieme, milliaria septingenta confecisse, quantum Parisiis Aspeitia dissidet, nec totum trimestre egisse Aspeitiæ: nec inde in variis vrbibus sociorum negotia expedisse; ex Hispania demum in Italiam redisse. Profectum quidem Parisiis certum est, primis anni eiusdem mensibus, vndè necesse sit Polanci stylum animo præuertisse, claréque ex eo conficitur, quod intericcto inter Pentecosten, & Ascensionem, dierum denario, anno 1535. agebat in patria vir sanctus, quibus rectè consentit testimonium iuratum Chartusianorum Vallis Christi, de officioso illuc Ignatij, eo anno aduentu, sociorum iam rebus compositis, ad inuisendum eius Cœnobij Monachum. Patet ergo sub finem eius anni non potuisse Parisiis abire; cuius mense Maio iam in patria versabatur, anno nondum ad medium prouecto. Venetias autem præcipitante 1535. peruenisse, ex eius literis, suo loco manifestum reddam. Etsi verò ab suis tam sanctis, carisque sociis, abiungebatur Ignatius, sed ibat alacer, virtutis illorum minimè dubius, securúsque illorum se absente, neminem retro abiturum. Nec sua illum fallebat opinio, eo enim virtutis, & constantis proposito robore valebant, vt si morte Ignatij parentis, vel alio casu solui contingeret, quo nectebantur nodo, fixa tamen cuique permaneret in Palæstinam peregrinatio, & deliberatus ardor, vitæ omnis iuuandis infidelibus absumendæ. Erat Parisiis in Cantabriam iter haud paulò iniquius quàm posset ab homine valetudinis fractæ pedibus confici; vili ergo iumento leuandum socij iudicarunt, quod Aspeitiæ postea nosocomio datũ, ligna pauperibus comportauit. Hoc ille in patriam commeatu, denique peruenit, auebátque clam in vrbem subire, vt suorum partim vitaret occursus; partim obstituros ne in pauperum domo sibi hospitium legeret, sed frustra: duabus enim ab Aspeitia leucis, in eam domum in quam diuerterat superuenit quidam Ioannes de Equibar Loiolæ perfamiliaris, percunctatúsque, vt fit ecquis intus externus? accepit de paupere sat malè ab omnibus instructo, nisi quod ore aliquid præferret, lingua verò accentum illius regionis; non posse tamen probè in memoriam reduci quis esset. Hîc rimis cubiculi in quod secesserat, Ioannes oculum admouet, tentaturus an posset dignoscere, & videt hominem de genibus precantem, sibíque ac Deo immersum penitus; redeuntéque mox, curiosius inuenti, antiqui vultûs

veteri specie, ambigere desiit quis esset, missa igitur omni salutatione, effuso equo lætissimus, Aspeitiam aduolat, & Loiolæ toparchas, eo nuncio beat. Vix enim credibile dictu est quanta non modo gratulatione, verum etiam sensu quam pio acceptus nuncius. Paratur illicò venturo ingressus, supplicantium pompam clerici instruunt, germani, & affines equestrem, veriti attamen, quod erat nimis pronum ne illo absterritum honore, fugarent prius à patria, quàm eam attingeret, consulto metu substitere, destinato interea sacerdote viro graui qui salutandi officio fungeretur, & ediceret, Loiolæ, vt semper, ita & nunc suæ, impatienter expectari. Quod autem prudenter aduerterent illum aliquo metu honorifici occursus, flexurum è Regia in desertam viam per montes, ruinis, & latrociniis infestos; illac item armatos submittunt famulos, qui simulato itinere comitarentur venientem, & acutè futuro cauerant; fratrum obsequiis apud Sacerdotem Ignatius modestè declinatis, eodémque ad illos ne sibi comior obstaret, confestim remisso, per montosa solus, non Loiolam sed Aspeitiam contendit, vt illic sibi optatum hospitium in domo pauperum metaretur. At enim honores quos tantum vitauerat incurrit, nam oppido propior videt obuiam sibi procedere supplicantium ordinem clericorum; & ingenti numero agnatos: illos quidem vt sancto, humili reuerentia sibi gratulari; hos tanquam consanguineo, miris modis Loiolam diuerteret instare. Sed qui non fugerat, quod non potuerat futurum diuinare; nullis certè quamlibet importunis adduci precibus valuit, vt quod sui arbitrij fuit, admitteret; excusans se nusquam domum propriam habuisse, ex quo paterna excesserat; nihil pridem apud se hunc titulum posse: ex quo esset Christi paupertatem professus, exinde tot sibi ab eo domos apertas putasse, quot hospitia pauperum paterent; denique parum sollicitus hunc sui receptum velut indecorem, ferri ab germanis iniquius, in nosocomium S. Magdalenæ recepit sese. Quod ergo iis restabat vnum, elegantem lectum, parémque lecto mensæ commeatum eò mittunt. Sed nec eo lecto vnquam decubuit, quanquam summo mane, ad hoc illum quotidie frangeret, vt eo vsus videretur, cum nisi humi somnum non caperet; quo tandem ministri deprehenso serici loco ex stratis ægrotorum vulgare subiiciunt quod ipse deinceps adhibuit. De lauta verò quæ mittebatur quotidie sportula, nihil vnquam attigit, quin & sui postridie aduentus, qui sabbathi fuit, panem ostiatim cum palam mendicasset, eum morem trimestri quo egit Aspeitiæ perpetuum tenuit; si quid paulò commodius accepisset, pauperibus tribuens quibuscum eadem vtebatur mensa; sibi quod erat vilissimum seponens. Domum semel omnino coactus subiit, post consumptas enim in cassum preces, prouoluta ipsius pedibus cognata, cum obtestaretur per quicquid Christo debebat patienti, ne id sibi negaret; demum cessit roganti, magis vt facto doceretur quanti eum facere oporteret per quem obsecrarat, quàm vt eius consolationi, vel paterna ex domo commoditati propriæ aliquid indulgeret. Quare illuc sub vesperum ingressus, postero die, conscio nemine nosocomium repetiit.

Cæterum

XXIV. *Charitatis, & operæ fructus Aspeitæ ab S. Ignatio collecti.*

Cæterum stomacho prius iam cœpto restitui quàm cœlum natale hausisset, rediit vnà prior asperitas, præcincta nudis carnibus catena, cilicium, flagella, ieiunia, & chameunia valde frequens. Ad iuuandas autem aliorum mentes, multo plus etiam roboris accessit, confestim itaque prodire, ad tradenda Christianæ doctrinæ pueris capita: nec vlla Garziæ, fratrum maximi dehortatione, ab eo munere auerti; sed diuina luscioſius tuenti obiectantique neminem adfuturum; respondere, se vel vno fore auditore puero contentum, & in eo docendo, bene operam omnem, se collocaturum. Verùm ad vnum, vel ad paucos laborem ab eo contrahi nequaquam oportuit; frequenti corona circumdatus, hominum quoque illustrium, sua cuique credendi, ac viuendi opportuna tradebat documenta: inter quæ factum vt quæ essent pueris duobus euentura mente præciperet, verbisque indicaret; horum alter Martinus Halartius, hic vultu deformi, & lingua balbus de Cathechismo dum respondet, risum nobilibus feminis aliquando mouit; ad quas Ignatius, ridetis, inquit, simplicem puerum, nempe id solum quod oculi nuntiant de illo nostis. Sed hoc habetote, longe hunc animo formosiorem esse, quàm ore deformem, & hanc eius animi speciem noua semper pulchritudine decorandam: euasurum insignem Dei seruum, bonóque ingenti animarum illustraturum præclaris laboribus patriam. Cui vaticinio egregiè res ipsa successit vitam egit in clero sanctam, & in studiosè promouenda suorum ciuium salute quamdiu vixit strenue actuosam. Alterum octennem Franciscum Almarium mater Ignatio sistebat postulans enixe vt benè illi precaretur, poscerétque à Deo ad Matris solatium, & leuamen seruari eum incolumem; defixis in illum Ignatius, tantisper oculis, tum ad matrem conuersus. Bono animo sis, nam hic, inquit, puer, & futurus est æui longioris, & multorum pater liberorum. Quod sic ad amussim vtrumque exactum est vt quindecim parens filiorum, octogesimum ætatis attigerit. Ter quothebdomadis præter dies Festos, de meridie dicebat ad populum, etsi lenta semper exhaustus febricula, producebátque concionem in duas, nonnunquam & tres horas, labore validioribus etiam vix toterabili; nempe animi ardor, Deique auxilium prorsus singulare infirmitatem virium incitabat. Is erat populi vndique concursus vt capi nullo templo posset, dicendúmque erat sub aperto cœlo, sed vocem & latera supplebat euidenti, miraculo Deus; trecentis enim passibus semoti æquè vt proximi distinctè audiebant, tametsi languidè, & ægro anhelitu diceret. Verùm apud me haud paulò magnificentius miraculum id fuit quod prima sua patrauit concione, qua magno doloris, & pudoris sensu causam exposuit sui in patriam regressus, qua se tam pridem in perpetuum abdicarat, acrem videlicet, eumque continuum conscientiæ morsum surdo verbere exprobrantis, quæ olim iuuenis, & vita solutior peccandi exempla de se illic dedisset, delenda sibi esse melioribus exemplis: ex quo illinc abisset, illorum à Deo venia, lacrymis, & sanguine, poscenda nunquam abstitisse; darent ipsi quoque petenti veniam, & per eam quæ solet,

reos infelices, suique similes prosequi pietatem, suas secum iungerent apud Deum preces, ad eluenda ex parte nomina quibus illi plurimis teneretur: si qui verò adessent quibus offensioni quondam fuisset peccans, saniore consilio tunc imitarentur pœnitentem. Subiecit deinde, iure alio strictiori reuocatum, ad restituendam homini cum pecunia famam, quorum ipsi damnum creauerat; & nominabat hominē designabátque cōcioni tunc temporis præsentem, hic enim aiebat, planè insons, coniectus in carcerem pecuniæ est damnatus, ad sarcienda horti damna, clam à me, ac mei similibus stultis iuuenibus derepti quorū ipse falsò insimulabatur. Nunc illius vt innocentiam, sic meum id crimen volo esse omnibus testata, & pensando quod indè passus est detrimento, quæ mihi supererant possessiones duas vobis quicumque hîc adestis publicis testibus mancipo, & qua iusti debiti, qua si debitum excedunt gratuiti nomine consigno. Iam verò quod tulit ex animorum cultura pretium, ardenti operæ eximiè respondit. Primum Cleri mores restituit miserabilem in modum dissolutos, nam multi etiam Sacerdotes, suas domi alebant concubinas, & quidem sacrilegio tam effronti vt vxorum ornatu locorum illorum proprio eas induerent; hos ergo sibi, & castimoniæ reddidit, tanto ministerio exhibendæ. Ludendi libidinem, iactura temporis, salutis, & familiarum infamem, cum exagitasset; toto inde sequenti triennio, nec tesseræ, nec lusoria folia Aspeitiæ visa sunt, antea etiam vbi contra illa dixisset, in vicinum fluuium vt author fuerat, proiecta. In cultum vestium inanem, & periculosum feminarum ornatum cum inueheretur, exortus est ingens earum fletus quæ malè conscīæ cædenda facie, dissipandóque capillitio, & abiiciendo inani mundo, pœnitudinem animi peracerbam prodebant. Decem illos dies qui à Pentecoste, Ascensionem diuidunt, explicandis Decalogi præceptis singulos dicauit, eo quidem successu, quo prius in eos qui aderant Spiritum sanctum accersiret quàm solenne is eius ad quem illos parabat, dies appeteret: altero enim illorum dierum falso, vapéque iurandi consuetudinem aboleuit, quæ longo abusu familiaris iam inoleuerat. Sexto verò die aliquot meretrices ad pudorem reduxit, sed eo profligatæ vitæ horrore confixas, vt sibi non satisfacerent, nisi eiusdem dedecoris socias in viam retraherent. Ex iis tres relabendi metu, & desiderio luendarum vtcumque ex parte aliqua pœnarum quas erant commeritæ pedites in longinqua peregrinatæ sunt; alia cum vires ad idem deerant, in nosocomio, ægrotarum ministerio vitam omnem dicauit: Opus quoque fuere Ignatij, sodales augustissimi Sacramenti, nam illos instituit, & curæ pauperum præfecit quos à victu quærendo pudor ingenuus absterreret; quam in rem de suo summam attribuit bene grandem cuius censum rectores illius oppidi ministrant: ex quo illius dispensator quibúsque Dominicis, stipem pauperibus diuidit. Vsum præterea induxit, meridianæ precis, pro iis quos culpa lethalis obstringeret, quòd ne sensim in neglectum abiret, mercedem ei constituit, qui æris publici statō pulsu orandi populo signum daret. Precationem serotinam pro defunctis dilapsam reuocauit. Fratris domui pium

hoc-

hoc onus imposuit, vt Dominicis diebus panes duodecim, pauperibus totidem distribuerentur ad recolendam Apostolorum memoriam. Demum Aspeitiæ quæcumque optauit in Dei obsequium fieri, perfecit, hac enim clausula totum sui examen eius oppidi testes collegere, ad hæc verò, præter charitatem agendo strenuam, plurimum contulit, existimatio quam de illius sanctitate Deus exciuerat, editis illius operâ multis clarísque prodigiis. Pertracta est ad illum procul, à quadriennio iam arreptitia, cui adhibitæ solenni ritu exsecrationes id solum egerant vt agnoscerentur verè à Dæmone occupari, eius nempe liberationem Deus Ignatio seruabat, qui manu capiti eius imposita cruce tantum signatam, à maligno Spiritu integrè absoluit: tam prompto permoti miraculo nonnulli, aliam obtulerunt magnis tumultibus validè furentem, & eam ob causam pro energumena creditam; hanc vt vidit vir sanctus, diuino instinctu certò asseruit haudquaquam à Dæmone possideri, sed exterreri ab eo imaginibus horrendis, quibus in eam insaniam ageretur, & hanc parirer crucis signo ab ea vexatione liberauit. Plus habet admirationis mulieris sanitas eo vsque iam tabe consumptæ vt ægrè se trahens, in horas animam actura videretur. Precanti vt sibi benè precari dignaretur, negauit Ignatius facturum quòd Sacerdos non esset, & eius adprecationis officium ad Sacerdotes pertineret; Cessit tandem modestiæ charitas miserabilis feminæ, & adstantium precibus coacta. Sua ergo illa benedictione, tantum ipsi vigoris, ac virium infudit, vt Gamaram patriam ex quo illuc pago delata fuerat, per se repeteret, nec ita multo post huic suo se sancto medico bellè valens denuo sisteret, cum grati animi teste munusculo, fructibus aliquot, quos ne tristem ab se dimitteret, admisit Ignatius, & in nosocomij pauperes tribuit. Illud fortè mirabilius ab eo præstitum comitiali morbo laboranti; degebat eodem in quo Ignatius S. Magdalenæ in nosocomio, eius nomen Bastidæ, frequentes mali impetu allidente lapsus, quibus aliquando cum præsens adesset vir sanctus, misertus hominis, in cœlum suspexit, missaque illuc pro eo precatiuncula, iacentis frontem manu pressit. Hic verò tactu benefico excitatus ad se redit, surgit, nec vnquam postea dum vixit, eius morbi accessu tentatus est. Neque vni tantum ipsius tactui vis salutifera inerat, sed rebus etiam quæ essent in familiari eius vsu: id in muliere, emortuo brachio planè capta luculentum fuit; Abluendos enim eius pannos cum partim studio pietatis, partim valetudinis reparandæ fiducia poposcisset, eorum contactu momento conualuit. Verùm interea dum in aliorum salute reparanda, miracula edit Ignatius, placuit Deo ad eius cumulum meritorum, patientiæ exempla in eo edere, eumque lecto affigere, vt nosocomio adsui etiam curationem vteretur, cuius tantam gerebat pro aliis curam. Nam preces Garziæ ipsius germani, & obtestantium agnatorum suasiones permoleſtæ, nihilo plus ponderis habuere, ad eum Loiolam hac occasione ex nosocomio auellendum, quàm cum venit Aspeitiam habuissent. Quare pietatis & amoris officio vt satisfacerent, illuc eum adibant, vt iacenti

adessent, in iis Maria de Oriola, & Simona de Alzaga ipsius sobrinæ dum noctes aliquot excubant spectatrices fuere rei admirandæ, nam cum aliquando ad quietem aliquam recessuræ, accensam in omnem euentum candelam relinquerent, extingui iussit, monens, importunius obstantes, si quid contigeret, lumen sibi à Deo minimè defuturum. Extincta igitur candela abeunt, ipse cuius ad agendum cum Deo animus ex benè an seeus habito corpore minimum pendebat, mentem applicat ad orandum in quo dum horas aliquot traducit igne illo beato diuini amoris cœpit vehementius ardere, quem olim expertus fuerat, vtque alias, non satis eius flammæ compos, laxare pectus longis suspiriis, magnisque vocibus cogebatur, in eiusmodi aliquos tunc etiam clamores erupit: ad eos extemplo cognatæ accurrere, cubiculum pandere, & cælesti quo totum lucebat splendore attonitæ stupere; nec minor Ignatij cum pudore stupor, dum se ea in luce videt inopinato deprehensum. Quare illas infimis precibus æterno de hac re silentio obstrinxit.

XXV. *Ignatij cum Chartusiano, suo quondam magistro de Societate fundanda colloquium.*

Recreatus ex morbo, iter ad discessum comparabat, quod vbi percrebuit, vterque mox ordo, & clericorum, & populi eum obsidere, verbis, lacrymis obsecrando, suadendo, ne se desereret, flagitare, neve ciues suos externis post haberet; cum suos præsertim labores cerneret, nec male positos, nec eorum messem ipsius arbitrio maligne respondisse, teneri tamen his minimè valuit, quòd diceret, (& ita res erat) aliò se à Deo vocari. Obiiciebat præterea parum sibi Aspeitiam conferre, quod perinde illic in suorum complexu velut in sæculo ageret: fuit ipsi quoque non parua lis cum Garzia fratre, hic enim illius humilitati sanctæ obsecutus, licet ægrè id ab se impetraret, vt eum sineret mendicatò, & in pauperum domo victitare, sperabat profecturo saltem, equum, & famulos se daturum, à quibus si minus vlterius, deduceretur vel ad portum vbi esset in Italiam conscensurus. Id enim ab se præter fraternum animum, decori etiam titulo exigi, & vrbanitatis apud homines confirmatæ, interpretaturos alioqui haud dubiè, illam Ignatij immoderatam modestiam, duritiem Garziæ inurbanam, eóque pronius quod annus in hiemem vergens, & corpus à morbo debile, recidiuam ex longo itinere valetudinem minabantur. His tamen vinci, nec Ignatius potuit, nec vicit. Admisit fratris, cognatorúmque comitatum, sed non vltra fines Cantabriæ hoc est tractu milliarium paucorum; inde illis supremum salutatis Xauerium versus, Almazanum, Toletum, pedes viam iniuit, explicaturus Xauerij, Lainij & Salmeronis negotia. Deinceps Valentia Segorbem profectus suum olim Parisiis magistrum, & amicissimum; illic verò tunc in Carthusia Vallis Christi professum M. Ioannem de Castro inuisit, & pro veteri necessitudine sua cum eo consilia de petenda Italia, inde Palestina contulit, deque aut illic aut vbiuis monstrare dignaretur Deus, stabiliendo Ordine, qui ex instituto salutem haud minus alienam, quàm propriam virtutémque curaret. Eius illi proposuit ideam, descriptis præcipuis ex illo partibus quod eatenus rude, impressum animo

cœlitus

cœlitus gerebat exemplari : illos præterea quos operis socios legerat nominauit, Xauerium Fabrum, Lainium, cæteros, probè illi, ac pridem notos. Postremo de hac re quid ipse sentiret confidenter quæsiuit, eiusque precibus eam commendauit, responsum distulit Ioannes in diem posterum, noctémque cum Deo solidam super eo transegit. Postridiè mane totus lætitia gestiens, vt qui hoc esse Dei opus, Deo monstrante præcepisset, ad vrgendum quod cœperat, vehementer Ignatium animauit. Addiditque de prosperis in Dei gloriam illius successibus, ita sibi constare, vt non dubitaret, omissa Chartusia, vbi tyro iam erat aliquot mensium, se illi socium adiungere. Sed absit, inquit Ignatius, & illum è contrario, solitudinis sanctæ, ad quam vocatus fuerat amore acrius incensum, post pactam inuicem mutuarum precum communionem perpetuam reliquit ; huius porrò certam, colloquij fidem, eius Chartusiæ tum veteres tabulæ ; tum eius monachi virtute insignes, fecerunt qui de Castrij ore ista exceperant, ac trium denique ex iis Patrum testificatio auctoritate publica, iuridico firmata, ex cuius autographo Ianu. 8. anni 1641. subnotato, placet hîc aliqua ponere, quæ rei modum pressius indicant : *Sanctum Ignatium*, inquit P. D. Antonius Martinus de Altarriba, *anno milleſimo quingenteſimo trigeſimo quinto, è Ciuitate Valentiæ in Regium Vallis Christi Chartuſianorum conuentum acceſſiſſe, vt ſuum videret dilectiſſimum præceptorem P. D. Ioannem de Caſtro, & ſuum inſuper aperiret animum, de fundanda Societate Ieſu, antea conceptum : in eius ad Deum precibus felicem tantæ rei exitum collocabat. annuit D. Ioannes de Caſtro votis Ignatij, & illo veſpere, noctéque proxima, Deum ardentiſſimè, ſuper hac vna res precatus eſt ; ſequenti die, ſic eſt Ignatium allocutus. Ita ô Ignati, tua de fundanda Societate Ieſu arrident vota, vt ſi lubet, Chartuſiam deſeram. Nouitiis ſum nondum votis adſtrictus : meam opem, operam, vires, conſilium, in te vnum transferam, dummodo tantæ molis negotium, felicem exitum conſequatur. Ad quæ Ignatius. Nequaquam Reuerende Pater : ſta in cœptis, tuis me precibus Deo commenda*, &c. ex eadem vero familia P. Andreas Solerus, suo testimonio peculiare aliquid notauit *S. Ignatium acceſſiſſe hanc Chartuſiam Vallis Chriſti, vt videret præfatum P. D. Ioannem de Caſtro anno 1535. & vt conferret cum illo conceptum de fundanda Societate Ieſu animum. Tunc S. Ignatius expectans P. D. Caſtro nouitium, veſpertinis horis adſtantem, cum reliqua religioſorum familia ſedit ad crucem cœmeterij conuentus*, &c. Ad hæc denique P.D. Nicolaus Bonetus testatur *ſe inſuper audiuiſſe à dictis Patribus S. Ignatium nunquam habuiſſe animum ingrediendi aliam religionem, nec Patrum Chartuſianorum.* Ignatium igitur Societatis fundandæ consilio in Italiam veniſſe, certo quidem ex dictis habetur, verum multo ante id illi ostensum diuinitus, vt alia taceam, duo illa probant ab eo edita de quibus libro præcedenti vaticinia. Alterum Michaëli Rodesio Barcinone, prædicens fore vt eius filius adscriberetur in Societatē quam erat ipse conscripturus Antuerpiæ Alterum Petro quadrato, fore vt Collegium Methimnæ Campi sua in patria, religioso

ordini

Ordini fundaret quem esset ipse fundaturus. Quorum vtrumque promissus exitus confirmauit.

XXVI. *Ignatij Venetias iter, & illic animarum bono ab eo gesta.*

Post hæc Valentiæ Genuam in naui oneraria cum vectoribus aliis se mari dedit: periculosa tunc nauigatio & valde anceps euaserat ob classem Turcicam Barbarossæ in naues & homines immani deprædatione toto illo tractu grassantem; cui tamen periculo haud paulò tristius, remedio fuit: atrocissima tempestas, & nauim iam iamque haustura, vt miraculo fuerit, facta mercium iactura, nudam vectore incolumi appulisse. Nam post temonem decumano fluctu diffractum & vela ruptis adminiculis iam inutilia, fuit ventorum marisque ludibrio, necessariò permittenda. Hic inter vota vocésque miserorum mortem in momenta præstolantium, nihil sibi sollicitus, nihil timens tranquillum animi, oríque serænum retinebat, vtpote assuetus haud alio loco quàm in Dei manu cogitare se ac tutari: hoc vt postea fassus est, pungebatur vno, quod tantis erga se Dei donis parum ex officio respondisset, sanctorum est scilicet hoc stimulo vri, vt qui scitè norint, magna Dei dona, magnos esse nominum titulos, quibus vt sentiunt se premi grauius, eo timidi magis, ac suspensi de expediendis rationibus laborant. Mari demum sedato, nauique vt potuit instructa Genuæ denique exscendit. Verùm aduersis ingrauescentibus, multo sæuius terra quàm mari adiit discrimen, superato Appennini iugo ex Genuensi ditione in Cisalpinam Galliam descendebat; hinc viæ errore, per saxosa fissi montis angusta se immittit, quæ visa primum in plana distendi, in præcipitium torrenti imminens desinebant. Pergebat spe falsa deceptus, & ferè continuo per saxa desultu, incautus iam induerat sese, cum præcipitio proximus, vt retro inde resiliret se vertit. Verùm vsque adeò inuio, & horribili ascensu reuocandum illi iter fuit, vt manibus pedibúsque adreptans, prehensísque saxis se attollens, quot passus promoueret, toties fallente aut vestigio aut saxo in præceps iturum se crederet. Quo vitæ discrimine, narrauit deinde sæpius, nullum vnquam se maius, & terribilius adiisse. Hiems erat imbribus supra modum infesta, viæ tota Longobardia, eluuionibus abruptæ, iter pedestre Ignatio ærumnosissimum fecerant, ex quo & Bononiæ ægrotauit. Collectas enim varij perpessionibus morbi causas, exeruit grauis corporis lapsus, cum ipso in vrbis ingressu, de ponte in fossas corruit; inde aquis vt erat & luto diffluens, ne captandi contemptus occasionem corrumperet tam bonam, vicos vrbis, quà erant maximè frequentes, lento gradu mendicans obiuit, & quam potissimum auebat stipem, reportauit omninò largiter, nempe dicteria, & sannas quibus abundè aspersus est; nam alioqui ne obolum quidem in vrbe tam nobili, & eleemosynis dedita inuenit. Exceptus tamen est Hispanorum beneficentia qui habent illic Collegium locuples, & intra hebdomadam, ex febri, & tormento stomachi curatus. Quare iter Venetias secutus, illuc anno quinto & trigesimo supra sesquimillesimum exeunte peruenit. Quod mihi liquidò ex autographa eius Epistola constitit, Februarij 12. ann. 1536. Venetiis data, qua Barcinonensem Archidiaco

chidiaconum, de suo illuc appulsu monens, sesquimensem iam, ait Venetiis ago, pergítque scribere de Theologiæ studiis quæ ibidem esset ad vsque vernum ieiunium proximi anni continuaturus; & libris sibi ad hæc vtilibus quos ad Rosellam postmodum remissurum se ait. Quod item aliis repetit literis, indidem Nouembri anno eodem datis. Hæc tamen studia, vt alibi semper, cum studio iunxit salutis alienæ, nec absque operæ pretio. Duo erant Fratres ex Nauarra orti, è Palestina tunc reduces, vnus Iacobus, Stephanus alter de Equia, ab his Ignatius fortuitò obuius, & olim Compluti bene notus, non perhumaniter solum salutatur, sed velut è cœlo ad se destinatus, ex primo aditu creditur, ad fluctuantem vtriusque animum placida pace componendum, iis enim sancta, ex qua tunc redibant peregrinatio, magnum ardorem promerita fuerat caducis abdicandi sese, Christóque propius adhærendi, sed incerti quis modus, omnium maximè ad hoc conduceret; lucem consilij, & precum subsidia ex Ignatio quærebant. Horum votis benignè annuens, exercitia illis de more tradidit, per quæ manifestò ab iis perspectum, placere Deo, vt se ad Ignatium applicarent, quod tunc quidem vtcumque ab iis iam cœptum est, post verò condita Societate, integrè confectum. Difficilior fuit Baccalaurei Hozij deliberatio. Pertinebat hic ad Hoziorum stemma, de stirpe prognatum Cordubensi in Boetica, & longo ab æuo, ob egregia merita, ditione Albaidæ à Castellæ Regibus ornatum. Is ergo & sanguine, & doctrina illustris, magnis desideriis ardebat perfectæ virtutis, & quantum ad eam valerent Exercitia Ignatij, multorum experientia obseruarat; verum hæc illi tot & calumniæ, & Quæsitorum sacrorum examina, vsque adeò suspecta fecerant, latentis, in auro veneni; vt inducere animum ad illa non posset, ne inficeretur vel inuitus. Haud tamen denique, tantum boni, tam certi, ob suspicionem mali leuissimam omittendum putauit, & anteuerti ab se antidoto posse si quid boni, fucus erroris pestiferi occultaret: fuit autem antidotum prodromum, Conciliorum; Patrum, Theologorum, multis voluminibus ingens moles qua se munierat. Verùm exacto vix triduo, primarum meditationum vbi mutari se in virum alterum persensit, & hanc mutandi vim non peregrinis, & exoticis, quas extimuerat; sed simplicibus ac nudis Euangelij documentis inesse; tunc verò suos mirari metus ridiculos, & stoliditatem suam non sine lacrymis incusare quæ se tanto tamdiu prohibuisset bono, eiusque perdendi periculo obiecisset; suas quoque illas quibus fuerat agitatus suspicionum vmbras Ignatio aperire, & defensionis appatum quo se contra illas tueri sperauerat. Petita dehinc ab eodē demissè venia exercitiis finē imposuit, quem mox secutū est fixum cum Ignatio eiusque sociis viuendi prosipotum. Quod etsi breuissimi temporis, fuit tamen valde inuidendum, cum Societatem, vix dum benè in terris conscriptam, moriens cœlo transcripserit. Præter hos iisdem meditationum nunquam iactis in cassum retibus, alios ad Deum, atque ad se pertraxit. Sed fuit eius lucrum singulare, Societatis fautor, ac parens optimus Petrus Contarenus, SS. Ioannis, & Pauli, tunc nosocomio Præses; Baffi deinde Episcopus, neque vero is solum,

sed Zacharias, Marcus, Philippus, & Illustrissima ipsorum familia vniuersa, qui ad Societatem postea fundandam, paterno nobis præsidio semper adfuerunt. Bellè res hactenus ferebantur, & mirum erat tamdiu Venetiis dæmonem cessare, alibi semper Ignatio aduersatum. Eius ergo ac sui non immemor, eò in illum detestabilius incubuit, quo falsi vix posse conuinci, sparsæ de ipso calumniæ videbantur, iactabatur enim sator hæreseon versipellis; Hispanias primum, tum Gallias iis contemerasse, in Italiam demum sese penetrare ad contaminandam illam eadem lue. Procedere illi rem ex sententia beneficio secreti, nam cum alioqui cœpisset detegi, ad primam delationis auram, quam ei familiaris afflabat dæmon, salutem fuga redemisse, delusis sacrorum Quæsitorum tribunalibus, & pœnis. Sic & Compluti, sic & Salmanticæ, sic Parisiis ab eo factum, eiusque illic effigiem, quod in eum decerni aliud non posset, ad sempiternam infamiam rogo traditam fuisse. Iam fidei aliquid, hæc licet somnia, publicè vulgata, in quorundam animis fecerant, cum admonitus Ignatius, nihil conturbatus vt qui optimè nosset, vnde quóve spectarent, placidè Hieronymum Verallium Pauli tunc tertij Venetiis Nuncium, postea Cardinalem, conuenit, rogauítque de sua vel rei, vel actoris causa plenè cognosceret, haud quidem calumniatores, sed ipsas calumnias damnaturus, & annuit postulationi æquissimæ Nuncius, eo fructu qui consueuerat ex causis similibus ad Ignatium redire, pronunciatum est iudicio publico pro illius innocentia, aduersarij; falsitatis, & calumniæ damnati.

XXVII. *Tres Ignatio socios Petrus Faber Parisiis adiungit.*

Hæc ab Ignatio dum Aspeitiæ, & Venetiis gererentur, Parisiis Faber cum sociis studiorum cursum ad metam vrgebat, ibi condictum discessui, operiens diem, moliri & ipse aliquid magistro dignum (cuius illic agebat vices) in piscatione animorum aggressus est: quantos verò ex ea quæstus retulerit, vel ex vno solum intelligatur plenius, quam si per singula eatur; vt enim rescitum de illius discessu ad conueniendum Ignatium, eius Academiæ doctor, & fama conspicuus, & eximiæ probitatis, religionem ipsi lethalis criminis iniecit, si quam illic Deo nauabat operæ in conuertendis ad illum tam multis, spes anteponeret dubias & longinquas, mira quædam cum Ignatio patrandi; quæ quantumuis magnifica, futuri specie blandirentur, nunquam tamen essent vtilitatum præsentium mensuram æquatura. Subdebátque in hac sententia si parum se crederet fide dignum, daturum se illam Theologorum Parisiensium multis chirographis munitam. Hic verò animos generosæ illius familiæ nisi & inter se, & cum Ignatio, certa persuatio colligasset, qua se per eum à Deo electos ad ingentia opera statuebant; nutasset profectò Fabri constantia, forte illo concussu ab Ignatio diuellenda, forte etiam socios diuulsura, vel aliò quopiam impulsura. Grandi enim, si minus culpa, at certe iactura, omitti Parisiis videbantur innumerabiles animæ quæ lætissimos prouentus impensæ sibi operæ reddebant, ob transmarinam expeditionem, ad profanos, barbaros, ignoti moris, & linguæ populos, nec fortassis culturam passuros, aut fructu certè non alio quàm emeriti laboris, nulla fruge conuersionis animarum. Verum enimverò Ignatij fabricam machinata fuerat Dei manus, nec aut iste, aut

quiuis

quiuis alius impulsus eam conuoluere, aut quassare ac ne imminuere quidem vel vno lapidum valuit;accessere quin etiam prioribus alij; cuius planè Fabro, incrementi merces, & gloria debetur. Nam erat hominis mira dexteritas, in colloquiis familiaribus pietatis sale condiendis; de qua cum ageret, suo quodam agebat proprio charactere, tàm simplici, atque ingenuo, vt ab exquisita illius arte, procul esse ars omnis videretur; tam valido tamen, & tam piè dissimulato pij sermonis imperio, vt subire illum in animos adstantium crederes, & eorum de quibus diceret affectus iis insculpere. Ad hoc eorum in quos incidisset colloquiis immiscere sese admodum comiter, iisdem affici, eandem animi relaxationem cum iis captare;sed temone paulatim occupato (sic aures vocauit Clemens Alexandrinus, vt quibus animi totius nauigatio regitur)prouectum sermonem, in suam sententiam flectere, quæ vnà spectabat animæ salutem,efficeréque,vt nihil minus agentes, nihil magis egisse se deprehenderent, quàm quod minus agere cogitarant, inde nemini suspectus esse, aperti martis imagine mouere neminem (qua solent ad defensionem ij quoque accingi, qui aliunde vinci optant) nullum ab sua consuetudine auertere, iucunda de cætero multúmque amabili. Per hæc æternorum lumen potens, & multiplex, pæne absque sensu insinuabat medullis audientium intimis, ex quo morum frequens admirandáque mutatio sequebatur.Præter hunc de diuinis agendi, tam omnibus gratum, industriúmque modum, Exercitia S. Ignatij tam docta, peritáque tractabat manu, vt vel ipso iudice Ignatio, parem in eo genere non haberet. His itaque artibus tum Deo plurimos, tum tres Ignatio lectissimos socios peperit, Claudium Iaium, Pascasium Brouetum, Ioannem Codurium; omnes Theologiæ magisterio ornatos, Sacerdotio etiam priores duos. Claudius raro ingenio, & candidissima indole, Anecij prope Gebennam natus. Pascasius Bertamcurtij haud procul Ambiano, Ioannes Ebreduni Delphinatus metropoli. Sic decem omninò fuere primi Societatis Patres, qui numerus multarum hæreticis fabularum argumentum fuit. Denarium apud Pythagoram ait Misenus Calui nista, fuisse cognominatum ex Atlante, quare primis illis qui ad Societatem iungendam conuenerant, non ab re contigisse vt eum efficerent numerum, Iesuitas nimirum perinde Papatum sustentare, vti *Vertice supposito sidera fulcit Atlas.* lusit prudentiùs in eum numerum scriptor eruditus,& pius Florimundus Remundus libro de ortu hæres. Deum videlicet pondere, numero, & mensura, omnia digerentem, hac etiam decade quæ Societatis fundamentum erat omen edidisse rerum ab ea gerendarum, foréque hoc decumanum mare, quod esset aliquando Lutheri piraticam depressurum. Atque hi quoque tres socij prioribus additi dum alij instaurant, sua tunc primum vota nuncuparunt, eodem Virgini Assumptæ die festo, eademque ad Montem Martyrum in æde;quam vororum instaurationem,annis duobus iterarunt 1535. & 36. quibus Parisiis sustiterunt.

Sub hæc Francisci S. soprziæ obitu, controuerti cæpit Ducatus Mediolanensis XXVIII.

Ignatij socij Parisiis Venetias petunt.

lanensis inter Carolum quintum Imperatorem, & Franciscum primum Regem Christianissimum, iamque Imperatoris exercitus, Germano, Hispano, & Italo milite confertus Salios intrarat. Quæ res Ignatij socios Ianuarij tantum vigesimo quinto ann. 1537. Venetias ex condicto ituros pepulit ad maturandum in Italiam transitum priusquam à militibus clauderetur. Quare paucis, tantisper hærentibus ad componendam communem reculam, & diuidendas pauperibus, eius reliquias, cæteri Nouemb. 5. anno 1536. proficiscuntur Melodunum milliaribus triginta Parisiis dissitum, inde cum alij aduenissent vnà Venetias iter arrepturi. Eorum aduentum dum illic cum aliis Simon Rodericius expectant, diuinæ pignus beneuolentiæ accepit, valetudine affectus graui, eademque, contra quam futurum putaretur, mirabiliter liberatus; huic improuiso humorum concursu intumuit humerus; exin valida febris, ex qua, iuncto dolore humeri abscedentis, tota nocte, iactari, humique volutari (erat hic eius, & comitum in tenui hospitio lectus) sed vrebat iacentem morbo peior, morarum necessitas, quas, dum excoquitur ad suppurandum tumor, iniicere sociis cogebatur, fortassis enim viarum commeatus intercludendos interea, vel se ab sociis & quod consequens erat, ab omni solatio deserendum. Quamuis ergo afflicto, seges patientiæ cara erat, ne tamen per illam, ingentis boni spes sibi deperiret, Deo supplex intimo, affectu flens institit vt flecti meritis sanctorum comitum dignaretur, se quidem illorum Societate, & militia indignum, in quam illos ducebat Ignatius, sed iis ad hoc suam donaret sanitatem vt se pro seruo vterentur, huic se muneri libentissimè addictum cupere. Eodem reliqui ardore à Deo flagitabant ne quem dedisset Ignatio socium, eripi sineret; neque committeret vel iter omnibus intercludi, vel relicto vno mœrentes abscedere. Non lentæ ad cælum hæ preces fuere, ratas fecit Deus adeo euidenti supra morbi naturam miraculo vt immissus ad hoc Simoni videretur, quo intelligerent peculiarem erga se Dei curam nolentis penitus vt vel vno imminuerentur, idque tam euidenti prodigio cauentis. Nocte in summis doloribus traducta, sub crepusculum diei, obrepit ægroto breuis quies, inde nec febris, nec tumor, nec vestigium tumoris; excitatus omnia comperit vanuisse, detumuisse, absterſa esse, paucis denique interiectis horis, qui Parisiis resederant socij cum venissent, læti omnes, lætum; & alacrem secum abduxerunt. Hoc Simon documento, vetus propositum sic corroborauit magistro Ignatio per aduersa quæuis constanter inhærendi, vt affixam sibi post biduum à fratre, & à ciue suo amicissimo potentem remoram veluti ludens excusserit. His vbi patuit Simonem præter quod animo finxerant, non rediturum abiisse, factumque assectatorem Ignatij, consecuti mox equis cursoriis breui assequuntur, primusque delapsus ex equo frater, in amplexum fratris cum lacrymis ruit, supplicat, obtestatur, admouétque vim, & artem omnem quam ad auertendum à suscepto fratrem naturæ impetus dictabat; alioqui futurum ab Lusitania se perpetuò exulem, ne coram cernere cogeretur intabescentem dolori, & luctui matrem; & improperantem sibi crudelem filij iacturam

iacturam, quem supremis verbis moriturus pater maternæ sollicitudini tanto amore commendasset Pietati parentum, addebat amicus æquitatis iura, nefas esse spes sumptúsque fallere quibus ab rege fuerat ad scientias prouectus, regiis certè obsequiis occupandas, non assectationi vnius homuli vndique expulsi, vndique profugi, & illum nunc etiam quò nesciret trahentis. Verùm nec germani mollita lacrymis, nec rationibus amici, vel vngue transuerso Simonis constantia de gradu cessit in quo illum Deus statuerat. Sic ergo vtrique satisfecit vt videretur propior ad eos secum abducendos, quàm ipsi ad eum secum in vrbem reducendum. Quare Parisios, vbi cum eo studiis operam dederant, re plane infecta redierunt.

XXIX. *Xauerij ardor in vexando corpore, & desperata inde valetudo miraculo restituta.*

Ne Xauerio quidem sui aliquot sinistri occursus defuerunt. Prior tam excelso animo valde impar dignitatis canonicæ Pampelonæ ineundæ diploma, abeunti Parisiis redditum. At generosa mens, & capax, mundúmque quantus est vniuersum, crucis cui se confixerat amore, fastu nobili calcatura, ne aspectu quidem id munus dignatus est, nedum illius fuco motus. Maius aliud Ignatij, & vitæ cum Ignatio, incauto feruore amittendæ, discrimen adiit. Vitæ enim decursæ vestigia sigillatim apud se relegens, rationibus cum Deo subductis, decreuit sanctorum exemplo contracta apud illum culparum nomina, pœnis voluntariis delere. Cumque is membris habilibus, & mire agili, ad saltum, cursúmque corpore se olim plusculùm gauisum meminisset, gloriatúmque præ studentibus aliis (quorum tunc erat Parisiis saltus vsitatum ingenij laxamentum) sibique inaniter placuisse; culpæ leuissimæ, pœnas ab se exegit grauissimas luculento sane indicio, grauiori culpa quam in se plecteret caruisse. Funiculos itaque multis asperos nodis ad stringenda brachia, & crura, genuum tenus adhibuit, & eo tormenti viatico, iter cum sociis in Italiam cepit, crescente ad omnem progressum cruciatu; sed natura post dies aliquot, ardorem animi deserente, humi se solutis repente viribus abiicit, negans posse vlteriùs mouere. Dolorem augebat aperiendi mali necessitas, veritus ne sancto feruori daretur, quod suis peccatis reponendum putarat. Sed fuit rogantibus sociis, & remedium iterque vrgentibus denique cedendum. Hæsit stupens, ac dolens nouitate periculi eorum charitas, dum vident circum arrosas carnes, ita funiculis increuisse, vt eos penitus mergerent, sublatum illicò deportant in vicinum pagum, chirurgum accersunt natione Gallum, qui vt sectionem necessario vsurpandam, sectionis tamen animaduertit discrimen euidens artem & animum despondit, monens ferrum haud posse carnibus, tutò neruis intactis, inseri, & saluo quod hinc sequebatur membrorum officio, eius curationem mali ad Deum spectare, cuius causa optimus iuuenis id sibi acciuisset. His vna opera, spem simul detrahi, addique sibi comites sensere; & hoc maiori Dei fiducia quo iam nihil suberat quod humanitus expectarent. Recentis ergo in Simonem gratiæ memores, confidenter Deo communibus votis, curam repræsentant consuetæ erga se ipsius bonitatis tantopere hactenus, ne quis illorum aut corpore, aut mente periret sollicitam;

eam verò idcirco tunc præcipuè ex posci propitiâ quod eum casum vno De amore Franciscus incurrisset. Non fuit longa precatione opus ad hoc impetrandum quod Deo cordi erat concedere, nec enim ferebat Apostolum Christi nomen in oras vltimas portaturum, ipso in itinerum aditu labori succumbere. Iacentem itaque nocturna quiete placidè refecit, postridie manè sic persanatum exhibuit, vt dissipatis frustatim funiculis residentéque in integrum carne, non vulnerum modo, sed nec vinculi quidem, vestigium vllum appareret. Hic tamen tam crudus Xauerij casus, Iacobum Lainium, nihilo effecit in corporis sui tractatione mitiorem: asperrimum enim cilicium quod Parisiis discedens induerat, vsque Venetias nunquam sibi vt detraheret indulsit, tametsi corporis temperatione imbecillus, ægrotanti propior quàm conualescenti, Parisiis exisset.

XXX. *Sociorum Ignatij cum hæreticis in Germania congressus, & vita in itinere ratio.*

Reliquum iter occasionibus patientiæ iucundis, congressione cum hæreticis & felicibus periculis exercitũ; huiusmodi fuit. Pedites ibant vestitu paupere, sed oblongo, qualis tunc academicorum Parisiensium, schemate peregrinantium; manu baculum, scriptorum sarcinulam humeris gestantes, cæterum tam rara collectáque modestia, vt quibuscumque occurrerent admirationem & sui quandam venerationem iniicerent. Contigit autem primo die vt in Gallorum inciderent locatas, quà transitus erat, excubias; interrogati, qui, vnde, qua patria? vnus vice omnium responderet, quod qui erant inter illos hispani, profiteri absque peticulo patriam non possent. Ad horum interim aspectum qui substiterat resticus, ad milites conuersus, sinite, inquit, abeant boni viri, ad corrigendos mores alicuius prouinciæ certo pergunt. Quod ex ore hominis simplicis temerè effusum pro dicterio quidem fuit, futurum forte in aliqua vaticinij opinione, nisi fundendos magna orbis parte eorum labores, in vnam prouinciam coartasset. Horas porrò diei sic aptè digestas obseruabant, vt darent aliquas diuinis meditandis; Psalmis aliàs aut voce aut cantu summissò recitandis; quasdam communicationi mutuæ piorum sermonum, & sensuum quos orando, meditandóque conceperant, qui tres in iis Sacerdotes erant, quotidiano sacro fungebantur; diuino epulo alij accumbebant, ita quisque sibi itineris comitem assumebat Christum cuius causa peregrinabatur. Hospitia sub noctem mox vt subierant, mane verò antequam exirent flexis vnà genibus aliquid temporis precando tribuebant, pro tutela præterita grati, supplices pro futura. Quod pietatis specimem in diuersoriis singularem mouebat admirationem sibi quidem ad victum, monetæ aliquid seruarant, sed erat is tam parcus, & sobrius, vt perpetuo esset ieiunio similis. Ad spontaneas pœnas accedebant necessariæ difficilium viarum, rigidæ hiemis, & effusissimæ per Lotharingiam quotidie pluuiæ, tantarum verò in Germania niuium, vt tridui moram interdum facere cogerentur, dum vias regias locorum periti vestigiis præuiis signassent, & esse inuiæ desiissent. Verùm quantacumque siue vltrò, seu necessariò tolerarent, incensa pietas, & caritatis alacritas iucundissimè condiebat, erat omnium ita cor vnum, & anima vna, vt quisque

que itineris comites, haberet octo amore fratres, obsequio, & subsidio famulos; adeo singulis & solliciti omnes erant, & omnium commodis posthabito proprio quisque seruiebat. Nemo inter illos auctoritate superior, quòd nullus ex iis eam admittere voluisset. Vbi consulto opus foret, suffragiis pluribus stabatur. Itinere vt dixi per Germaniam inito, ne si per Salios, incurrerent in Cæsaris militem; haud tamen Gallos vitare potuerunt, qui Belgium per Lotharingiam subibant. Latrocinia palantium militum ipsos quoque domi tenebant indigenas, & vbicumque nostri conspicerentur peregrini, velut inusitato Dei præsidio sospites, stupori erant; quæsiuitque ex iis non nemo, an aëre venissent, cum terra iter esset penitus inaccessum. Sed hoc præ cæteris insigne, Dei suos tuentis prodigium, cum in exercitus Gallici aciem inciderunt. Nam sexcentis versati modis, quinam essent? quò tenderent? cum semper idem de omnibus qui Gallicè norat, responderet; esse ex Parisiensi Academia studiosos, ad S. Nicolai pietatis causa proficisci, (& erant reipsa in Lotharingiæ finibus illac transituri) nihil vnquam præterea ex ipsis interrogatum est, ex quo possent qui erant in iis Hispani detegi, & quod certò futurum erat ab hoste detineri. Alios nacti sunt in Garmania casus, alteriusque discriminis ac benigna quidem hospitalitate non raro sunt ab catholicis accepti quos emolliebat in lacrymas, fortis & vegeta iuuenum nouem Religio, suspensa de collo Virginis corona, palam se inter hæreticos proferens; sensere tamen haud semel impiam hostium rabiem & insolentiam, non sine aperta, vitæ quoque perdendæ alea. In vrbes Luthero addictas vix pedem intulerant, & circumsistere illos statim ministellorum turba, & ad disputandum prouocare, haud quidem extricandi veri desiderio (nam Romanæ Ecclesiæ fidem veri studio reliquit nemo) sed innata hæreticis confidentia petulanti, quam incendebat, illa sui secura hospitum libertas aut proritantium ad certamen, aut non timentium, professæ fidei manifestum signum, contrariæ fidei hominibus inferre. Nec abnuere nostri cum iis congredi, spe licet nulla bonæ illorum frugis, quos ad defensionem praui iudicij, peior voluntas fulciebat; & quibus idcirco arbitraria erat credendi regula quod esset arbitraria viuendi. Sed Ro. saltem Ecclesiæ nomen, & Religionis Sacrosanctæ, disputatio sustinebat, auertebátque probra quibus insultaturi erant hospitibus, si vna illos aduersariorum ad disputandum inuitatio elingues effecisset; ac fidem præterea illorum falso damnaturi in qua propugnanda, defensores illius tacuissent. In hoc autem conflictu ingeniorum, & doctrinæ, mirum quantum Lainius emicaret, in promptu responsa, & vim arguentis acrem, & solidam ministelli ferre non poterant: & fuit qui victum se publicè fassus sit, etsi dans manus Lainio, veritati non dederit, sed vel in pristino errore defixus hæserit, vel in dissoluta ex eo errore viuendi licentia. Verum huic si parum profuit ita vinci, profuerit saltem iis qui aderant, indéque didicerint haudquaquam deinceps illi se credere, qui sui licet deceptionem apprimè doctus,

nollet

nollet tamen eam dedoceri, nec decipiendi munere abstinere. Nihilo autem ingenio minor singulorum moderatio elucebat,& humilis de seipso sensus, ex tumultuosa, & audaci prædicantium superbia clarior, qui conuitio, & contemptu soliti essent petitiones & vulnera exire, quæ rationibus non valerent, quod licet apud imperitos plausum suum ferret, apud quos semper is victor est cuius est magis insana, & arrogans inter disputandum vociferatio, sed non deerant cordati, qui rectè aduerterent, ministellos suos conuitiis, nostros argumentis, & rationibus vincere. Quare erga illos afficiebantur,eosque hospitio eleemosynis, viarum ducibus, humanissimè iuuabant. Iam decimo sexto ab Constantia milliari in Lutheranorum deuenerant pagum, cuius olim pastor tunc deserta Ecclesia lupus, vidit illos in diuersorium subeuntes, facileque dignouit esse Catholicos, extemplo itaque loci primarios accire, futuros victoriæ plausores quam de papistis perillustrem spe anteuerterat; inuitare hospites ad pugnam,& ne punctum quidem respirandi de via iis concedere. Accepta libenti animo prouocatio; ei sustinendæ, primus in campum se dat Lainius, quanto indole mitior, tanto ad disputandum ardentior; tenuit horas aliquot certamen pastore multum infremente quòd ingenij falsus bonitate expectationem quam fecerat, vno omnes haustu exsorbendi, videret se fallere; ac ne ab vno quidem illorum se posset euoluere. Tandem seu fessus siue famelicus, inducias, inquit, dum cœnatur; & placidè mecum ait cœnabitis, post integrabimus: & prælium vobis in crastinum condico ad videndos aiebat *libros meos, & liberos*; seorsum tamen ab eo cœnam tenuem, & sobriam cœnarunt; dum is cibo, & mero sese ingurgitat. Remota mensa, iteratur certamen, adstat frequens concursus, magna huius secundi conflictus fama, & fuit sanè haud paulò acrior priori, nam in hæretico præter ingenium, partes etiam vinum suas aliquanto fortius agebat quam disputantem condeceret; eratque idem, inter Lainium, & ipsum; quod inter siccum, & bene madidum discrimen. Haud tamen adeò exerrabat quin argumentis Lainij, eo vsque stringi se intelligeret, vt nullum sibi relinquerent exitum. Quare id denique in eo factum quod natiuum vino S. Ambrosius adscribit, vt absque cruciatu, dulci quæstione verum extorqueat, & vicisti, ait, nec quod possim referre suppetit vis aliud? Planè subdit vnus ex sociis, aliud restaret, abiecto scilicet errore, ab eo pariter istos eximeres, qui tua fide illi credunt; nam cur & tueris, & doces, quæ vides cum vero non posse consistere? Et nosti optimè à fide errantibus, multóque magis auertentibus alios, æternas pœnas esse comparatas. His homo ebrius in furorem actus, multa dictu fœda, & barbara, sermone germanico fundere, ac minari; rescituros postridie, ecquem haberet præter disputationem tuendi sui modum; coniecturum se illos in compedes, exinde ipsos per se reliqua comperturos: post quæ furens, iactánsque impias in Deum voces, sese proripuit. Quæ statim furioso verba qui patribus interpretaretur non defuit, magnoperè suadens, quamprimum aufugerent, hominem

esse

esse iis locis potentem, peiora etiam, quàm quæ minatus fuerat ausurum. Sed Professioni sacrosanctæ, vilis animi notam sua fuga inuri abnuerunt, qui pro illa tam doctè, & fortiter steterant; ac si tum foret pro illa quoque moriendum, magno compendio quod in Palæstina quæsitum ibant, in Germania inuenturos. Suam igitur quisque vitam Deo libentissimè consecrare, & noctis eius partem potissimam precando, animandóque inuicem ducere: vix diluescebat, hæretico adhuc hesternam coquente crapulam, cum Patrum hospitium procera vir, & eleganti forma ingreditur, annorum vt coniici poterat, triginta; hic vultu facili, & lingua germanica; tum videns se minimè capi, nutu vario inuitare vti sequerentur; mox illum omnes, cunctante, quod mirum, nemine, ignotum, quocumque ductaret subsequi. Ille extra pagum, cæcis extra frequentiam semitis præire, respectare à tergo identidem; & interdum renidens nutu erigere, ac nihil metuerent, aut suspicarentur admonere; sed enim timori admiratio præuertebat, cum se illum nec tritis, nec rarò saltem vestigio impressis assectari viis cogitarent, quæ principio difficiles aditu, faciles postmodum, commodæque exirent. Præterea omnibus illic alta niue coopertis, per calles se duci qui soli essent tum niue vacui, tum sicci; post octauum denique milliare, in regia via cum illos statuisset, indicata quà esset pergendum. comiter admodum ac beneuolè salutauit. Hic certè si bonus genius hominem præferens, non fuit, vt eorum quibusdam persuasum mansit, homo fuerit planè Angeli speciem, & officium gerens, à quo sunt ebrij prædicantis furori, & exitio erepti. Vrbem Constantiam præteruecti pariter ab Luthero stantem, en tibi ex nosocomio, quod à pago vicino milliare distabat, anicula progredi, agnitísque rosarij signo Catholicis, obuiam adire, lætitia gestiens, iisque iam propior, cancellatis in crucem brachiis, sublatísque in cœlum cum fletu oculis, omnem illis honorem exhibere; demum illorum de collo pendentes Virginis coronas venerabunda osculari, & quiddam germanicè loqui ab iis minimè perceptum, nisi quod pios Catholicæ feminæ hos esse motus interpretabantur, idque mox ab iis cognitum certiùs, indicans enim se iamiam redituram, cum recurrisset in nosocomium, fasce illicò rediit onusta miserabili, dissipata ferens rosaria, confractas cruces, comminutas Deiparæ statuas, impietatis Lutheranæ tristes reliquias; quas ipsa collectas piè asseruarat. Dedere sacrilego spectaculo lacrymas serui Dei, proiectóque in terram corpore violati numinis, ac religionis, notas superstites adorarunt. Illa suo illo reportato domum thesauro, in pagum præire, ingressa Patres digito monstrare, & magna voce quibuscumque occurreret, quod post ex interprete rescitum, videte perfidi, quam falsò iactetis, vniuersos mortales Luthero vestro adhæsisse, nihil vsquam de Romana fide superesse? vnde igitur isti? è locis videlicet extra mundum sitis? quonam autem? opinor extra mundi fines vt loca reperiant in quibus catholicè viuatur. Factum bene quod vobis aures non præbui. Stultam creditis quod falli noluerim; stulti vos potius, & vsque stulti. Cognitum deinde à Patribus fuisse hanc

feminam in religionis proposito maximè constantem, quæ suasu, ac minis ad Lutherum diu à ministellis in cassum pellecta, & demum ab iis velut amens, extra pagum ejecta, in nosocomium redacta fuerat, peste contactos excipere solitum. Mulieris voces,& peregrinorum fama multos ad disputandum exciuerat, nullius detrectata prouocatio, admissi omnes ad certamen; sed inani successu, hæreticis vbicumque argumento premerentur vni sacræ paginæ textui, stare obstinantibus, & ex vna illum editione Germanica proferri, adulterata, & mutila.

XXXI. *Sociorum Ignatij charinas & sui victoria Venetiis in Nosodochio.*

Parisiis hactenus socios nouem in Italiam assectamur, dierum itinere supra quinquaginta,per continuata discrimina,& perpessiones; quibus optatus Venetias appulsus die Ianu. 8. ann. 1537. longéque optatior parentis optimi ac Magistri Ignatij conspectus finem dedit. Salutantur ab eo manantibus præ gaudio lacrymis, & inter charissimos eorum complexus ampliſſimæ Deo aguntur gratiæ, quod non sanos modo & integro numero, sed accessione trium aucto illos reciperet. Noluit autem festinè adeò, & sine mora Romam illos contendere, sed nonnihil quietis, dum opportunior vocaret tempestas, interea capere; quale capi ab sanctis scilicet consueuit, non omittendo labores, sed mutando:quare in duas tributi pauperum hospitales domos se diuidunt; alteram insanabilium, quæ Xauerio obtigit; SS. Ioannis, & Pauli alteram, in qua pridem frequens erat Ignatius. Illo in duplici charitatis, & suiipsius edomandi ludo,quanta publicè ad exemplum, priuatim ad meritum patrarint, nemo quidem ex iis disertè prodidit, quantulum tamen est quod ad nos peruenit eiusmodi est vt etiam virtute præstantibus admirationi magis, quàm imitationi futurum sit: fuit qui rogatus ab ægroto pessima scabie confecto, spinæ dorsi aliquid admouere, horrore fœdissimi vlceris auerti se sentiens, collectam saniem ori indiderit, tam inuicto planè, quàm violento insemet imperio. Vlterius quoque Xauerius ausus est, labra sanioso applicuit vlceri, & purulentum ex eo virus lingua duxit. Videns alius ab Nosodochio SS. Ioannis, & Pauli, lectorum inopia leprosum excludi, huic sui lectuli parte cessit, ex quo factum vt die insequenti totum se lepra squalere viderit, leproso nusquam præterea apparente. Neque tamen suæ illum caritatis pœnituit, sed eam patientiæ segetem; officij præmium censuit infelici leproso præstiti: quanquam breuis admodum hæc fuit, mane posteræ diei perinde se mundum & sanum vt ante fuerat reperit. Sunt hæc aliquot gesta Heroicæ, charitatis, & illustris suimet victoriæ, imo quam illic ponebant seruitus perpetuum erat arduæ virtutis gymnasium lectos sternere, mederi vlceribus,ægrotos in brachia tollere, abluere, purgare ab sordibus, & sordidissimi cuiusuis ministerij operam iis dare; noctes ad hæc cum illis vigiles trahere, solari piis de Deo sermonibus, precibus ad Deum iuuare, monere, hortari ad fructuosam patientiam, ad mortem parare, postremo functorum componere corpora, & terræ mandare; hæc eo animo susceptа, ea pietate, modestia, & alacritate obita quam ij adhibent qui suam Christo in suis pauperibus seruitutem locare se cogitant, totas ad se Venetias

breui

breui tempore verterunt, ipsique adeò inter Senatores præcipui aduentabant, nouitatis fama euocati, & piis lacrymis ac teneritate, pietatem spectaculi celebrabant. Ex altera parte rumpebatur mala rabie dæmon, & per arreptitiam feminam suas in illos testabatur iras, quoties enim culinam intrassent cui illa ministrabat, flectere in illos contemptim, ac ferociter aspectum, retortis oculis tueri, submurmurare ferum quiddam, & sæuum, quæ à malo Spiritu proficisci nondum cuiquam suspicio venerat, necdum enim ab eo vexari putabatur; donec aliquando ad eorum conspectum, in clamores repente inconditos, eiulando erumpere, & resiliens, ac semet distorquens lamentari, proh! quid ego non moui, vt hosce hinc procul auerterem? malè pereat qui huc illos aduexit. Probè noram qui essent, longè vtique pluris, quàm videtis & intelligitis, seu virtutem mauultis, seu literas: ex eo tempore si quem fortè illorum vidisset, efferabatur, insanis modis, vnoque ex iis aliquando placidis verbis mitigare aggresso, in eum furorem acta est vt præceps in ignem excurreret, & ægrè inhibita, ita se supino in flammas dorso incuruauit, vt igni caput tantum non iniiceret, vlulatu immani totam domum exterrens, dum ab nosocomij Sacerdote iussa inde multorum manibus reuelli, in templum abrepta est vt sacris curaretur exorcismis, in iis vt sit extra rem meam, sed extra scopum non fuerit vnum meminisse, in quod voce mulieris cacodæmon erupit, cum enim coacta fidei symbolum, articulatim, & fractè recitaret, vt ventum ad illa, *inde venturus est iudicare viuos & mortuos*, lamentabili voce, & miserabili eiulatu, væ, inquit, væ misero mihi, quid ego tunc illo acturus sum tremendo, & terribili die? afflictáque solo femina, velut exanimi, tacuit. Exacto Venetiis mense altero, & sesqui inter clara illa nosocomij obsequia, & tempestiuo iam ad iter anno, sub verni ieiunij exitum, Romam omnes dempto Ignatio contendunt, remanendi causam prouida cautio præbuit ne profectionis illius optatus euentus eius præsentia periclitaretur. Venetiis siquidem parum sibi fauentem expertus Ioannem Petrum Carafam, verebatur ne Romæ vbi tunc is erat Cardinalis in communi negotio aduersaretur sociis sua causa. Quod ipse quàm iure timuisset quæ consecuta sunt postea probarunt, habetúrque ex schediis Lainij; Carafam haud quidem mala mente, multum tamen iis obstitisse. Cæterum Romanum hoc iter ex animi sententia iis cessit patiendi, ac perpetiendi magnoperè auida, & si quod alias, eam copiosissimè impleuit. Cum enim Venetiis aliquamdiu nauigassent, & Rauennam versus exscensione facta pedites tenderent, triduo toto nec panis frustulum quo ieiunium soluerent nancisci potuerunt. Laboribus itaque recens exantlatis, & vexatione sui spontanea fracti passim humi collabi, nec posse gressum vlterius ferre miserantibus qui adhuc in pedes consistebant & eo denique redigi, vt pinetum ingressi ad leuandam famem nucleos frangerent, quod mox quoque missum facere sunt coacti, ob acerbitatem strobylorum & maiorem lucro molestiam. Tempestas præterea cum assiduis imbribus solueretur, aqua madebant perpetua, atque vt

erant madidi, & combibito vestibus humore diffluebant, noctem tamen subdio interdum, compellebantur exigere, magno sibi vertentes commodo, si quem in paleæ aceruum inciderent in quo possent interquiescere. Ad transmittendos verò fluuios, quod pecunia deesset, thecam modo calamariam; post cultellum, & istiusmodi egestatis suæ minutias in naulum dabant, etiam nonnunquam partem interioris indumenti; fuitque Rauennam inter, & Anconam qui vt sæuientem placaret nauarchum, exiret cimba breuiarium sacrum cuius nondum lege tenebatur oppigneraturus, comites interim relinquens obsides, donec eos relato ad Charontem pretio redemisset, vt ipsi postmodum, Anconæ corrogata ostiatim stipe, redemptum socio breuiarium reddidere. Iam cum eluuionibus imbrium refusi torrentium, & fluuiorum aluei, vicina inundarent, contigit aliquando, vt in aquis supra vmbilicum, milliare conficerent, cui tanto vnius eorum labori contra spem Deus reposuit, vt cum ei ex erisipelate ægra tibia tumeret, eo balneo sanaretur. Rauennæ nonnihil quietis datum est, nosocomij tecto saltem excepti sunt; lecto nequaquam; præter duos, quorum sors quam comitum peior; cum enim esset tribus assignatus quos omnium maximè leuamento illo refici oportebat, ij linteaminibus inspectis illuuie, ac tabo maculosis, animaduerterunt haud paulò plus ad eorum vsum, opus esse virtutis quàm necessitatis, vnus itaque ex tribus Simon Rodericius retrocessit, maluitque humi, duriori quidem, sed mundiori strato decumbere; cuius tamen illum fastidij sui, ea statim pupugit pœnitudo, vt illud dolore memori notarit Deo quamprimum luiturus. Nec diu præstandi occasio defuit, quæ licet relatu aliquid nauseæ præferat, sed eam nauseam virtutis adiunctæ gratia oculis subducet. In aliud igitur nosocomium cum venissent, excusare mulier cuius curæ id erat, egestatem loci, linteamina non esse; duo quidem ex lixiuio sublata se illic habere, sed quod pridie ægrotus pediculari morbo in iis interisset, non audere se illis ea obiicere, & vero exercitu fœdissimorum animalculorum formicantia cernebantur, occasione vsus Simon quam expectauerat velut à Deo data, ad expiandas repudiati paulò ante lecti vt ipse vocabat delicias, iis se linteaminibus inuoluit nudus, & molestissimo noctis integræ tormento punctoris illorum animalium agitatus, supra debitum, quod se contraxisse doluerat exsoluit. Porrò hi nostri peregrini transalpini, eodem habitu, Romam vnà petentes, quacumque transissent, suspecti vulgo habebantur enormium scelerum; interdum etiam obiter notabantur vt qui Pontificem adirent grandium criminum, & censuræ nodis ab eo soluendi; & Apostolici studij labores interpretabatur quilibet obuius, luitionem culpæ valdè insolentis. Verùm has inter tot nobiles ærumnas, magnis incessebant lætitiis; Deo tum illos reficiente interiùs, qui erat illis tolerantiæ merces, & stimulus; tum alterna vice perpetuæ omnium erga vnumquemque, & officiosissimæ charitatis. Terni incedebant, cum suo par quodque Sacerdote, cum Hispano Gallus, tam conjunctis omnes inter se animis: vt si vna non dicam patria sed matre editi

aliorum

aliorum incommoda suis quisque ferebat grauius, & postquam vt poterat iis consuluisset, tùm vero de suis cogitabat. Refert ex iis vnus cum passim Anconæ ad repignerandum quod dixi breuiarium mendicarent, coniecisse oculos in quendam è sociis, qui nudis pedibus, veste genuum tenus, media in platea, demisso vultu ad mulierc ularum accedens pluteos, ab hac pomum, ab alia pugillum oleris rogabat; hæsisse autem in illius aspectu vehementer commotum, repetitis animo illius quondam diuitiis, nobilitate, literarum, & ingenij dotibus, præter eximias virtutum opes, quibus inter suos potuerat splendidè eminere; se verò indignum censuisse qui talibus sociis adnumeraretur: addítque, ad hoc se crebro aduertentem, sensisse semper de iis præclariùs, & ad omne in illos officij genus fuisse animatum. Iste quin etiam omnium, cum esset de singulis sensus, inde incommodis propriis leuius afficiebantur, quod ea cernerent sibi esse cum iis communia quibus se longè posthabebant, & quos reuerebantur magis vt Dominos, quàm vti fratres & socios, quandóque præterea recreati sunt à Deo peculiaribus curæ quam pro illis gerebat indiciis, vnum modo sat fuerit hîc poni. Laureti triduum morati, & quà interiùs omni pabulo abundè, qua etiam corpore aliquantulũ refocillati, Romam versus sequũtur, Tolentinum de itinere fessi cum noctu, & pluuio cœlo attigissent, deerat panis, à quo poscerent illa hora cõparebat nemo, ex tribus qui aliis præibant, captabant duo subgrundia vt se à pluuia tegerent, medio vico tertiùs incedebat, aiens sibi ab aqua, & ab luto nihil posse iam peius accidere: quæ is apud se dum reputat, videt proceræ hominem staturæ forma quantum dignosci poterat liberali, & annorum triginta, medio quoque & vico & luto aduentantem. Hic vbi ex aduerso peregrini stetit, manum eius prehendit, apertãque nummulis aliquot impleuit, & pressâ denuo cum strinxisset, silentio abiit; inde ad panem, vinum ficus, quæ fuit lautissima illis cœna suppetiit, cuius residuum etiam aliquot mendicis profuit. Romam tandem optato cum venissent; suæ quisque gentis Xenodochio admittuntur; post tamen cum Hispanis, & Galli ad S. Iacobi diuerterunt, & quoad mos pauperum sinebat illic humaniter, & commodè habiti. Eos aliquando cum Petrus Ortizius, ille olim Parisiis tantùm Ignatio aduersatus obuios offendisset, facile agnouit, & tunc Caroli V. apud Pontificem Procurator in causa Catharinæ, ab Rege Angliæ Henrico VIII. per summam iniuriam reiectæ, longè se alium ab eo qui ante fuerat erga illos gessit; nimirum virtute Ignatij demum illi perspectâ clarius, sinistra iudicia, & priuatas vincente rationes quæ iniqui orem Ignatio fecerant. Quare sociis in eius gratiam multum fauit, curauítque illis ad Paulum III. summum Pontificem aditum, laudans enim illi magnificè illorum excellentiam virtutis, & doctrinæ; ad hæc raræ amorem paupertatis, ardorémque salutis alienæ ob quam id vnum expetebant vt sibi liceret cum felici S. Sanctitatis adprecatione Palæstinam Euangelij prædicatione excolere, iussus ab eo est postridie illos super mensam inducere, libenter se iis accessum, & aures daturum, nam eimos erat discumbenti literatos audire disse-

rentes, vel quæstionem aliquam versantes. Duxit ipse Ortizius, & coram statuit, vbi Pontifici sapientissimo adeò placuere, vt satis mirari non posset acumen ingenij, & supellectilem scientiarum locupletissimam, cum castigata atque amabili in disputando modestia; quod iis etiam de mensa surgens, sereno vultu, hac voce testatus est. Summam capimus voluptatem ex tanta eruditione, cum tanto sui contemptu sociata, quæsiuit præterea si quid vellent, audiénsque nihil aliud quàm quod supplicasset, pro iis Ortizius, extentis velut ad omnium communem amplexum brachiis Apostolica benedictione illos impertiit, addidit tamen eo anno terram sanctam fore illis accessu difficilem, ob fœderatos Ecclesiæ, Cæsaris, & Venetiarum aduersus Turcum exercitus. Ad hæc aureos sexaginta ab eo missos acceperunt & facultatem ad sacros Ordines à quouis Episcopo paupertatis, & doctrinæ titulo obtinendos, pro absente licet Ignatio, & aliis qui nondum essent Sacerdotes, consignata est literis hæc facultas à Cardinali sanctorum quatuor ann. 1537. Aprilis septimo, & vigesimo, quibus item Salmeroni dabatur, vt cum ætatis vigesimum tertium attigisset, Sacerdotio initiaretur. Post hæc relegunt Venetias iter, pedites vt ante ac mendici, admissos enim sexaginta nummos, vti & alios centum quadraginta pia sibi quorundam Hispanorum donatos liberalitate in profectionem transmarinam seponendos putarunt. Venetiis pristinæ in nosocomiis operæ se reddunt, quoad votis ad pedes Nuntij Veralli, Paupertatis, & Castimoniæ nuncupatis, à Vincentio Niguſantio consecrati sunt Sacerdotes, S. Ioannis Baptistæ festo die ann. 1537. ea cœlestis lætitiæ copia, vt in consecrantem refusa sit, professus enim est Vincentius, tam multos toties cum initiasset, numquam se ex illis pietatis sensus tàm teneros expertum. Inde primitias sacrorum variis, suo quisque delectu celebrioribus diebus obtulerunt, dempto Ignatio, qui ad tanti operis apparatum, annum sibi solidum depopoſcit quem etiam postea in mensem decimum octauum protulit, annóque tantùm insequenti, die Christi nascentis ad S. Mariæ Maioris, & Christi præsepe celebrauit, vnáque se primo cum sacrificio victimam Deo spontaneam deouit ad omnia eius obsequia promptam, & paratam. Cum enim iis quotidie spes nauigandi diffluerent ob Reipublicæ Venetæ, & Solimanni classes mare quamprimum peruasuras promissioni tamen Deo factæ ne qua sua ex parte deessent, expectandum Venetiis si quæ se daret occasio censuerunt.

XXXIII. *Ignatius, & socij solitarijs sparsi locis in ditione Veneta, post ad prædicandum prodeunt.*

Interea igitur communibus studiis, primitiarum quas diximus nouum instituunt apparatum, secessus captant ab strepitu solos, & velut extra humana sitos, vt secum penitiùs, & cum Deo ipso habitarent, Ignatius Faber, & Lainius Vincentiam petunt, Monselicium Xauerius, & Salmeron; Treuigium Codurius, & Hozius (eandem hic cum aliis decem viuendi iam normam inierat) Iaius & Rodericius Bassanum: Patauium Pascasius, & Bobadilla: in harum confinio vrbium & pagorum deserta quæ primum occurrerunt tuguria occupant; lectum nuda humus vel aliquid paleæ, victum mendicato

dicato quæsita, panis aliquot frusta, potum frigida præbebat; ad hæc multarum horarum precatio, voluntarias autem pœnas metiebatur cuique feruor suus. Ignatium quod spectat, Manresam suam Vincentiæ reperit, visorum illic cœlestium frequentia eadem, animi deliciæ pares; lacrymarum par suauitas, & vbertas; quibus cœpti exinde oculi grauius affici in reliquam vitam malè habuerunt. Ex hac dierum quadraginta solitudine progressi, vt quod in ea de cœlo hauserant in alios spargerent, in diuersas vrbes operam diuidunt, nec opus fuit prensare templa, & pulpita, vtrumque forum, & compita supplebant: illuc è scamno, saxóve fortuito, sparsam longius plebem aduocabant, currebatur ad signum agitati galeri vocésque inuitantium, velut ad planipedes, & circumforaneos ludiones, audiebantur Italicè omnino perperam dicentes, sed ea vi spiritus inflammati, vt qui visus, & iocos captaturi venerant, suspiria & lacrymas referrent: cum enim prodirent ad pœnitentiam suadendam, quod vnum erat illis propositum, pallore, ac macie totóque aspectu, exemplum edebant eorum quæ dicerent, credebantúrque tunc ex deserto adesse. Concione dimissa, in sua tuguria redibant. In iis cum degerent periculosè quidam ægrotarunt, tolerantiæ exantlatæ fructu minimè pœnitendo, in iis sortem benignam Simon Rodericius inuenit, hunc Iaio comite, sanctus Senex Antonius nomine, diuino instinctu, sua heremo secum admiserat, certus alioqui omni consortio carere, quod iam aliquos habuisset, sui primum conuictus & asperitatis cupidos tyrones, mox impatientes atque desertores. His tamen duobus in cellæ angulo tabulam dederat ad nocturnam quietem, quod humi cubare solitis nonnihil commodi afferebat: de nocte surgebant ad orationem, & psalmorum cantum, & ieiunia cœterósque labores cum eo pariter obibant.

XXXIV. *Ignatij charitas erga vnum è sociis ægrotum, & erga vacillantem.*

Inter hæc itaque Septembri Simon grauiter ægrotans pæne ad extrema deductus est, vt accitus ad illum ab heremita medicus eius desperauerit salutem: rei certior factus Ignatius, Vincentia cum Fabro (nam iacebat in nosocomio Lainius) Basianum aduolat. Quantos autem illi animos daret suorum charitas, cùm aliàs semper, tum verò hîc egregiè patuit, etsi enim ex febri adhuc infirmior, gressu tam celeri properabat, vt Faber valens, & robustus ægrè sequeretur, expectaríque illum identidem à subsistente Ignatio oporteret; charitatis magnæ haud absimili documento, ab eo quo Lainium olim fuerat prosecutus, repentina enim correptum Febre dum vna iter agunt, quæsito iumento imposuit, & detractis sibi operuit vestibus, & laborantis immemor tibiæ, equitanti tàm citus præiuit, vt equum vrgeret, Lainius ne ab eo longiùs remaneret. Quas autem interposuisse in expectando Fabro moras illum dixi, colligenda in Deum mente occupabat, precibúsque ad illum pro ægroti salute ardentibus, quorum ipsemet vim præsensit, Fabro enim, cui expectando substiterat accedenti, vultu quali solebat orans, incenso velut cœlitus edixit Simonem hauquaquam moriturum. Neque vitam solum, sed valetudinem magna ex parte iacenti contulit, primo enim affatu, caróque complexu salutantis non modo esse de vita iussus

est

est securus ; verum etiam sic corroboratus, vt morbo exinde sensim decedente conualescere cœperit, tabulas quoque in quibus iacebat lectulo mutauit pia heremitæ diligentia ad hoc vsus. At receptum ex morte socium nihil propius abfuit quam vt amitteret ; vel hunc ipsum vt habet vetus suspicio, vel eius socium; fallaci specie delusæ virtutis ab se sibi abstrahendum. Horum enim alter priuati secessus illectus dulcedine, cum Ignatij cursationibus, heremitæ tranquillum ; solitudinis otia, cum necessaria inter homines dissipatione ; vitam vni Deo sibique attentam cum sollicitudine salutis alienæ conferre, libratisque, quas expertus probarat æqua lance ambabus, statuere, laborum sumptus cum Ignatio haud paulo minoris æstimandos, quàm lucra meritorum ; cum heremita è contrario minus inesse periculi, plus sanctæ quietis, cum præsertim quem non ita pridem videbatur cursum ingressus Ignatius, illius iam metam raderet heremita ; ad hunc igitur pronior fieri, ab illo retrahi, ac prope resilire ; sed enim deuota promisso fides ; sed nuncupatum Deo votum ; sed præstantium exempla sociorum qui sanctitatis absolutæ numeros omnes, & apprimè norant, & vno illius ambitu agebantur ; hæc, inquam, homini lancem alteram deprimebant. Sic anceps, inopsque consilij, decreuit denique totum heremitæ se credere ; quod is author fuisset, id se pro diuino habiturum, Bassano itaque ab sociis, cum quibus illuc Ignatius tunc erat clam sese subducens, ad S. Viti heremitam adibat. Verum Societatis etiam tum informis auctor Deus, informandæque in posterum educator intelligi voluit, displicere sibi quos ad procurandam aliorum salutem cum Ignatio vocasset, auaro solitariæ quietis studio eam deserere, abeunti viam monstro intercluſit, quo perterrefactus, retróque compulsus, palam in brachia relicti perperam magistri cursu se retulit. Vix enim Bassano exierat cum simulachrum hominis armati obuium habuit feroci vultu aspectu terribili & stricto gladio minantis : hæsit aliquamdiu turbatus, & territus, sibi tamen vim fecit incertus quid hoc portenderet, iréque vlterius tentauit ; at ille acerbè irato, inuadentíque similis gladium vibrare ; hic præcipitare Bassanum versus, & sociorum hospitium, stupentibus omnibus fugientem, cum terroris causam, & insequentem viderent neminem, Ignatius diuino monitu prædoctus socio infideli prodierat obuiam, pansisque in illum brachiis, velut hunc sibi assereret denuo Christi verbis Petrum admonentis, subridens excepit *modicæ fidei quare dubitasti*

XXXV. *Solitarius Ignatium parui pendens à Deo corrigitur.*

Fuit aliud quoque Ignatio cum heremita Bassanensi. Erat is quidem verè sanctus, & iuuat hîc eius honorificè meminisse, tum ob illius in Simonem religiosam beneficentiam, tum ob ea quæ ipsi cum Ignatio contigerunt. Mira quædam de illo narrabant indigenæ, iisque finitimi, prolixa præcipuè orandi spatia, & tolerantiam, vltroneis ærumnis contritam, quas esse aiebat solitudinis adipem. Vel ipsa vt cœteri sileant illius effata abunde illum deprædicent, vtpote ex illius vsu, morumque regulis deprompta. Ex iis aliqua ex Gaspare Gropellio habemus eius quondam discipulo, dein Societatis,

tatis, sed breui tempore alumno, solus enim assuetus, ac suo proinde solius arbitrio viuere, nunquam sibi tantum potuit imperare, vt se maiorum imperiis præstaret docilem. Pauca referam scitu digniora. Eius itaque fuit. Animam frigore interire, quòd seipsa omnino non exueretur. Hanc esse maximè sublimem vtilémque sapientiam, propriam nescire voluntatem. Cui malè cum Deo conueniret, fore ab se perpetuo discordem, frustráque ad Deum aspirare, nisi qui ab se recederet. Vitam hanc aiebat totam esse, in exigendis exsoluendísque nominibus, nec esse diuitem nisi qui vt Deo potiretur, iacturam sui libenter faceret. Bonam hominum partem deridebat, quibus cordi esset stulti, hoc est mundi; & stultæ, carnis videlicet, consilio regi, essèque illos in vtroque stultissimos. Morti bonæ dicebat, præire mortem oportere, & sui ad magna patranda esse nihili conscium. Ad felicem verò Christiani vitam, nosse bona, ex malis etiam ducere. Deo gratias agebat, quod nullos Bassani sua in patria propinquos haberet superstites, cùm fere quò magis domestici, eò sint magis inimici; pluresque in iis sibi aduersantes, reperturus esset quam æmulos. Cœlestem gloriam negabat dari, caro putantibus illam emi, sed iis à quibus quantumcumque graui pretio emeretur, censebatur semper nimium vili empta. Illud Dauidis; *in circuitu impij ambulant*, ita explicabat, homines sæcularibus addictos, circulum vertere, qui ab sui amore, in creata flectens, in eundem sui amorem rediret; contra verò sanctos, ab amore in Deum suum orbem mouere, quem per charitatem in proximos ductum, cum iis, & per illos in eo vnde ortus erat erga Deum amore iungerent. Diuiti cuipiam, hac vita gaudenti, & dulce pulchrúmque hic viuere dicenti; si tantùm placet via, quantum inquit placebit quò itur palatium? nobili viro, suarum libidinum sordibus immerso; iactanti, se quicquid bonorum est in cœlo, millies daturum pro hac vita si foret perpetua; alterum, inquit, ex duobus; aut reris fabulam, quod de alia post hanc creditur vita; aut grauium tibi malorum conscius, iure horres post mortem eò ire, vbi tibi peius quàm hic futurum sit. Erant hæ viri Dei sententiæ, vita nihilo dictis inferior, vt cui nihil esset in vita dulcius quàm spes volucris cito moriendi; quare cuidam ægrotantem visenti, recreantíque vt fit, annos quinque supra vinginti ei augurando, ego, ait illos, si quis mihi venales fecerit, teruncio non emam. Morti tandem propinquus (quæ vigiliam Pentecostes præcessit ann. 1552. miris affluens gaudiis sæpius iterabat, tu me diu mors præstolata es; te nunc ego cupidè expecto, crucémque stringebat complexibus, vnicum morienti solatium, vt fuerat viuenti comes charissima, & hac quidem virtute & sanctimonia vir Dei claruit, hospes aliquamdiu Rodericij, & Iaij. Verum vt durum, & asperum vitæ genus professi facilè inducunt animum, Deum extra illas ruborum spinas non ardere, aut in iis solam perfectæ virtutis medullam crescere; de Ignatio ex eius sociis cum magna quædam vir sanctus audisset; videret tamen habitu, ac more nihil à communibus discrepantem, spreuit apud se, vnumque de vulgo habuit, donec eius errori; simul, & Ignatij gloriæ,

Deus eodem tempore, operáque succurrit. Oranti monstratum est cœlitus, quàm sublimi gradu sanctimoniæ singularis apud Deum fulgeret, quem pro vulgari apud se despexerat; & consueuerat bonus senex seipsum incusans id narrare, vt inde homines discerent, à cortice nucleum differre.

XXXVI. *Sparguntur in varias vrbes socij, sed prius statuunt de Societatis Iesu nomine assumendo.*

Conualuerat Rodericius, & Ignatius Vincentiam repetens illuc suos coëgit, deliberaturus omnium consensu de difficultate intuperabili in Palæstinam nauigandi, effecturúsque vt noui Sacerdotes suas Deo offerrent primitias quibus comparandis solitudines illas captauerant. Excepit tecto suo omnes Ignatius, erat id inter monasterij veteris rudera, bellorum tempore disiecti, pauci tunc extabant parietes, & ruinosum tegmen, fenestræ nusquam, sed nec fores, nec commoditatis vllius quicquam præter aliquid straminis ad somnum. Panis tamen, & aqua non defuit, quamuis enim per dies quadraginta vni fere orationi datos Ignatium cum Fabro & Lainio bis quotidie oporteret ostiatim ad stipem circuire, sed postquam in publicum ad conciones prodiere, tantum mox beneuolentiæ erga illos confluxit, vt possent vndecim ex collatis sibi eleemosynis alere. Sed inhospitæ illius stationis, cœli, ventique iniuriis peruiæ austera mansio, duos lecto affixit, Xauerium, & alium, cuius excidit nomen; quibus ne illic ærumnis interirent, quærendus fuit in nosodochio insanabilium receptus, seu magis inter semirutas, & solas, prope Nosodochium casas, vbi aliquanto meliusculè iis foret, vilis saltem non defuit, sed vnus duobus lectulus, illic febri iactatis ex eo leuamen fiebat difficile, quod rigente vno, alter æstuaret, vnique consuli, absque alterius molestia non posset. Verùm hanc illis humani ad corpus subsidij seuæram inopiam pensabat Deus solidioribus delitiis, potissimum verò Xauerio, quæ vt essent eius magnitudini animi concolores, non abstulere ab eo quæ patiebatur, sed spem ei fecere acerbiora patiendi. Huic igitur per noctem B. Hieronymus adstitit, quem prosequebatur honore præcipuo, vtque tantus valebat consolator, cœlesti eum affatu refecit, inde quæ cuique sociorum tribuenda sors foret indicauit, vrbesque de nomine expressit in quas essent mittendi, cessuram verò ipsi Bononiam vbi crux illum quanto spinosior maneret, tanto meritorum feracior. Quæ vt præmonuerat sanctus, sic ad amussim euenerunt. Hic iam obstaculis traiectus in terram sanctam intercluſi extra omnem compertis dubitationem; exsoluenda restabat voti pars altera; ad hoc inter illos conuenit, vt Ignatius, Faber, & Lainius Romam irent, & omnium nomine se Pontifici sisterent; in vrbes interim alij spargerentur quæ Academiis florerent, vnde seges posset animarum sperari benignior, & noui socij conscriptis adiungi: prius tamen quam diuiderentur, visum est communem inter se statuere vitæ vnius rationem, ac formam quæ seruaretur ab omnibus, nisi quid forte aliquando seu necessitas seu prudentia diuersum poscceret. Fuere autem hæc eius capita. Mendicato & eleemosynis vitam sustentare, & in nosocomiis hospitium habere. Alternis hebdomadis inuicem præesse, ne quem maior viribus animus, in suscipiendis laboribus falleret, sed præsidis socij moderatione

moderatione regeretur. Concionari per compita, vt vbicumque se daret occasio; dicendi verò argumenta ex pulchritudine, præmiísque virtutum vitiorũ turpitudine pœnísque legere, & maiori pietatis conatu, quàm eloquẽtiæ tractare. Christianæ fidei capita pueris tradere, & bonis moribus eos informare: quicquid præterea occurrisset iuuandis proximis opportunum, in opus conferre, verum quamcumque aliis impenderent operam, ne obolum quidem in eius mercedem admittere, vna Dei solius cui adlaborassent gloriâ abundè contentos; in has leges consensione omnium itum est. Cum autem identidem quæri ex iis soleret, quinam essent; cuius instituti tenerent regulam, quid nominis haberent? Responsionem aliquam præscribendam omnibus decreuerunt, in qua semper eâdem acquiescerent percunctantes: nec tamen ea res consultationi permissa est: Pridem Ignatius, haud ab se priuatim sed cœlitùs deliberatam illam animo tenebat, ex quo nempe vt constans fama est, in solitudine Manresana, de vexillis duobus meditanti, Deus prima ipsi Societatis lineamenta descripserat. Sanxit ergo, auctoréque fuere vniuersi vt de Societate Iesu se esse dicerent, nec alia vsquam vterentur nomenclatione, vt qui vnius Iesu amore, & gloria impulsi in Societatem vnam diuersi conuenissent. His ritè inter se stabilitis, delectúque vrbium habito in quas operam partirentur, post suauissimos salutationis mutuæ amplexus, Romano itineri Ignatius Faber, & Lainius se dederunt: Xauerius & Bobadilla Bononiam; Ferrariam Rodericius, & Iaius; Pascasius, & Salmeron Senas petierunt; Patauium Codurius, & Hozius.

XXXVII. *Moritur primus è Societate, eius anima inter beatos ab Ignatio conspicitur.*

Cæterum successu admodum diuerso, acceptam quisque obiuit prouinciam, quibusdam pati, magis quam agere contigit; pinguior aliorum labor, messem animarum conatibus tulit non imparem. Codurium, quidem & Hozium, vix paucis diebus in nosocomiis & in foris auditos, Episcopi Suffraganeus suspectos habuit, veritúsque ne fuco sanctitatis, vulpem tegerent fraudulentam, coniecit in compedes: quid iis fuerit animi tam subito in casu nox illa prodidit quam vnam egere in carcere, recitandis psalmis, & sermonibus de Deo totam occuparunt, tam effusis interioribus gaudiis, vt cogeretur optimus Hozius dulcissimo arrisu interdum iis aditum laxare. Vulgato eorum carcere, tam densis de illorum virtute, & innocentia testimoniis obtui Suffraganeus cœpit, vt inde postridie eductos amplissima ornarit potestate, quicquid vellent, ac possent in subsidium animarum præstandi. Verùm iis hac vti nondiu licuit, eorum alteri beatam quietem sub ipsis laborum primordiis Deus assignauit. Fuit is Baccalaureus Hozius. Ad populum dixerat paulò ante in hæc Christi verba. *Vigilate, & orate, quia nescitis diem neque horam*, móxque febri ardente iactatus, moneri interius credidit, concionem illam ad se propriè pertinere. Quare abdens se se in nosocomium, ad mortem parandam curam omnem conuertit, ea tamen animi voluptate ex æternæ vitæ fiducia, vt temporariæ iactura præcoci, nullo modo tangi videretur: fœlici obitu præreptus illorum sortem adeptus est, quos postremum in vineam conductos, primos ad mercedem pater familias

acciuit. Agebat tunc temporis in Monte Cassino Ignatius, & Exercitia Petro Ortizio (de quo antea dictum) Caroli quinti Procuratori suggerebat, illic vbi resciuit de Hozij morbo, magnis ad Deum precibus pro illo institit; en autem, vt quondam Patriarcha Magnus Benedictus eodem ex loco scandentem in cœlum Beati Germani animam viderat, sic videt Ignatius Hozium circumfusa luce radiantem, in cœlum ab Angelis deduci. Neque tunc solum ea ipsi obiecta species, aliquanto post dum sacro interest (quamuis enim Sacerdos, nondum se satis ad operandum sacris paratum putauerat) cum illa solemnis confessionis verba pronuntiarentur, *& omnibus sanctis*; videre visus est discedente cœlo, beatum socium in magna Superum corona, eodem cum illis splendore, ornatúque fulgentem; ex quo tantum illi affluxit dulcedinis, vt per multos dies tenere lacrymas non posset, beata illa socij specie semper oculis obuersante, & vero defuncti cadauer non vana exhibuit animi felicis indicia, cum enim esset colore subnigro, oríque conformatione parum grata, morte qua fit inuisum & horridum quicquid ante pulcherrimum fuerat, Angeli speciem induit, vix vt agnosceretur à Codurio, qui spectando, flendo, osculando expleri non poterat.

XXXVIII. *Pia opera, & molestiæ Sociorum Paduæ, & Bononiæ.*

Defuncto Hozio, Ferraria Patauium Rodericius venit, solatium & opem Codurio ferens, qui labori solus illic sufficere, nō valens ita paulò post ægrotauit, vt Rodericius missionis pondus totum exceperit; huic tamen iuuando, & leuando socio ægrotanti, Deus opportune & commodè prospexit, dites & nobilis Clericus, quem ab inueterata libidine, Codurius potenter abduxerat, licet multos annos cum amica, effreni amore traduxisset, tulisséque etiam ex ea filios; tanti sibi boni auctorem non tulit iacere in nosocomio, sed donum sublatum incredibili sollicitudine, restituendum valetudini curauit. Sed neque obniti Rodericius valuit primariæ feminæ nolenti omnino illum degere in nosocomio, nam huius liberis duobus omni ope cum Rodericius adfuisset; alteri, vt sanctè moreretur; alteri vt sanctè in Religiosæ familiæ regula viueret, iam orba & vidua, liberorum loco alendum illum eo cupidius suscepit, quod filij duo supremis verbis alter moriens, alter valedicens ab ea petiissent vt Rodericium suo loco haberet. Priusquam verò Ferraria exiret, vbi cum Iaio, iuuandis animis dabat strenuam operam, aliud expertus fuerat argumentum illustre charitatis, & Dei suorum peculiarem gerentis curā. Assignatum iis erat in nosocomio cum victu cubiculum, victus tamen demenso minimè vtebantur, sed corrogato per vrbem pane. Concionibus interim illorum, viæ, & compita feruebant, nosocomia verò & alia loca vbi prodesse animis daretur, illorum ministeriis. Obseruabat hæc diligenter anus nosocomio præfecta, mirabatúrque homines, tantum sibi laboris priuatim assumere, cum iam tantoperè aliis laborarent, vt autem quid noctu etiam actitarent resciret (lucernam enim animaduerterat, in eorum cubiculo vigilare) rimis oculum admouit, vidítque ab iis post aliquid somni ignem ex silice in lucernam accendi, tum vt erant rigentes frigore, pensum diuini officij, genibus flexis ambos persoluere,

ſoluere, dehinc in alto ſilentio, itemque de genibus ad diei exortum orationem producere, exire denique ad celebrandum Sacrum, indeque ad ſolita charitatis officia diuidi. Hæc ergo quæ viderat cum iis componens quæ de fructuoſis eorum laboribus foris audierat, cœpit illos pro ſanctis venerari; augebant publice hanc opinionem exempla egregia contemptus proprij, tolerantiæ, ſtudiíque in Dei gloriam incenſi. Quare de illis cognoſcere optauit Piſcarienſis Marchio, tunc Ferrariæ præſens, quinam eſſent, vt ſi quod prædicabant, hoc viuerent, communicare cum illis conſcientiæ arcana tutò poſſet. In eorum itaque alterum cum aliquando incidiſſet, quæſiuit num eſſet ex ſacerdotibus qui in Italiam veniſſent vt in Palæſtinam proficiſcerentur, & vbinam hoſpitium haberet, audiénſque in noſocomio, tacitè illuc ſe contulit, accitáque anu interrogauit admodum ſerio, cuiuſmodi homines Sacerdotes illi externi forent qui illuc diuertiſſent. Illa magno pietatis indicio viros eſſe ſanctos; demptis aliquot ad quietem horis, noctem totam orando ducere, nunc vnà, nunc ſingulos; ſe ſuis id oculis ſpectaſſe; ne demenſum quidem ab noſocomio benignè oblatum admittere, nec alio veſci niſi emendicato pane, ſic malè à veſtibus munitos contra aſperrima cœli eius anníque frigora durare, nunquam tamen ad focum accedere; nihil poſſe in eorum moribus nota vlla dignum aduerti, nihil ex iis audiri niſi de Deo ac diuinis. Poſtremo actuoſam illorum & beneficam in omnes operam, vrbis vniuerſæ oculato præconio laudari. His pia Marchio, planè qualia optauerat auditis, ambos in vicinam palatio domum iuſſit ex hoſpitio pauperum tranſire, & quotidiana deinceps ſportula aluit, adhibuítque ad res animi ſui pro voto componendas. Ad hæc etiam illos in aulam induxit, vbi Iaius Ferrariæ iam ſolus, feraci labore excolendis animis inſudauit, apud Ducem præſertim Herculem, qui eum ſibi in patrem ammæ delegit, eiuſque gratia paulò poſt magnis auxiliis Societatem tutatus eſt, fera vexatione agitatam. Xauerio inter hæc, ſuum Bononiæ arduum, nec pati nec agere defuit: illuc aduenerat cum ante omnia enixe cupiit ad beatum corpus S. Dominici celebrare, quod habetur illic in magna veneratione, cumque illi eſſet propensè addictus, faciendo ſacro pietatis motus inſignes perſenſit cum grandi copia lacrymarum: aderat facienti inter alios monialis, ſancta & nobilis ex tertio Ordine S. Dominici quæ ex Hiſpania ad ſepulchrum optimi parentis, vitæ reliquum actura venerat. Hanc cepit deſiderium cognoſcendi de paupere illo Sacerdote, quis eſſet, cuius eſſent in Deum tam ſublimes affectus tamque inſoliti; ſecum ergo adſcita ſibi amiciſſima comite, alloqui hominem voluit, nec fuit niſi de diuinis ſermo, in quo Xauerius tantos pietatis exeruit ſpiritus, vt Iſabella Caſalina monialis comes, & ipſa eodem ex Ordine, velut Deo plenum ſuſpexerit, & mirificè apud patruum ſuum deprædicauerit. Erat is Hieronymus Caſalinus Foroliuienſis S. Petronij Canonicus, & in templo S. Luciæ Rector, cui nec difficile perſuaſum vt educto extra noſocomium Xauerio domi ſuæ hoſpitium daret; nec ægrè ab eo agnitum quantæ

sanctitatis hospitem haberet, nam ex solo affatu quis esset Xauerius eminebat. Sed multo clarius vita omni perspecta inedomitis animi motibus admiranda, & in discruciando corpore inuicta, seræna nihilominus, valdéque hilari vt in qua Deo placendi alacritas, sensum omnem cùiusuis molestiæ sopire videretur. Haud tamen valuit pius Canonicus ex eo extorquere, vt alio pane quàm emendicato vteretur, vel remitteret aliquid de seueritate erga corpus, quæ concionum sanctis laboribus, aliarúmque occupationum ingraueſcens vires illi diuturnas spondere non poterat. Magnis quin etiam desideriis opperiebatur prædicti sibi Vincentiæ ab S.Hieronymo agonis, futuras Bononiæ cruces, & vero his breui dedit initium haud paulò acerbiot aliquor mensium quartana, quàm si nullis cessisset interuallis, nam & ferendo ægrotum agere, febris necessitas cogebat; & sanum quietis vacuæ ardor impatiens, nec existimabat tanti esse quartanam, vt vel deberet animorum quæstum inhibere, vel asperitatis assuetæ partem aliquam sibi detrahere. Aliundè verò ex fractis naturæ viribus, dolorum sensus fiebat acutior, quanquam, vt hunc Deus voluptatibus animi leniebat, iisque potissimum, quæ illi de reconciliatis Deo hominibus perditis affluebant. Quod si coniecturis assequi lubeat, cum scripto traditum non extet, referam quod illi Bononia dum Indias peteret transeunti obuenit. Nam vt primum adesse percrebuit, gestire lætitia ciuitas, ardere desiderio videndi, audiendíque supræma ex eo monita, faustámque adprecationem, magno numero ad S. Luciæ duabus ante ortum diei horis accurrere, (diuerterat enim in ædes Casalini Canonici proximas) præstolaríque dum prodiret ad peragendum sacrum, vt autem comparuit, circumsistere illum peramica gratulatione & teneritate tam familiari, vt oportuerit seorsim singulos ab eo audiri, & peculiari quemque affatu recreari. Re diuina multis cum lacrymis peracta, cœlesti epulo multos tum eo die impertiit, tum consequentibus aliis quibus ibidem cum Oratore Lusitaniæ substitit; eo quidem, & confitentium, & consulentium affluxu, vt de eo Martij vltimo ad Ignatium scripserit, multo plus sibi negotiorum fuisse, quam Romæ ad S. Ludouici, vbi tamen occupatissimam operam copioso prouentu collocarat: proficiscenti demùm amicorum, & piorum ingens frequentia adfuit, vt sibi vltimum bene precaretur flagitantium, quorum ipse vicissim cum sibi ad Deum preces deposceret, subdidit extremum hoc fore quòd se essent visuri, quæ verba omnium excepta sunt fletu, & fuere qui vellent quocumque gentium ac maris, illi se comites addere, quorum ad iter adeo immensum, vt acquiescere votis non potuit, ita nec vetare quin assectarentur sat longo spatio, euentu licet optatis contrario, quo enim diutius illius aspectu auditúque iucundè potiti sunt, eo ægrius tandem ab eo diuelli oportuit. Haudquaquam tamen Xauerij discessu, nobilissimæ ciuitatis in Xauerium, aut Xauerij in illam amor intepuit: in eius siquidem gratiam, accita est illuc Societas, eadémque illi S. Luciæ ædes attributa, ad quam cubiculum habuerat, quod eius postea dicatum memoriæ in sacellum egregium

egregium Deo sacratum est. Vice versa sanctus hodiéque pergit benè de se meritam ciuitatem miraculis, & beneficiis prosequi, admoto ad ea obtinenda lucernæ oleo quæ coram illius imagine, in eodem sacello perpetuo ardet.

XXXIX. *Iter Ignatij Romam & Christi promissio de præstando illi Romæ auxilio.*

Atque hæc de rebus sociorum Patauij, Ferrariæ, & Bononiæ gestis ad nos peruenerunt. Ignatium verò, quem Romam profectum cum Fabro, & Lainio diximus, quàm carum gratúmque haberet, viso admirabili ostendit Deus, quod in hunc modum ei obiectum est. Postquam Galliâ discedens, in Italiam venerat, redire animo illos sensit familiares cum Deo congressus, & inusitatas effusi cœli delitias quibus olim Manresæ assuetus, Parisiis dein subtiliorum studiorum perplexa meditatione fuerat imminutus. Nunc vitam agens omninò cœlestem, annóque sibi post Sacerdotium assumpto, ad parandas sacrificiorum primitias, totum se votis ardentissimis apud Beatissimam Virginem dicabat: quorum summa hæc fuit, vt Magna Dei mater se totum integrè, in filij sui perpetuam possessionem transcriberet, His verò precibus subdebat faces ingens amor nouis quotidie ignibus inardescens, exprimendi ad viuum in seipso Christi; eiusque pro Dei gloria, bonóque animarum patrantis grandia, magnáque patientis veram imaginem in se transferendi: huic apparatui intentus, Romam iter suscepit, in quo apud se assiduè versans quam deuotum ibat Vicario Christi suam sociorúmque vitam omnem, eo incendebatur validius quo fiebat vrbi propinquior, vrgebátque vehementius, vt nihil iam sui, sed Christi totus esset, totus in eius gloriam absumendus. Pergebat flammis talibus incitatus, cum Senas præteruectus, paucísque iam Roma milliaribus, tantisper duobus ab sociis velut obiter subducit sese, & sacram ædiculam viæ imminentem, semirutam, & incompositam solus subit, solus illic non longa, sed feruenti prece, pusillum Christo Societatis eius commendat gregem, quam eius Vicario delatum ibat, & quæ destinabatur in aliquod populosæ illius Societatis initium quam toties illi delineauerat; facturum se illius auctorem patremque pollicitus. Atque hic raptu occupatus dulcissimo repente ab sensibus auelli, & mentis oculo æternum Patrem clara in luce conspicere, audiréque vultu summè amabili ad filium conuerso (qui sub crucis fatiscens pondere ibidem adstabat) commendantem se illi mancipantémque se vt illius esset, atque vt verbis Ignatij vtar, cum illo statuentem, hoc est illius obsequiis totum penitus addicentem. Filium verò, tantæ deferentem commendationi, reductis in se ore admodum seræno oculis, concepta hæc sibi dicere. *Ego vobis Romæ propitius ero.* Post quæ sibi iam redditus variis cœpit motibus affici, fiduciæ præsertim maximæ, timorísque non parui. Christum enim se illi sic præbuisse spectabilem, velut cruci magis qua erat onustus, quàm sibi adiungi cum vellet, omen credidit durorum casuum, quibus esset Romæ certò exercendus; promissionem verò propitij ab Christo præsidij spes esse duxit, minimè dubias, cruces quamlibet graues portandæ incumberent, fore semper secum iunctis

Christi

Christi humeris leuiores. Quare egressus sacra illa æde, suósque assecutus inflammato vultu, & gaudio impar, visa auditáque distinctè iis exposuit, vt in omnem euentum eos animaret, tum, haud scio, inquit, cruces ne an rotæ nos Romæ maneant, quo tanquam victimæ ad aram duci videmur Deo præeunte; quodcumque illud est quod minatur, eamus illi alacriter obuiam, securi crucem quæcumque ferenda sit, sine Christo minimè futuram, & Christi præsidium ad opem fore semper nobis hostium omnium coniuratione potentius.

XL. *Franciscum Stradam suis Ignatium adiungit.*

Romam Octobri attigerant anno 1537. & voti fidem præstituri, suo & sociorum nomine confestim Christi Vicario se sistunt; admisit Pontifex oblatam operam magna significatione paterni amoris; & sacris paginis in Sapientiæ schola explicandis Fabrum; Lainium Theologiæ docendæ assignauit, Ignatio interim iuuandis animis, totis viribus attento. Nam viros Principes nonnullos Exercitiis spiritus excoluit, inter quos Contarenus S. R. E. Cardinalis, deinde (quod ante iam memini) Ortizius, cum quo propterea in Monte Cassino dies exegit quadraginta, vnde rediens Romam socium recepit succidaneum Hozio quem Deus ei abstulerat, licet eo inter superum choros viso, vtiliorem illic Societati putaret fore esse in quàm terris potuisset. Noui socij nomen Francisc. Strada, natione Hispanus magnis ab natura dotibus præditus, Romam, vt assolet, fortunæ in aula melioris illicio adductus; sed solum nactus operosæ culturæ admodum ingratum, aulam militia; Roma Neapolim mutare cogitauit, esto futurus minus diues, at magis suus. Hæc dum animo versat, Deo sortem illius secundante, Ignatio occurrit sibi minimè ignoto, vtque mos est infelicibus, suas cum amicis dolere miserias, sua cum illo aduersa questus est, nec de Neapoli, & militia tacuit, eiurandæque aulæ fastidio. Ad quæ Ignatius tantisper se colligens, motúsque potius iuuenis cæcitate, quàm querimoniis, alia omnia quàm quæ expectauerat respondit. Nam de hominibus, inquit, nec iure, nec benè expostulas; nihil præter quod decet ac solet, ab iis peccatum est, dum frustrati sunt spes tuas; quin imo gratiam iis debes, quod se tibi non dissimularunt, verum ab initio statim palam tibi fecere cuiusmodi essent, quo pacto suos habere soliti, qua mercede illorum seruitutem pensare: iniquiores tibi fuerant si benigniores, aliàs tamdiu illos ignorasses dum te amara mors ab iis seiungeret, cum vltro nunc possis magno tuo merito illos contemnere; si prudenti aure quod suadent auscultas, alium tibi quærendum inclamant cui melioribus conditionibus seruias, quam vitæ, laborumque iactura. At tu naufragi more, dum exeraris mare in quo periisti, aliud in quo denuo pereas inquiris mare, militiam ex aula, vrbem aliam ex alia captas; quasi non sint futuri homines iidem Neapoli qui & Romæ mihi crede, si roges sursum deorsum hanc viam commeantes, multos reperies, iisdem: Romam Neapoli cogitationibus actos transcurrere, quæ te nunc Roma Neapolim agunt, nempe vt alibi hoc quærant quod vndique hominum, & locorum sapientius fugissent.

Quare

Quare tuas sanè spes magis superstites doleo, quàm delusas; & si consilium ab amico lubet accipere, audire saltem quod decet suggeri ab amico, nec tibi sat vnquam cum hominibus conueniet, neque illis tecum, & illam animi quietem frustra tu semper aliunde sperabis, quæ extra Deum nullibi est. Nam finge homines supra datam fidem, & obsequij meritum vincere spes tuas liberalitate, dent licet quicquid sunt, ac valent; non ita explebunt desiderij tui sinus, vt nihil præterea requiras; at si Deo incipies adhærere, tantùm statim bonorum potiere, vt præ illis tibi cætera omnia flocci fntura sint. Horum Ignatij verborum tam præsens fuit, & opportuna vis, vt retro hominem verterit pro explorata re iam prospicientem, miserum esse malè ab hominibus haberi, sed multo miserius haberi benè. Ergo Ignatium secutus, eiusque post obita Exercitia socius; in virum euasit Apostolici Spiritus, quem magnis tota Italia, Belgio, Hispania & Lusitania, concionum, itinerúmque laboribus consecrauit, grandi sane fructu conuersarum ad Deum animarum.

Fuit is Romæ Ignatio, & sociis cursus, cum tempus rem agi visum est, XLI.
in quam semper defixos tenebat oculos. Dandi videlicet religiosæ quam moliebatur, familiæ certum initium. Ad hoc socios omnes Romam literis euocauit ad diem Christo resurgenti sacrum anni 1538. nec leuis negotij res fuit, suis illos stationibus mouere, vrbesque illorum operam, magno suo expertas commodo, adducere ad concedendum iis commeatum. Eorum aliqui piorum humanissimo comitatu deducti sunt, inter quos Rodericius & Codurius comitem habuere Patauinum ex primariis Canonicum secumque patiter peditem, quem Laureti demum reliquerunt virtutis suæ constanti duritie mirè captum, quòd præter quotidianum ieiunium nocturnæ quietis pusillum quod erat nuda etiam in humo caperent. Quod autem noctis supererat precando de genibus ducerent, dum hora repetendi itineris adesset. Degebat tunc Ignatius ad radices montis à Trinitate dicti duobus cum sociis commodata in domo ab Quirino Garzonio nobili Romano: excipiendis aliis, hospitium amplius piorum charitas parauit, vbi paterna Ignatij cura ex itinere recreatis, Xauerio maximè, cuius in posterum desperabatur valetudo; Valentiam vsque aureos quatuor Ignatius remisit, quos à Martino. Peresio in transmarinum iter acceperat, ducentos decem quos à Pontifice, & quibusdam Hispanis, Ortizio reddidit, quo suggerente donati fuerant, vt quando iam esset irritum petendæ Palæstinæ cui fuerant assignati, consilium, pro prudentia illos dispensaret. Inde bona cum venia Ioannis Vincentij Carafæ Cardinalis, Romæ Pontificis Legati (Nicæam enim Pontifex ad Carolum V. & Franciscum 1. conciliandos adierat) partitus est suos in diuersa loca, ad conciones, doctrinam christianam cæterámque animarum procurationem: is quidem sibi templo Monserratensis Deiparæ ad Sauellum forum reseruato, Xauerium & Fabrum ad S. Laurentij in Damaso; ad S. Saluatoris in Lauro Lainium misit; Salmeronem ad S. Luciæ; Iaium ad S. Ludouici Gallorum; ad S. Michaëlis

in piscina Rodericium; denique Bobadillam ad S. Celsi in argentariis. Magnam primùm exciuit ad audiendum frequentiam, nouitas, & Sacerdotum ex pulpito in sacra castula agendi vsus insuetus; post efficacitas, quam eorum verbis, diuinus indebat spiritus, vitæ sanctioris exemplo incitata, audientium numero, fructum breui adiunxit Romæ in aliam mutatæ. Nam restitutus est postliminio tandem Sacramentorum frequens vsus, vigétque nunc etiam ac floret, in omnem porrectus Christianitatem; puellis periclitantibus,orphanis; ex Iudaismo conuersis, & meretricio, liberali consultum charitate, quam Ignatius postea perpetuam fecit. Reliquis præterea vrbis templis pulchra laudis eiusdem æmulatio glisscere; eadem quam nostri opera præstari initiandis doctrina fidei pueris, & more stabili docenda festis quibusque diebus populi concione.Tametsi verò Lainius,Salmeron,& Bobadilla cum admiratione audirentur, vt qui præter dotes perfecti oratoris, diuinæ gloriæ studio flagrarent; sed Ignatio par nemo vehementia pietatis, efficacia sensuum, & rationum grauitate; illo itaque audito aiebant cordati homines, Dei verbum in ore Ignatij natiuum pondus obtinere, cúmque id alij vestirent, ab eo exutum adscititio ornatu, grandius, & præstantius videri; suo enim quodam excellenti modo, rationes ad persuadendum, instar ferri ad pugnam, nudatas stringere, illásque magis vt per se reipsæ sunt, quàm vt esse dicebat intorquere. Ea demum in omnes socios redibat voluptas, ex prouentu laborum vberrimo, vt illos in noctem sæpius; non ieiuni modo protenderent, verùm tunc etiam cogerentur ad ieiunium soluendum cibum precario quærere, quæ sola iis erat ad victum annona.

XLII. Sic ergo fluebant Societatis negotia, cum adspirantes inter fauonios à violento correpta turbine, peribant funditus, nisi misericors Dei manus, illis opem tulisset. Tempestatis auctor frater quidam Augustinus, ortu Pedemontanus, Augustinianum heremitam professus, fide ad speciem orthodoxus, clam exquisitissimè Lutheranus. Hic Papæ aulæque absentia bellè vsus ad proseminandam Romæ hæresèon pestem, periculum sui & dare, & facere concionando aggressus est, in quo dictionem à natura sortitus euolutam, & sponte fluentem, mira dulcedine pellectum tenebat auditorem. Haud tamen se statim vel palam protulit, sed famam sibi, iam nactus aliquam, & populi gratiam, tunc veris, & ab Ecclesia probatis, Lutheri interiicere placita, obiter tamen, furtímque obiecta; móxque fuco obducta probabili, ne cui facilè paterent. Contigit verò Deo ita volente,vt audiretur à quibusdam Ignatij sociis, qui tum ex recentibus studiis calentes, tum ex assidua cum hæreticis concertatione, vulgatarum hæresèon notissimos habebant characteres, statimque ab iis deprehensum, eo in homine Lutherum loqui, sed lingua truncum, vt qui nimis quidem intelligi cuperet, sed non auderet disertè se prodere; cumque iterum ac sæpius interfuissent concioni, numquam non aut sibi similem, aut seipso peiorem inuenerunt.Occurrebat vna illius defensio,si fortè insonti deceptus

ignoratione,

ignoratione, populum quoque vel nolens deciperet. Quare illum officiosissimè adire, bonam eius mentem, & candidam laudare; quæ tamen ipsi veluti excidissent seorsim coram singula censere, probaréque hæc ipsa mera esse, ac puta Lutheri dogmata, vt ipse ab iis & pedem referret, & inductum in ea populum quoad ius & fas dedoceret Mirum est hominem dum se vidit manifestè adeò teneri, haud tamen fuisse suo tam grandi periculo conturbatum: sed enim & aura populi, & beneuolentia procerum, apud quos valebat plurimum, frontem sacrilego aduersus monita fecerunt: monentium itaque malignitatem incusare, & obiurgare ignorantiam, qui se illi magistros obtruderent quem indigni essent magistrum habere. Si erant indocti, discerent; si neque id possent, tacendo sibi consulerent, nec nomen captarent singularis doctrinæ, improbando quæ probaret Roma, & communi consensu adplausuque audiret. Quod si sua luce iis officiebat, dolebántque iis oculi, dum esse hunc cernerent, quod ipsi non erant; tentarent & ipsi aliquid, niterentúrque eadem præstare, nec crescere ambirent deiectione alterius, notandis quæ docebat sanis, & integræ fidei, censura hæreseos periniqua. Cæterum vt intelligerent quanti eos, & monita illorum quam nihili faceret, suæ quamprimum adessent concioni, effecturum se vt hæc eadem & ipsi magna sibi voce occentari audirent, ex quibus se hæreticum probare, quales forte ij erant, voluissent; quæ si ab aliis sexcentis haud paulò melioribus quàm essent, cum laude excipi, vel inuitè viderent; erubescerent tandem, aut impugnare saltem desinerent. Hæc ille, quæ nimis abundè postea impleuit. Patres ergo priuata admonitione, tam infelicem sortita exitum, incumbere sibi pro officio statuerunt, vt modis omnibus publico exitio cauerent, cœperúntque suis quisque de pulpitis, interserere doctrinæ de moribus, controuersa quædam de indulgentiis, de auctoritate Pontificis, de excellentia cœlibatûs, de bonis operibus ad fidem necessariò adiungendis, in quibus articulis prævaricabatur Lutheranus. Ictus est inuicta audendi constantia homo nequam, desperatóque effugio publicæ disputationis, qua compelleretur ea liquidò explicare, quæ nisi ambiguè fraudulentérque proposita admitti non poterant, artem commentus est sceleratam, asserendi sibi Catholici laudem, aduersariis in suspicionem hæreseos coniectis. Magna igitur pompa fidelitatis eximiæ, exaggerare primum auitam fidem, eiusque tuendæ obligationem; tum ad Ignatium paulatim delabi; monere cauendum vnicuique ab simulato in pastorem, nedum in ouem lupo, qui diu latens, per celeberrimas Europæ Academias oberrasset, magnis editis stragibus animarum, quibus & confidentior & robustior euadens; Romam demum cum aliquot concoloris pili bestiis aduenisset, vt supremos in ea conatus depromeret: meminissent hanc esse magistrorum hæreticorum artem, suam aliis lepram, doctrinæ prioris simulatione affingere, vt ab lue putentur immunes, cuius alios implacabiliter condemnant. Scirent etiam, nullas Ecclesiæ infestiores

fuisse sectas, quam quæ sanctimoniam præferrent; attritas vestes, & asperas, seuera ieiunia, modestum sermonem, suique contemptorem; victum vltra parsimoniam austerũ; mentis speciem à priuatis suis rationibus, & commodis alienam; & ab culpæ cuiusuis nubecula abhorrentem. Ne vellet Roma, esse minus prouida, quàm (serius licet) fuerat Complutum, fuerat Salmantica, Lutetia, & recens Venetiæ, in quibus Ignatius apertissimæ damnatus hæreseos, quà palinodia, quà fuga se rogo subduxerat, cui suis cum aliquot scriptis fuerat addictus; esse autem Romæ integerrimæ fidei homines eiusdem cum illo nationis, imo vnum eius inescatum dolis & olim Sectatorem, post verò agniti horrore periculi desertorem; & hos sibi pro testimonio dicturos. Porro testes istos tam sanctos, intelligi volebat Hispanos tres, Petrum quendam de Castella, Franciscum Mudarram, & Barreram nescio quem quos sua probè tinctos fuligine, virorum principum in aulas sparserat (ad quas illis dabatur aditus quod essent alicuius notæ) vt quæ ipse dixisset, seriò, sanctéque confirmarent, porrò quem aiebat Ignatij desertor, fuit ille Michaël Nauarrus quem postquam sæculo valedixisset Xauerius, interficere Ignatium voluisse initio diximus, quod se subsidio priuatum videret, quo ab Xauerio alebatur; paulò post bono malove instinctu, Xauerij forsitan retrahendi, dederat se Ignatio socium; sed vitæ illi magnarum mentium nimis impar (cum esset tota ex carne concreta, & vilis anima) ne experiri quidem illam sustinuit, verùm ea inspecta, pedem retro mox tulit: postea verò, incertum quo fine, Venetiis iterum, ignauæ illius pœnitentiæ pœnitens Societatem Ignatij prensauit, sed ob leuitatem hominis vitream atque infidelem, repulsam passus, eaque offensus, ex discipulo, & assectatore, quod esse ambiuerat; vt primum res tulit calumniator, & hostis effectus est. Romam Ignatium præuertens, & per tres alios quos dixi, cum iis prædicanti hæretico fœderatus, illius egit interpretem, vulgandis atque adstruendis suo & experti & oculati testimonio quæcumque is euomuerat; eóque homo venalis animæ processit, vt calumniam pecunia venditam, ad tribunal deferret Benedicti Conuersini tunc Gubernatoris, sic enim apud se Pseudo-Monachus ratiocinabatur, nostros domi suæ validè occupatos, aliorum curam facilè omissuros. Hac tam atroci grassante calumnia dici non potest, quàm pœne momento, Ignatij, sociorúmque res, vrbe tota scenam mutauerint: auditi prius obseruatíque velut homines Dei, nunc vbicumque occurrerent, despici, dicteriis appeti, notari digito pro sycophantis, & hæreticis, hominum vero sermonibus, clam & in circulis haud aliter iactari quam vt flagitiorum immanium, & contaminatæ doctrinæ comperti. Omnis iam eorum & vitæ ratio, & occupatio ob quam cunctis ante fuerant venerationi, larvata vafrities cantabatur, & personata improbitas, nec erat qui sibi cum iis aliquid fuisse indicaret; tantum aberat vt verbum pro illorum causa mutire auderet, [cum enim in dies crederentur ex probroso damnationis Theatro ad rogum trahendi, nemo sibi tantum confidebat, vt videri posset illos nosse, vel quic-

quam

quam negotij cum iis habuisse: tantúmque valuit hic timor apud Sacerdotes duos, vt relicta Roma, & quæ Romæ habebant omnibus, extra ditionem Ecclesiæ sese proriperent; & quo nescitur, se abderent; etsi enim iussu Cardinalis Vicarij fuissent in audiendis populi confessionibus Ignatij, & sociorum adiutores, sed vbi putarunt omnia in præceps ruere, veriti sunt ne eâdem, & ipsi ruinâ premerentur. Iam ex decantata de iis fama volabant quaqua versum Epistolæ, scribebant aliqui reducta simulatione, hæresis conuictos; nonnulli etiam enormium scelerum; quidam adiudicatos igni, alij iam crematos: Dormire interea videbatur in nauicula Christus, dum supremam tempestas in rabiem surgeret, excitatúsque ventis ac mari minaretur, fierétque vt ait Origenes *de magna tempestate, magna tranquillitas.* Triumphabant verò Ignatij hostes, vulgo spectabiles, & multa tumidi gratulatione, quod eam detexissent luem, quæ hoc nocere solum potest quo potest latere. Verumenimverò cuius præcipuè caput petebant hi turbines, nunquam illos sibi metuendos putauit, sed pro gymnasiis habuit illius fiduciæ, cuius opus est palmare, tanto confidentius de diuino auxilio sperare, quantò videntur magis omnia extra spem afflicta, & perdita. Quare animos addebat sociis si quem vidisset iis turbis attonitum, & assiduis lacrymis repræsentabat Christo, quod sibi Romam aduentanti dignatus fuerat polliceri, cuius quidem promissi, expuncta parte iam altera quæ sibi tacitè crucem spoponderat; dignaretur se altera quoque parte, qua propitiam opem, perspicuè adeò claréque promiserat. Audiuit preces, & lacrymas Deus, ac ne dubium foret quo sedante tempestas posuisset, inde primus quietis affulsit radius, vnde minimum sperabatur. Ignatium amici non omnes adeò fugerant vt ne vnus quidem in fide perstaret. Is fuit Quirinus Garzonius, qui Romam appulsum domo exceperat, & familiari cum eo assuetudine sic introspexerat, vt ad euertendam quam de illo formarat sententiam, frustra Romæ totius sermones, & iudicia pugnarent: aliundè verò tam erat sinceri, & candidi pectoris, vt vilis animi duceret, amici salutem, aduersantium gratiæ donare. Hunc ergo & sibi affinem & valde carum Ioannes Dominicus de Cupis sacri Collegij Decanus, & vir grauissimus acerbè increpuit, quod se Ignatio addictum non dissimularet; addiditque, ad illum ab eo affectu extricandum, non agi modo de fœda macula eius nomini inurenda, sed de ingenti quoque pernicie in eius animum reditura ex vsu hominis qui totus esset ex flagitiorum colluuie concretus, & de quo incertum qua fide viueret, nisi quod procliuis erat coniectura illum pessimè credere, qui tam nefariè viueret. Pergebat narrare quæ illo audierat sane atrocia, verum Compluti, Salmanticæ, Parisiis, Venetiis, procul videlicet, ab eo perpetrata, pro tribunalibus cognita, exiliis, & igni damnata; cumque intulisset Quirinus se satis non capere cur linguis paucorum longinqua iactantibus deberet plus fidei quam propriis oculis rerum præsentium testibus; misereri se illius, vultu significans, & hoc, inquit, inter alia hominis facinora animaduersum est

quos libuerit ab ipso incantari, & cerebro minui, ita sibi aliquot adiunxit socios, ita quantum intelligo, te quoque sibi adstrinxerit. Huius colloquij seriem ipsimet Ignatio cum distinctè exposuisset Quirinus; nihilo inde commotior, Cardinalis studium ac fidelitatem laudauit Ignatius, quod amicum vellet à suspecto sibi, & quem improbum censeret homine quam longissime abesse; ne suam scabiem illi affricaret, tibi de cætero illud persuade futurum contra omnes mortales in mea causa Deum, cuius victoriæ ipse & suo tempore spectator futurus es, Cardinalem verò, quem norat sapientia præstantem, si vel semel daretur alloqui, dixit non dubitare se quin esset ab eo errore abducturus, nam sua denique veritatem semper luce splendere; tenebris suis horrere mendacium, huic dissipando apertéque purgando, sat esse veri præsentiam. Suscepit Quirinus curaturum se illi aditum apud Cardinalem, paulóque post non ægrè impetrauit spondens scilicet fore, si eo audito reum iudicasset, se quoque pro reo habiturum, nec deinceps cum eo sibi quicquam futurum negotij: At hic optimus Cardinalis dum admissurum se hominem annuit, nesciens vaticinatus est; adduc sis illum, & veniat; audiam non grauatè, atque vt commeritus est habebo, & habuit verè, sed planè alio quàm intelligi volebat sensu. Venit Ignatius, in secretum conclaue accersitur, auditur. Quid autem, quo modo dixerit aliunde haud sciri quàm ex iis quæ consecuta sunt, potuit: primum enim ex mente Cardinalis, perperam impressa opinionum atrocium simulacra deterfit penitus; eo illum deinde adduxit, vt iis doleret se præoccupatum incautius, nec dubitaret earum veniam flexis genibus ab Ignatio poscere. Quod ex ore ipsius Cardinalis, Quirinus postea retulit, tunc verò congressus euentum operiebatur qui duarum ferme horarum fuit, cum ecce tibi prodit Cardinalis honorificè deducens Ignatium, & singulari beneuolentia, audientibus clarè qui aderant, suam illi tum in causa præsenti, tum in alia quauis tutelam deferens. Exinde iussit vt quot hebdomadis panis & vini eleemosyna ad eum eiusque socios perferretur, quæ nunquam intermissa est quamdiu fuit in viuis Cardinalis. Hoc euentu tam fausto edoctus Ignatius defensionem sui à Deo susceptam, animos sumpsit ad vrgendum quod illi tunc sua dictabat prudentia; causæ videlicet tam grauis perfectam, & liquidam absolutionem, in Gubernatoris foro apud quem Michaël, suas Ignatij deposuerat criminationes. Ergo dicto die sistit se cum accusatore Ignatius. Hic effrons, & confidenter accusator, se testem fuisse spectasséque Compluti, Parisiis, & Venetiis, cum Ignatius apertissimæ hæreseos, & flagitiorum immanium damnaretur. Eum decretam iudicio pœnam fugâ deuitasse; inde contumaciæ haberi reum & hæc certa esse, & vidente se gesta sanctissimè iurabat. Contra Ignatius frigidè ac seræno vultu, Epistolã profert, aduersario ob oculos ponit, quærit, ecquid eam manũ, ecquid recolat characterem? Ille nihil præterea cunctatus manum absque vlla hæsitatione agnoscit suam vt reipsa erat. Benè est, subdit Ignatius, Te quidem haudquaquam hactenus de me tuo ore loquentem audiui, sed cuius agebas

interpretem

intepretem quique linguæ tuæ edenda credidit, quæ tute pro tuis venditasti: nunc volo te ipse audias, at qualis tunc eras, sincerum, & castum, nulla tuarum rationum cupiditate actum, sed de explorata mei notitia, & beneuola de me animi tui sententia locutum, sub quæ illi Epistolam perlegit, ab eo ad amicum datam priusquam Ignatio hi venti reflarent, ipséque illum odisse inciperet. Scribebat autem de virtute & innocentia viri sancti, cuius vbicumque cum illo fuisset; spectator, & testis fuerat, & iis laudibus eam efferebat, quibus non potuisset Ignatius ampliores suggerere, si eas in rem suam dictasset literas. Impalluit scilicet periurus nebulo, videns se manifestò teneri secumque apertè pugnare, & qui confidentia petulanti tantopere antea perstrepat obmutuit, anceps verum fateri, an eiurare Epistolam; effugij aliquid comminisci, aut nouam deberet calumniam struere, in pauca igitur, & inuita verba responsionem adeò confudit, vt nihil aut pro se, aut contra Ignatium cohærenter dixisse visus sit. Sic primus ille congressus solutus est, verum nec vna neque potissima Ignatij defensio hæc fuit. Accersiuerat inde diuina bonitas patrocinia innocentis, vnde Romam calumniæ venerant, Venetiis, Compluto, Parisiis; & miraculo par adfuisse tunc Romæ tres illos Iudices à quibus Ignatius pronuntiatus fuerat, innocens iis tribus in vrbibus, in quibus perfidus accusator damnatum fuisse iurauerat. Nam Venetiis Gaspard de Doctis pro Nuntio Auditor; Compluto Vicarius Ioannes Figueroa venerant: Parisiis Orius sancti Officij Quæsitor, suis quisque Romam priuatis rationibus aduectus, quas ad Ignatij gloriam conferens clementissimus Deus, testes illi virtutis vnà tres protulit qui fuerant illius iudices vt apud orbis vniuersi primarium tribunal, innocentiam illius fide publica indubitatáque contestatam posteritati transmitterent. Quo facto pariter videbatur postremus fabulæ claudi actus, in qua tristi & læta diu egregiè partes suas calumnia, & æquitas egerant. Restabat ad vltimum vt ab omni næuo vindicaretur etiam Sociorum fama, etsi enim purgata in laudato absolutóque Ignatio videri poterat, cuius solum causa & communione fœdata fuerat, verum ad Ignatij bonum nomen intererat plurimum, vt Sociorum quoque probitas, & virtus testimoniis illustribus constaret. Quod item Deo prolixè fauente contigit. Vt enim percrebuit de confictis in illos criminibus, adfuere confestim Ferraria, Patauio, Bononia, à Vicariis, & Episcopis literæ, cum amplissima innocentiæ illorum testificatione, & luculento virtutis præconio: præter quæ Hercules Ferrariæ Dux suo Romæ Oratori mandauit, vbicumque res ferret, pro Iaio, & Rodericio authoritatem interponeret suam, eorumque virtutem sua etiam fide tueretur.

XLIII. *Sententia pro Ignatio fertur, eius calumniatores puniuntur.*

Iam ergo sedatis tot fluctibus, solæ videbantur Ignatio gratiæ supereſſe quas Deo ageret, & pacis tranquillum quo tandem frueretur, nam & obtinebat adiudicatam sibi causam, & damnatus calumniæ Michaël Nauarrus, in exilium eiectus, & incentores illius tres dicta sibi ab Ignatio die

vt

vt quæ de ipso, & sociis vulgarant, coram iudicibus confirmarent, calumniarum probationibus desperatis, intercessores adhibebant potentissimos, vt sat habere Ignatius vellet, si Scribæ Forensis instrumento profiterentur se nihil habere quod ipsi obiicerent, nec se vnquam de illo, rebusque illius, aliter egisse quam de viro integritatis inculpatæ. At is probè gnarus succissis solo tenus virgultis, pullulaturi spem surculi radice foueri, & mala gramina, diu licet emortua, præter opinionem caput attollere, ipsas causæ fibras, & fila vltima omnino reuellenda duxit, eamque suprema sententia claudendam, vt cum delationis iuridicæ falsitas, cognitione item iuridica fuisset, & claris innocentiæ argumentis depulsa, postremo demum iudicio, de vtraque ab Iudice pronuntiaretur; fore alioqui aduersariis in promptu pro sua versutia fingere, comperendinatum, truncatum, sopitum negotium, magnis intercessionibus per Ignatium admotis & præoccupatæ damnationis famam contra Ignatium magna parte Europæ diditam, nullis sat tabulis rescindendam, nisi essent de absoluto Ignatio, authoritate publica confectæ, summisque fidei certæ præsidiis munitæ. Accedebat quod vna eadémque sententia purgandas videbat omnes prorsus accusationes, quibus eatenus in Hispania, Gallia, Italia fuerat appetitus, ex quo calumniis occludebatur os, dentésque concidebant, vt si vel maximè furerent, mordere tamen in posterum non possent. Nam si vnus ipse, sinistra fama laborasset, si pro sycophanta, venefico, sceleroso iactatus; ferendum id non modo patienter verum etiam ob meriti fœnus alacriter. At enim hominem collectis operæ sociis, Christi fidem, ac mores suadere populis parantem, suspicionem hæreseos passum; delationibus vulgatis, etsi non vulgata condemnatione, videri haud factum aliunde, quam quod inhibitus fuerit causæ cursus, vetitusque ad finem perduci. Hoc verò Ignatio ex Dei gloria maiori sua omnia libranti, plane visum est non ferendum. [Scio aiebat scribens ad Petrum Contarenum, hac diligentia me tamen haudquaquam frænaturum, maledicas aduersum nos linguas, nec sum adeò inconsultus vt mihi hoc arrogem, ab earum telis immunem viuere, sed committi non debuit, vt sanæ & Catholicæ doctrinæ adhæresceret, erroris nomen, & macula; vitáque proba, & innocens pro flagitiosa haberetur. Rudes sane audiamus, agrestes, ignari; etiam fallaces, & vagi, & improbi; nihil nostra magnoperè interest; vt autem quam populis tradimus doctrina, notam sustineat erroris; & quam viuimus profitemúrque vitæ formam, existimetur vitiosa; planè nobis non fuit integrum id pati, cum adnos proprie neutrum pertineat, sed Christum, & Christi Ecclesiam petat.] Ab hoc quidem illum proposito cogendæ ad exitum causæ, auocabant quidam ex sociis, modesti magis quàm cauti, & prudentes; id enim fore necessitatis metas prætergredi cui oppressionis periculum seruire iusserat; ruinam reuoluere in aduersarios, solenni iudicio illos damnare mendacij; indignantis ac vindicis animi aut culpam, aut specimen subire, obstabat etiam iustæ Ignatij postulationi, Gubernatoris vt videbatur eratque reipsa quoddam infrigus,

auersus

auersus ab iis animus, & in partes propensus aduersariorum, qui cum essent in aula gratiosi persuaserant, promissionis specie, bona verba Ignatio daret quæ negare non poterat; facto negaret quod videri volens promittere, præstare tamen nullo modo veller. Viro igitur sancto bilinguis huius idiomatis ignaro, significat, mentem hanc esse, Cardinalis legati, vt pro confecta lis, absolutaque haberetur, iuberentúrque partes de cœtero silere. Verùm tota longè in oppositum res cessit: reuerso Romam Pontifice & in secessu Tusculano sub autumnum agente, rediit Ignatio sua spes, impetrandi scilicet ab eo, quod tanto ambitu petitum, Gubernator semper negauerat; & sanè tam æquum petebat, vt eius simplici expositione, illicò fuerit ex Pontifice impetratum, missus continuo ex eius cubiculariis, qui Gubernatori ediceret placere Pontifici vt quæ in eius tribunali pendebat, Ignatij causæ imponeretur finis, & pro partium merito supremùm pronuntiaretur. Interrogantur itaque & tres illi Iudices à quibus Ignatius fuerat Compluti, Parisiis, & Venetiis absolutus, leguntur dicta pro Ignatij sociis testimonia, Exercitiorum liber examini subditur, & iudiciis omnium in rectam Ignatij doctrinam, probitatémque vitæ consentientibus pronunciatum vt sequitur, missáque pronuntiatæ sententiæ apographa quocumque gentium æmuli suas calumnias sparserant,

BENEDICTVS CONVERSINVS.

Electus Britouorienſis, Vicecamerarius almæ Vrbis, eiuſque diſtrictus Generalis Gubernator.

VNIVERSIS & singulis, ad quos præsentes nostræ literæ peruenerint, salutem in Domino. Cum Reipublicæ Christianæ multum interſit, vt eos, qui in agro Dominico vitæ exemplo, & Doctrina plurimos ædificant in salutem, & item illos qui è conuerso potius superseminare videntur Zizania, publicè notos esse, & nonnulli rumores sparsissent, & delationes ad nos factæ, de dogmatibus; & conuersatione vitæ, & spiritualibus exercitiis, quæ aliis conferunt, Venerabilium virorum Dominorum Ignatij Loïo-

la, & sociorum; videlicet Petri Fabri, Claudij Iaij, Paschasij Broët, Iacobi Lainez, Francisci Xauier, Alphonsi Salmeronis, Simonis Roderici, Ioannis Codurij, & Nicolai de Bobadilla Magistrorum Parisiensium, presbyterorum secularium Pampilonensis, Gebennensis, Seguntinensis, Toletanensis, Viscensis, Ebredunensis, & Palentinensis respectiuè Diœcesis: Quæ quidem eorum dogmata, & Exercitia à quibusdam dicebantur erronea, superstitiosa, & à Christiana Doctrina nonnihil abhorrentia, Nos pro Officij nostri debito ac speciali etiam mandato Sanctiss. D. N. Papæ, circa hæc diligenter animaduertentes, quæ visa sunt ad pleniorem causæ cognitionem opportuna, inquisiuimus, si forte de quibus prædicti culpabantur, vera esse deprehenderemus. Quocirca examinatis primum quibusdam oblocutoribus contra ipsos, consideratis partim publicis testimoniis, partim sententiis de Hispania, Parisiis, Venetiis, Vicentia, Bononia, Ferraria, & Senis, quæ in prædictorum venerabilium virorum Dominorum Ignatij, & sociorum fauorem aduersus eorum criminatores prolatæ fuerunt: & ad hæc examinatis iudicialiter nonnullis testibus, & moribus, & doctrina, & dignitate omni exceptione maioribus, tandem omnem murmurationem, & oblocutionem, & rumores contra eos sparsos nulla veritate subnixos fuisse comperimus. Quamobrem nostrarum esse partium iudicantes pronunciamus, & declaramus prædictum D. Ignatium & socios ex prædictis delationibus, & susurris, non solum nullam infamiæ notam, siue de iure, siue de facto incurrisse, verùm potius maiorem vitæ, atque doctrinæ sanæ claritatem retulisse: cum certò videremus aduersarios vana, & penitus à veritate aliena obiecisse, & contra, optimos viros, optimum pro illis exhibuisse testimonium. Hanc igitur sententiam, & pronunciationem nostram, vt publicum eis testimonium

stimonium sit, contra omnes aduersarios veritatis, & in serenationem omnium, quicumque sinistram vllam de eis suspicionem, prætextu talium delatorum, & criminatorum conceperint, faciendam duximus. Monentes insuper, & exhortantes in Domino, & rogantes vniuersos, & singulos fideles, vt dictos venerabiles viros D. Ignatium & socios, habeant, & teneant pro talibus, quos nos esse comperimus, & Catholicis, omni prorsus suspicione cessante. Ita tamen quatenus, in eodem vitæ, & doctrinæ tenore, Deo adiuuante (quod speramus) permanserint. Datum Romæ in ædibus nostris die decima octaua Nouembris, millesimi quingentesimi trigesimi octaui.

NEque tamen hîc Deus causæ huius cursum absolui passus est; Sed in graui, & iusto accusatorum supplicio, quos eorundem conuictos scelerum quibus Ignatium infamare, tot conatibus moliti fuerant, consentanea sceleribus inuoluit pœna. Delatus ab iis Ignatius fuerat quod hæreseos damnatus, & adiudicatus rogo, pœnam fuga vitasset; quæ fuisset in eius statua executioni mandata; hæc verò sors plane eadem vltore numine Mudartam comprehendit, probata enim, damnatáque illius hæresi, flammis addictus est, quas cum effracto carcere fugisset, probrosè sua in statua ad Campi floræ cremata persoluit. Sacrilegij eiusdem reus Petrus de Castella perpetuo carcere clausus est. Pseudo-Monachus Lutheranus, sceleratæ machinæ primarius artifex, ruinam illius in caput suum vergere sentiens ex fuga quam arripuerat Gebennæ constitit, ibidem cucullum quem ad liberum in varias vrbes commeatum, Luthero, si posset, fœdandas, assumpserat, proiecit. Inde inter ministellos nomen professus est; tum author, vt fama est, fuit, pestilentis libri, quod Summarium Scripturæ inscribitur; ad extremum, tradit coæuus illi scriptor, facinorosam vitam, ignis supplicio clausisse. Sed dempto illo, omnes, conscientia ducti saniore, accusationes aduersus Ignatium veraci palinodia reuocarunt, & obire in eius gratia mortem voluerunt. Petrus de Castella, errorum diu pertinax, diuque demorsa sui carceris catena, demum resipuit, atque inter manus vnius de Societate animam efflauit. Mudarra de Ignatio vsque adeò cœpit alia sentire, vt eam ab illo expectauerit bonitatem qua solent viri sancti malefacta beneficiis rependere. Suis itaque in extremis malis, eius opem nec frustrà implorauit. Barrera denique, in vltima vitæ periodo palinodiam, & ipse cecinit, fidéque iis quæ effutierat abrogata, innocenti famam restituit.

XLIV. *Charitas Ignatij, & sociorum in summa annonæ caritate.*

Sic boni nominis auctoritate recepta Patres, iam in publico conspici, iam intercepta repetere ministeria salutis alienæ, atque etiam paulo post, maiori quam prius apud populum in gratia, & pretio esse. Ad hoc mirum quantum contulit charitas, cuius exercendæ in summis annonæ angustiis, Deus illis ardorem iniecit; nam eodem hoc anno perfrigida hieme, Romæ in vicis & compitis iacebant tristi spectaculo, dira fame enecti pauperes, ne valentes quidem insistere pedibus, vt panis tantillum, si quà possent, sibi corrogarent. Hic Patres, qui & ipsi emendicato victitabant, inexhausta Dei opulentia confisi, miserorum sibi curam assumere, tollere illos ex compitis, ducere, humeris quoque impositos vectare, & domo colligere, quam tunc satis capacem, prope turrim mali aurei incolebant. Comportatis illuc quam multos licuit tum lectis, tum vbi deerant ex palea stratis, in iis ægrotos vt commodissimè potuit componere, & alij quidem illis domi adesse, abluendis, purgandis, curatione adhibenda, suggerendis necessariis; vt qui dare se Christo in illis operam certò scirent; alij per vrbem de subsidio videre quod sustentandi sufficeret, in quod piorum liberalitatem exporrexit Deus tam largiter, vt alerent supra quadringentos, atque à frigore nuditatem multorum vestitu defenderent; nec defuit, quem hæc officia inusitatæ pietatis, curiosius inspectantem calamitas pauperum, & ministrantium effusa alacritas tàm piè afficeret, vt sibi etiam detractis vestibus, tegeret seminudos. Quæ cum faustus rumor tota late vrbe differret, Romani proceres indignum rati, cum pauci nihil habentes pares tamen fuissent tot hominibus alendis tantumdem vt minimum ab se non fieri; cepere benignius & victus, & pecuniarum stipem submittere, qua variis locis tribus millibus calamitosorum vsque ad nouas fruges vita seruata est. Sed hæc leuamenta miserorum corporibus præbita, minoris fecerit, quisquis illa cum animorum auxiliis comparauit. Nam vt domum quisque illatus fuerat, ante omnia id exigebatur, vt confessione animum purgaret, excolebantur Christiana doctrinâ, & frequenti adhortatione, statisque quotidie horis ad certarum precum recitationem vnà cogebantur. Quibus studiis assueti dum illic tenentur, eorum fructum tulere longius, sibique impressam Christianè viuendi rationem deinceps adamarunt.

XLV. *Sec in Religionem formanda deliberatio.*

Iam hac partim tam noua, & conspicua charitate; partim explorato detersis ad purum calumniis; innocentiæ candore; Patrum existimatio creuerat, & quidam eodem vitæ genere capti, Societatem illorum ambiebant, cum summus Pontifex significauit Ignatio velle se opera sociorum vti. Quare tempus venisse conspicatus, Societatis in Religiosum Ordinem formandæ, quam vna hucusque sociorum voluntas continebat; rem tanti ad Dei gloriam momenti, ardentissimè illi commendauit, vt in id flecteret sociorum mentes, quod foret ipsi maximè acceptum. Conuocatos deinde monuit proximè instare vt iussu Pontificis seiungerentur in varios tractus, tum; Itane verò, nos, inquit, Deus miro modo, ex diuersis, nationibus selectos nodo mutui amoris tàm forti adstrinxerit; tantoque consensu animorum

animorum, honoris sui destinauerit procurationi, vt longa demum post studia, & itinerum ærumnas, Romam appulsi dissoluamur, seiungamurque soli nullo inuicem nexu, nisi qui solet affectu volubili longinquos nectere: tanti moliminis apparatu, certò mihi suggerit Deus, se maiora spectasse, ardorémque illum diuinæ gloriæ qui nos, lare, patria, bonis, ipsóque adeò iuris nostri arbitrio exuit, haudquaquam nobiscum extinctum iri, quod certè contingeret si nullus foret desiderij nostri hæres, nullus consiliorum ac vitæ superstes imitator. Huic autem malo quo pacto iri obuiam possit, nisi conueniamus in typum Religionis formatæ fixum atque immobilem. Exclusit nos Palæstina Deus, auxit tamen in nobis hominum iuuandorum ignem egregium, indicans, non benè voluisse nos vna prouincia circumscribi, cum ferè vbique omnia, par necessitas premat. Cúmque hactenus tàm pauci, tàm vastum ad opus non sufficeremus, videtis socios ab eo nobis subsidio transmitti. At quibus victuros conditionibus, suíne iuris & arbitrij dominos, ex nullius aptos imperio, & quàm liberè susceptum propositum, non minus liberè mutaturos? longe profecto alia est religiosi Ordinis grauitas, & potestas, authoritate Apostolica firmati; vis alia roburque membrorum corpus vnum coagmentantium, gradus sublimior virtutis, ex certis perpetuísque regulis perfectæ. Rem grandem moueri sentio, multáque & magna transuersum ventura, sed ei facile superabilia, cuius vnius confisus præsidio, nihil despondeo. Si repulsæ metu, & aduersantium incursu glorioſis cœptis fundandæ familiæ abstitissent Patriarchæ magni Dominicus, & Franciscus, quot nunc populis beatorum, careret cœlum, quot Ecclesia filiis, quanto sapientiæ splendore, meritorum thesauris, exemplorum luce heroïca, orbis egeret vniuersus. Nihil hic tantum quod timeam video, quantum quod debeam sperare, dum mente repeto quicquid Dei causa moliamur, *fore nobis Christum Romæ propitium*, & oppigneratam eius rei fidem ab eo nos tenere. A nobis cauendum, metuendúmque solis esset, si nostris iam omnibus voto consecratis, exile id quod retinuimus libertatis nostræ residuum, ægrè, obedientiæ accessu vni capiti subderemus ex quo vnum coalescere oportet, & pendere corpus. Quæ sanè deliberatio, nostra illa veteri egeat solitudine dierum quadragenum, quibus de illa liceret cum Deo propius conferre, sed vetat incertum temporis quo sumus iubente Pontifice diuidendi; & dilucidè vt reor cernitis seiunctionem hanc, propiorem fore dissolutioni, quàm arctiori, si semel discessionem fecerimus vnitati. Quare optimum videtur fore si dies aliquot ab aliis omnibus feriaros precationi totos, & spontaneis pœnis tribuamus, ad exquirendum in re tanti, quid Deo placeat à nobis potissimum fieri. Post hæc sua quisque in medium collata sententia, quid opus factu sit denique statuemus. Ad hæc nihil propius abfuit quàm vt socij omnes, non consulto, sed facto opus esse statim responderint, tum rationibus Ignatij permoti, tum sua illa iam præoccupati consensione mutua, & ardore diu confirmato diuinæ charitatis. Collegere se tamen per aliquot dies, tum concordibus animis inter eos

conuenit,de Societate eatenus libera certis deinceps legibus in Religiosum Ordinẽ formanda,& hic rediit cũctis sensus intimæ voluptatis quo delibuti olim Parisiis fuerant, cum huius quam nunc attollere decernebant Societatis ponerent fundamentum : quod verò totum iis diem conderent auxilia proximis præbenda, statas quot noctibus sibi horas legêre,quibus Societatis rudimenta partésque illius præcipuas communi suffragio designarent, quæ tranquilla per noctem deliberatio menses tres tenuit. Ac ne in semel iam decretis, sententiæ denuo vacillarent, deliberandi modus hic obseruatus est vt procederetur his tribus gradibus, meditatione, Consilio, & Decreto. Posita ergo in medio, re deliberanda, quisque illam seorsum secum coram Deo statuebat, omnique versus illam affectu sepositio cernebat velut alienam, nihilque ad se spectantem, ita semoto proprij instinctus pondere, quod fere mentis iudicium deprimit; eminebat ratio sui potens,& domina, ad perspiciendum, eligendúmque quod optimum foret. Sic autem apud se meditata, fas non erat communicare cum alio, ne ius rationi auctoritas diceret. Postmodum verò vbi conuenissent, suam quisque edebat sententiam, quæ in partem omnem versata, cum in aliquid certi constitisset, tunc committebatur suffragiis, & eorum assensu stabiliebatur. Sic ab Ignatio posita, communibus semper omnium votis probata sunt, vno tantum, atque vna in re excepto Bobadilla, qui munus tradendæ pueris Christianæ Doctrinæ voto nunquam adstringi voluit,cœteris licet id expetentibus; quare illi magis, quam rationibus illius deferri placuit, nec Societatem ei officio strictiùs quàm ad alia obligari. Non vitauit tamen Bobadilla, hac etiam in re, pertinaciæ notam quandam, quod cum in grande incommodum videretur cessurum, si quod alij censuissent, obstinato magis vnius iudicio quàm rationibus irritum fieret; decretum ab iis est, vno contra omnium assensum, animum obfirmante, cassum fore ac nullum eius suffragium. In hunc modum formatum Societatis institutum (de quo explicatius sequenti libro) ab Cardinali Gaspare Contareno Ignatij nomine, Paulo tertio Pontifici offertur, excipitúrque admodum clementer, & retractandum committitur Sacri Palatij Magistro F. Thomæ Badia, qui postea fuit S. Syluestri Cardinalis. Is vero bimestri examine diligentius perspectum, omníque ex parte laudatum, Pontifici retulit cum summa illius approbatione; legit nihilominus illud idem ipsemet Pontifex, non vulgari accuratione, & luce à Deo perspicaci auctus cum rerum eximie gerendarum non ambigua semina in eo comperisset, *digitus Dei hic est*, inquit, & viuæ vocis oraculo probauit Tybure Septemb.3. an.1539.

XLVI. *Societ. Iesu authoritate Apostolica in Religionem formatur.*

Sed probatio hæc vt Apostolica confirmatione sanciretur, & deinceps petitum, & diu multumque in eo laboratum;nam etsi faueret Ignatio Pontifex,sed hac lege, vt Cardinales tres auctores fierent, magnæ quidem illi at seuerioris prudentiæ, flectique difficilis. Cuius primùm in manus negotium venit, aduersaturus certò creditus est, nisi recta in Deum id tenderet. Erat enim is Bartholomæus Guidiccionius, vir integerrimus, & peritissimus

tissimus sacrorum Canonum, adeóque virtutis, & sapientiæ nomine Pontificatu dignus, vt defuncto illo Paulus tertius diceret, successorem se suum amisisse. Verum ab numero religiosorum Ordinum augendo ita abhorrebat, vt omnes potius ad solos quatuor sentiret esse redigendos, quàm de nouo aliquo cogitandum: & elucubrasse de hoc argumento aliquid ferebatur. Vbi ergo sibi mandari didicit de cognoscendo illo quem meditabatur Ignatius, vix proponi rem sibi sustinuit, formam certè videre instituti, omnino noluit, eiusque condendi damnauit consilium, quod diceret, cuiuscumque modi formæque id foret, melius semper, eo carituram, quàm abundaturam Ecclesiam, Religiosas enim familias dum sensim laxantur, Ecclesiæ progressu temporis, eundo plus nocere; quàm olim nascendo profuissent. Atque vt erat tantum apud omnes opinionis eius pondus, facilè collegas Cardinales duos, in suam sententiam traxit. Haud tamen propterea fractior, & minor animo effectus Ignatius: sed pridem edoctus magnis perrumpendis difficultatibus, magna contentione opus esse, pro solemni suo, suscepit negotium, cum Deo vi multa tractare, securus admodum obstiturum ei mortalium neminem, si cœlesti suffragio probaretur, quod quidem haud diu dilatum est, sed modis in speciem optatæ rei contrariis. Magnorum enim & Principum, & Antistitum rogatu Pontifex, socios in diuersa misit. Verùm suam quisque stationem vix obtinuerat, cum Romam vndique perferetur de mirabili successu, quo egregiam illorum operam diuina bonitas fortunabat. Faber enim, dicere liceat, sanctam breui tempore Parmam fecit, cuius (alias enarrandi) vel hoc specimen sit quod plus centum simul quà Sacerdotibus, quà laicis, eodem tempore, Exercitia tribuebat, quibus accipiendis cum pares sint, etiam inter bonos pauci; inde fit facilis coniectura, quantus fuerit numerus reliquorum, ex quibus tam multos seligere licuit, qui possent ad summam virtutem adspirare. Nihilo erat Placentiæ fructuum parcior, Lainij labor quibus Ennius Philonardus Cardinalis, per literas assidue Pontificem Maximum recreabat, à quo eosdem Fabrum, & Lainium suæ in eam Prouinciam, legationis acceperat comites: de Pascasio, & Rodericio Senis idem scribebat Franciscus Bandinus Archiepiscopus; ab iis nempe cleri, ac populi mores, mirabiliter emendatos, moniales præsertim cœnobij cuiusdam implacabiliter Archiepiscopo aduersantes. Nec dissimili opera in Regno Neapolitano Bobadilla; Iaius Balneoregij; Montispolitiani, & Brixiæ Strada, animarum saluti incumbebant; Strada præcipuè tametsi iunior, neque dùm Sacerdos, sed adhuc ardore nouitio feruens. Præterquæ Ioannes Tertius Lusitaniæ Rex, de Ignatij sociis à Pontifice sex petebat quos in Indias mitteret, quamuis duo tantum concedi potuerint, Xauerius, & Rodericius. Ortizius item Caroli quinti Procurator Fabrum impetrauit, ad fulciendam fidem Catholicam, Vormatiæ quidem comitiorum tempore futurum, post verò in Hispaniam iturum. Tam ampla & multiplex testificatio virtutis & Spiritus quo in omnium salutem, & Ecclesiæ sanctæ obsequium versabantur ij Patres. Pontificici sapientissimo

pientissimo fecere perspicuum, hanc esse venam Apostolici Spiritus ab Ignatio profectam, quæ si posset in similes posteros traduci, futuri essent Ecclesiæ magno, perpetuóque, præsidio, sed tunc potissimum in Septentrione calamitosè laboranti, non tamen satis mouebant hæc desideria, ad obtinendum Societati Religionis characterem, Guidiccionio animum semper in oppositum obstinante; videbatúrque Deus, ita hoc opus digerere, vt euidens foret, suum vnius opus esse, quando tunc illud confici voluisset, cum esse extra spem censeretur. Visus quoque est gratificari Ignatio velle, vt qui Societatis semina solo mandauerat, suis etiam lacrymis in segetem ea educeret. Flendo enim supplicandóque instabat Deo finem faciens nullum, sua Christo promissa memorandi atque inter hæc illi succurrit aliquando, vt collectis secum sociorum omnium animis, nouam impressionem in diuinam clementiam faceret. Fecit omnium nomine, & tria millia sacrorum, grati animi Eucharistica promisit si se compotem voti facere dignaretur. Quo certe supremo impetu expugnari visus est Deus voluisse: nam Guidiccionius repente se, quo pacto nesciens, mutatum ab eo qui fuerat mirari, circumspicere, nec vnde id fieret assequi; nisi ex vi quadam suauissimè sibi cœlitùs illata. Vltro iam itaque, Instituti formam deposcere, legere, perpendere singula, cunctísque mirè placentibus tandem concludere, ab nouis Religionibus in Ecclesiam inducendis etiamnum se esse alienum; sed ab iis eam excipere quam proposuisset Ignatius. Adeò in illo alium ab illo loqui censuisses. Duos quin etiam Cardinales negotij secum administros, vt secum sentirent effecit, ac demum apud Pontificem, ex aduersario patronum se præstitit vehementem. Quare submotis quæcumque obstiterant, formaque Instituti; quam Cardinales oblatam cognouerant, particulatim, & placidè librata, Paulus tertius Christi Vicarius Societatem Iesu in Religionem formauit; eiusque Institutum, & nomen maiori diplomate probauit, cuius initium est. *Regimini militantis Ecclesiæ*, &c. dato Septemb. 27. anno 1540. nam etsi voluit sexagenario numero Societatem professam definiri, sex tamen post biennium mensibus, nouo Martij 14. Diplomate, angustias illas penitùs laxauit anno 1543. Incredibile est Ignatij pectus quantis tunc affluxerit gaudiis, quam generoso erga Deum affectu creuerit. Tandem enim post longas peregrinando, studendo, continuandis precibus, & lacrymis, vexationibus, & periculis perferendis ærumnas, & gemitus, tandem, inquam, sua in tuto vota aliquando conspexit, quorum summa hæc erat, vt labores suos Ecclesiæ sanctæ obsequiis, & animarum bono ad Dei gloriam faceret æternos. Ad agendas gratias tanti doni, confestim animum cum sociis contulit, exsoluendúmque quem nuncupauerat sacrorum numerum quorum vnusquisque sibi imperata, tàm religiosè supputabat, vt Indorum Apostolus Xauerius Vlyssipone ad Ignatium scriberet, quàm multa iam inde persoluisset, ex quo de iis monitus fuerat. In Societate verò vniuersa immortales vixere gratiæ Paulo Tertio Pontifici Maximo quem solemus inter nos alterum

rum vocare Societatis Patrem idque propensius quod paternus illius erga nos animus haudquaquam cum illo interiit, sed in stirpis illius principes transfusus cernitur, loquitúrque magnificentiâ operum ab Alexandro & Odoardo Cardinalibus Romæ positorum; ab ducibus vero Alexandro in Belgio,& Rainuccio in sua dictione. Secundam eiusdem beneficij gratiam debet Societas Illustrissimæ domui Contarenæ; scribens enim ad Petrum (cuius ante mentio facta est) vir sanctus, de Cardinali Contareno (rei, inquit, huius à nobis tantoperè expetitæ factorem vbique se præbuit) & hæc licet obiter dicta sint,vt quorum æternis erga nos meritis,futuri sumus æternum impares, iis loco æternæ gratiæ, æternam debiti confessionem rependamus.

XLVII. *Prædictiones de ortu, Spiritu, & operibus Societatis.*

Hæsitaui diu essemne hîc indicaturus saltem diuina oracula, & prædictiones quibus Societatis ortum, instituta, labores, & fructus laborum Deus monstrauerat. Hæc enim cum laudis plurimum habeant, verebar ne minus historicum viderer agere, quam ostentatorem, à quo certè tam longè abhorreo, vt nec propterea velim apicem pingere. Attamen si Deo placitum, suam quoque hanc inter alios Ordines, minimam Societatem hac luce ornare, per me licet, habeat sanè quod Dei munere, ac iure suum est. Porro Deum, & religionum, & eorum à quibus fundandæ, futuros natales, cursusque operum præmonstrasse ex somnio clarum est,quo doctus est Honorius Pontifex SS. Dominici, & Franciſci quas deinde probauit familias,quanto essent Ecclesiæ firmamento futuræ. Illa Romualdi in cœlum scala,&scandentes in veste candida Monachi;illi S. Norberto circum Christi caput de cruce pendentis,spectabiles radij,& peregre ad illum vndique confluentes; stellæ septem,Brunonis, & comitum S. Hugoni Episcopo prodromæ indices, aliaque eiusmodi non pauca, hoc idem loquuntur; vt non sit ita mirum Societatis nomen, institutum, occupationes, si tanto ante Deus ostenderit. Imprimis Rainolda de Arnemio, virtutis heroicæ femina magníque in Belgio nominis, anno 1534.quo Ignatius ad montem Martyrum prima illa edebat Societatis præludia, Petro Canisio tunc admodum iuueni, prædixit Religionem Iesu complexurum, quam breui excitaturus esset Deus, publico quidem omnium,at peculiari Germaniæ bono: præter hanc Mediolani Angela Panigarola in S. Marthæ monialis, multis ante Societatem annis, de illa vaticinata est, ac de rebus tum alibi, tum Mediolani ab ea gerendis. Sed vtrumque quod nunc est notasse sufficiat, suis quas Romæ in tabulario habemus literis opportunius explicandum:vnum tamen neque hic differam, nec ita obiter perstringam quod in posteriori Asiæ parte scribenda memini, & ex veteribus Ordinis monumentis (qui Trinitatis sanctæ nomine captiuorum Redemptionem profitetur) haud pridem ad me transmissum est, cum id ex Tabulario Conimbricensis cœnobij, F.Ioannes de Figueras, totius fere orbis lustrator, magna fide in sui Ordinis historiam transtulisset. Quo igitur anno in hanc lucem venit Xauerius, postea Indorum Apostolus, eodem illic necatus est Petrus de Couillanis vel vt

alij vocant, Cuibianus nempè 1497. Olyssiponensis hic olim prior, tum Vasco Gamæ celebratissimo illi Orientalium Indiarum exploratori & debellatori, à confessionibus, & comes nauigationis extiterat, cum vero à Barbaris, Christi quam prædicabat execrantibus fidem confoderetur telis (quod eius anni Iulij VII. accidit) [in hæc verba prorupit (reddo enim hîc ipsa Historici verba) Breuiter nouus Ordo excitabitur in Ecclesia Dei, Clericorum sub nomine Iesu, vnusque ex illis primæuis patribus, diuino ductus Spiritu in remotissimam Indiæ Orientalis regionem penetrabit, maximámque partem illius, eiusque diuini eloquij prædicatione fidem orthodoxam amplectetur] sic ille & ab Xauerio gerenda, & Societatem ab Ignatio sexenni tunc puero fundandam vaticinio eodem prænuncians, sed hæc de prima, & rudi Societatis origine. Iam pono de progressu ipsius quod ex S. Teresia accepit, qui ab confessionibus illi fuit, quodque in sanctæ legitur manu scriptis, Societatis etiam nomine expresso, audiuit igitur concepta hæc à Christo verba [si scias isti quanto futuri sint Ecclesiæ adiumento, necessariis, & periculosis illius temporibus] aliàs futuros, in Dei honorem Societatis progressus didicit, robúrque in fidei promulgatione, ac defensione eximium: præsertim dum semel animo suauissimè, vt scribit ac placidissimè collecto, cinctáque beatis mentibus & Deo proxima, pro eius Ecclesia precaretur, tunc enim de aliquot viris insignibus, & de Societate simul vniuersa, ait se magna quædam contuitam, inter quæ illud est, quod vidit in cœlo sæpius Ignatij filios vexilla candida gestantes, & alia non minus admiranda. [Quare, subdit illa, magnam habet apud me hic ordo venerationem, egi diu cum Religiosis illius, talésque comperi, quales mihi descripti fuerant; quæ verba, & quicquid præterea de Societate perhonorificum S. Teresia consignarat, ex vulgata quadam editione erasum est, qua causa, manuue incertum; verum integrè habetur in eius autographis quæ bibliotheca regia Escurialis S. Laurentij asseruat, ex quibus fideli exscriptum manu, & iuridicè ab scriba publico, oculatísque testibus retractatum, ad nos tandem peruenit, nobilissimi viri vltronea liberalitate. Si quid tamen honoris, Societati ablatum fuerat, id illi certius, & luculentius, tam euidentis plagij damnatione publica reposuere filij tantæ Matris, Romæ anno 1650. congregati, quam ab ipsis acceptam pro æterno monumento beneuolentiæ sanctissimi Ordinis in Societatem hic statuere placuit, *Accepimus*, inquiunt, *Scripta S. Matris nostræ Teresiæ edita esse truncata quoad illa omnia quæ spectant Societatem Iesu, ita vt cum & in manuscriptis codicibus plerisque, & in plerisque exemplaribus pridem editis, ac in ipsomet S. Matris contextu Originali, omnia illa quæ notantur in libro cui titulus* (Gloria S. Ignatij) *exarata inueniantur, tamen in ea editione de qua dictum est omnia fuerint erasa. Hanc infidelitatem editionis, non tam Sotati Iesu, quam sanctæ Matri iniuriosam, omnino improbamus, & à nobis non esse profectam testamur: quin imo si quis ex Ordine nostro deprehenderetur tale quid admisisse, aut fieri curasse, impunitum non debere esse decernimus.*

Ipsam

Ipsam quoque editionem truncatam in vsum nostrorum esse prohibemus. Propositionem hanc capitulo nostro Generali propositam, & per acclamationem omnium approbatam testamur. Die 16. May 1650. F. Franciscus à SS. Sacramento Præpositus Generalis. Addo & tertiam vitæ sanctissimæ Virginem, Magdalenam de Pazzis Florentinam, quæ tametsi magis ad probandum Societatis Spiritum faciat, quàm prænotionem futurorum, ad vtrumque tamen hic mihi conferet, in gloriam S. Fundatoris ex quo Spiritum hausit Societas. Reddo totidem verbis quæ inter visa ipsius leguntur eo libro qui de illis Florentiæ habetur in cœnobio Angelorum, provt ad me fide publica venerunt. [Die 26. Decemb. anno 1599. S. Stephani Festo, Beata exstasim passa est, vidítque Deum S. Ioannis Euangelistæ tantoperè animâ delectari, vt quodammodo præter illum, nemo esse in cœlo videretur, quod idem præstabat animæ B. Ignatij Societatis Iesu fundatoris, de quo agens ait: idem est S. Ioannis cum Ignatij Spiritu, amborum enim fuit scopus hic, & finis; amor, & charitas in Deum, & proximum. Amore atque charitate ad Deum homines trahebant [tum addit,] nullius felicior in terris nunc viget quam Ignatij Spiritus, eius enim filij in regendis animis contendunt potissimum vt sciant, Deo quantoperè placeat, interiorem excolere hominem & interioribus exercitiis se dare, his enim efficitur, vt ardua, & difficilia, facile obeantur, nam virtus interior, lumen animo infundit, ex quo nascitur is amor quo amara omnia dulcescunt. Videbat præterea Ignatij filios, quoties in terris, hoc modo cum proximis agerent, toties illam instaurare, quam ex Ignatij anima, Deus percipit voluptatem] his posset adiungi quod multi ex vaticiniis antiquis de Societate interpretati sunt, qualia sunt passim apud Abbatem Ioachimum, qui anno circiter 1200. scribebat: in iis Ordinem describit [in Iesu, inquit, designatum, qui sexta ætate Ecclesiæ florebit, hoc est in ipso mundi fine hic autem præ cæteris, spiritualis futurus est, & Deo carus. Diligétque hunc Deus vt Beniaminum suum Iacob quòd illum in sua senectute genuerit] alibi vero prodibunt ait, in Ecclesia doctores, & prædicatores, qui carnales figent, & terrenos hominum animos omni genere plagarum, suisque studiis, superba & tumida magisteria silentio damnabunt: & benè ac merito Melchiæ filius Ieremias dicitur, nam venturus hic Ordo, in summi Pontificis obedientia recumbet] sed prætermissis pluribus, quorum quæ pertinent ad Indos conuertendos tum Asiaticos tum Americanos suis locis reddentur, id solum ad vltimum referam quod Apostolicus plane vir sanctus Vincentius Ferrariensis prænunciasse de Societate ab sapientibus putatur; imo quoniam eius verba tam sublimem ostentant virtutis, ac meriti gradum, vt nulla vnquam modestia religiosæ familiæ, illa sibi audeat arrogare, hîc mihi sat fuerit, ex breui vnius, de decem Ignatij sociis, Rodericij historia referre, sensisse communiter homines S. Vincentium diuinitus afflatum tam heroico charactere voluisse Societatem describere. Nullum inquit Rodericius, queritandi ex nobis finem complures faciebant iíne essemus quos

S. Vincentius vaticinatus fuerat venturos? Euangelicos homines Societatis sanctissimæ, fidei studio, omnique alia virtute præstantes: quid porrò scripsisset S. Vincentius, nostrûm aut didicerat nemo, nec suppetebat quid responderemus, nisi risu quæsita eludendo, eratque somnio simile, tam excelsa oracula posse in nos conferri, cum essent Patres *non alta sapientes, sed humilibus consentientes.* Annis hinc aliquot in Lusitania Ioannes Soares ex Ordine S. Augustini Conimbricensis Episcopus legendum mihi porrexit, illum S. Vincentij textum quem putabat omnino intelligi de Societate voluisse. Feciſſet Deus tales vita essemus, vt possent tam grandia in nos conuenire; altior est diuiniórque virtus Euangelicis illis hominibus ab eo attributa, quàm vt de se à quoquam vel de suis, modestè possit explicari, sunt enim illa quæ dico grandia quibus illos depingit, paupertas Spiritus; puritas cordis; contemptus sui; mutua charitas omni ex parte absoluta. Præter Iesum nec loqui, nec posse quicquam cogitare; nec oblectari alio quam Iesu Cruxifixo. Mundum seque ipsum negligere, ad beatam immortalitatem perpetuare suspiria, eiusque desiderio, ferre horæ vltimæ moras impatientius. De se oro quis tam magnificè sentiat? subiungit merito vir sanctus, suos tunc excitans ad conditionem istorum, quos vocat Euangelicos homines, æstimandam; *hæc imaginatio ducet te plusquam credi potest in quoddam desiderium aduentus illorum temporũ.* Hæc Rodericius. At dicere liceat, quisquis vitam illorum decem in quibus tota, suo in ortu fuit Societas (de iis tantummodo nunc loqui iuuat) illorum, inquã Patrum vitam quisquis fuerit contemplatus, prorsus fatebitur quantacũque fuerint decora, quæ concionator Sanctus de illis vaticinatus est, Euangelicis hominibus; nullam partem eorum ab iis patribus abfuisse; fuere siquidem sic omnium pauperes, vt præter se & crucem (quod de quibusdam Nazianzenus dixit) possiderent nihil, sui quin etiam ne posse flores quidem; adeo solemne iis fuit nec vitæ parcere, vbi Deus, & animæ, & deuota Christi Vicario obedientia poscceret. Hinc longinqua, & periculosa in Asiam, Africam, & semotos per Europam tractus itinera; Hinc sæuæ quas illic portulere infectationes, & laborum molestiæ, voluntariis adiunctæ pœnis, & vitæ ærumnosissimæ: fuere in magnis scientiæ opibus, simplissimi candoris, qui cum singulari affabilitate, & innocentia coniunctus eorum aliquos Angelorum nomine ornauit. Humiles præterea æstimatores sui, & ab iis adeò alieni quæ honorem, & fastum olerent, vt Lainius, Iaius, Pascasius, Rodericius, Bobadilla, & præsidum insulas, & iis altiores, supremósque gradus, vi magna defugerint; fuerítque ex quo auditum est, si quando ipsum pœniteret Ignatio socium fuisse, ea tantum de causa id futurum, si non valuisset dignitatem Ecclesiasticam ad quam vocabatur ab se excutere: ad hæc inuicem arctè colligati nodo mutui amoris, quo sociorum perpessionibus, quam suis dolebant acerbius, quanquam diuerso natura ingenio, & nationibus orti mutuo infestis. Crucifixi vero absque vllo fine, ac modo amantes extra quem iis nec quicquam placere poterat,

poterat, nec mentem aut linguam occupare. Quare illius quoque Iesu dulcissimo nomine appellari optarunt; vnum iis & summum operæpretium Iesu placuisse; quoduis aliud caducum præmium dedignatis, quæuis præterquam animarum, pro detrimento lucra ducentibus. Laborum denique pro Christo modum, suus cuique in illum affectus, non vires propriæ dictabant; non sensus imbecillitatis, sed desiderium Christi Iesu, regnis omnibus inferendi, eiusque amore omnia inflammandi. Ignatij vitam, annis maximè postremis, pro miraculo medici habuere, creditúmque ignem quo flagrabat, diuini cultus promouendi vires illi dedisse, quas iam natura negauerat. Franciscus Xauerius post tot illustria in Oriente gesta, in aggressione illius operis quod in conuersionem infidelium designarat, ingens, planéque Heroicum, animam efflauit. Faber illo quod vixit exiguum, prælusisse tantum gerendis videtur, longæui tamen, & gestis ad Dei gloriam insignes, tanto illum præ se admirantur, quanto illo diutius vixere, idemque de cæteris, sua quoque pro parte velut in transcursu dictum esto. Hæc enim postea singularibus exemplis, & testimoniis, historiæ series, tam enuleata dabit & probata, vt mihi potius vereri lubeat, ne res detriuisse scribendo arguar quam exaggerasse.

XLVIII. *Ignatius in Societatis Generalem eligitur.*

Iam intermissus rerum ordo ad ea nos reuocat quæ consecata sunt post Societatem confirmatam, de qua Ignatius socios fecit quam primum certiores. Quod autem decerni constitutiones, & regulas necessario oporteret, vnusque ex ipsis eligi qui Societati præponeretur Generalis, quorum neutrum confici, nisi eorum suffragiis valebat; Romam illos acciuit sub initium maioris ieiunij anno 1541. Sed numero quatuor defuerunt, Xauerius enim, & Roderitius nauigaturi in Indiam in Lusitania iam erant. Vormatiæ Faber: Bobadilla circa Neapolim tam vtilem ponebat operam, vt à Pontifice illic hærere iuberetur. Et in regulis quidem approbandis, qui aberant, aliorum se stare iudicio scripserunt, hi porrò magna voluntate decreta ab Ignatio inhærendum dixêre. Haud tamen sat firmum prius quicquam Ignatius habuit quam foret aliorum iudicio, consiliis, & approbatione sancitum. Et vero tunc primum Constitutionum rudiariam descripsit formam, & suas in partes distinxit, quibus addens paulatim, demum illas nobis quales habemus in patrimonium tradidit. De eligẽdo autem Præposito nullius suffragium defuit, præterquam Bobadillæ qui Neapolim missus, præscire non potuit se illic retinendum, vnde quod alij tres Lusitaniam & Germaniam petituri, id ille scriptum non reliquit, nec de illo postea mittendo cogitauit. Cæteris in vrbe agentibus triduum indixit Ignatius ad communicandum cum Deo electionis negotium: allaturis deinde in schedula, electi nomen sigillo munitum; denique per aliud triduum precaturis Deum vt electionem faustam vellet, eamque de cœlo confirmaret. Post quæ apertis schedis communi suffragio, tum absentium trium; tum quinque præsentium Ignatius renuntiatus est Præpositus Generalis. Dabo hic eorum suffragia ex hispanico autographo latina, digna quæ à posteris legantur. *Ego*, inquit Xauerius, *Ego Franciscus*, dico & affirmo me nullo

modo *suam ab homine, censere ex animi mei conscientia, eligendũ in Societatis nostræ prælatum, cui omnes obedientiam præstemus, antiquum nostrum prælatum, & verum Patrem D. Ignatium qui vt suo non exiguo labore nos collegit, ita omnium optimè conseruaturus est, recturus, & semper in melius prouecturus, vt qui penitius omnibus nos norit; & post mortem illius, loquendo ex animi mei sententia, vt si mox essem morituris, iudico eligendum P. Magistrum Fabrum, & in hac parte Deus mihi est testis, me non aliter loqui ac sentio, in cuius fidem subscribo manu propria. Romæ ann. 1549. 15. Martij Franciscus.* In Fabrum quoque Ioannes Codurius, post Ignatium iuit, eamque attulit suæ sententiæ rationem ex qua Fabro plus laudis accedit, quam ex ipsamet electione. *Is est*, inquit de Ignatio loquens *cui testimonium reddo, quem etiam Dei honoris zelatorem ac salutis animarum ardentissimum semper cognoui, ac ideo etiam aliis debere præfici, quia omnium semper se fecit minimum, ac omnibus ministrauit, honorandus Pater D. Ignatius de Loyola, post quem non minori virtute præditum, censeo præferendum, honorandum Patrem D. Petrum Fabrum hæc est caritas coram Deo Patre ac D. N. Iesu Christo, nec aliud putarem dicen um si hanc horam vltimam esse meæ vitæ certo scirem, &c. 5. Mart. 1540. Ioannes Codurius.* Tulit enim tam pridem consignauitque suffragium, quod esset proxime à Pontifice Nuncius in hiberniam mittendus, etsi deinde res exitum sortita non fuerit. Sententiam Salmeron hanc tulit, se pariter & Ignatio dignam. *In nomine Iesu Christi. Amen. Ego Alfonsus Salmeron huius Societatis indignissimus, præmissa ad Deum oratione, & re pro qualicumque meo iudicio maturè pensata, eligo, & pronuntio, pro meo & totius Congregationis prælato, & superiore D. Ignatium de Loyola, qui iuxta sibi datam à Deo Sapientiam, sic nos omnes in Christo grandiores, solido Obedientiæ cibo deducet, ac diriget in pascua pinguia, & vberrima paradisi, & ad fontem vitæ: vt cum gregem hunc pusillum Iesu Christo pastori magno reddiderit, veraciter nos dicamus, & nos populus pascuæ eius; ipse vero gaudenter dicat, Domine ex his quos dedisti mihi non perdidi ex eis quenquam. Quod ipse Iesus pastor bonus, nobis dignetur concedere. Amen. hæc sententia nostra. Scriptum Romæ 4. Aprilis 1541.* Sed inter omnia, mire cordatam prudentiam, Ignatij suffragium edidit: sapienter enim apud se reputans quantum Patris interfit, filiorum alios aliis præferre, grauiori maximè in causa, quòd omnes filij iure quodam innato, partes sibi æquales in paterno amore deberi existiment; demissione sui egregia, exquisitam celauit prudentiam, nullius enim adscripto nomine, nominauit tamen quem ipse eligeret, dum suam ita sententiam expressit. *Me vno excepto, meum suffragium in Domino, illi do, vt sit superior, in quem plura ad hoc suffragia concurrerint.* Cæterum eundem, & socios diuersè admodum eiusmodi electio affecit, is vnus in hilari reliquorum applausu, dolens cunctis præferri quorum se infimum credebat, refragari eorum iudicio; errasse illos ignoratione sui, dum se parem illi muneri putassent;

contesta

conteſtari, atque contendere, ſuam ad eum gradum inopiam; tranſuerſos habitus annorum in ſæculo triginta perperam actorum; miſerias animi quibus tunc etiam vrgeretur; valetudinem attritam, & debilem, vires demum longè ingeſto pondere minores, quæ tanto premebat validius quanto ſocios aduertebat hac ſua repulſa conturbari. Tandem dicta concludens, negauit omnino, ſe prius oneri ſubiturum, quàm ſibi Dei ſuper eo, explicatior fieret voluntas. Sed enim parum aduertebat hanc ſuam vir ſanctus modeſtiam, hoc ipſum tantoperè reſilire, argumentum eſſe ad electionem confirmandam; & eò haberi digniorem quo ſe magis indignum contenderet; eſſéque hunc ſummum abſoluti ad electionem meriti characterem, ſi conſpirantibus in vnum aliquem vniuerſorum votis, vnus ille ſincera de ſe opinione ſua perſuaſus ab iis diſſentiat. Verum tam multis etſi non aliud, hoc ſaltem euicit, vt poſt quatriduum orationi, & afflictationi datum integraretur electio, quò ſiuere ſe adduci patres, tum vt dolentem ſolarentur, tum vt ſedarent dubitantem, ipſe interea diu noctúque, prece ac lacrymis ab Deo flagitare vt alias cogitationes ſociis inderet: ſed hanc modeſtiam, & publici boni & virtutis ipſius meritum peruicit, eundem igitur ſecundis ſuffragiis: tulit numerum quem primis, eiuſdémque ſententiæ, quod contra ſpem ſuam aliquam mutationis futuræ factum dolens, dum noui aliquid parat opponere, ſurgit Lainius, & libera, ſed intra obſeruantiam oratione, dicentem interpellans admonuit, ſi hoc ſibi iure ab ſe crederet aſſumi, vt ab Dei voluntate recederet, quam comitiis alteris tam manifeſtè perſpexiſſet, cum prima plus ſatis eſſe debuiſſent, eodem ſe iure crediturum id ſibi licere, vt Societatem illam deſereret quæ illi non ſubeſſet capiti, quod illi Deus ita perſpicuè per ſuos indicaſſet: ſtetere ab Lainio reliqui, ſanctè conteſtati nec admiſſuros ſe gubernandi munus, nec cuiquam præterquam Ignatio mandaturos quibus Ignatius ſi minus acquieuit, recuſare ſaltem obſtinatius deſiit, ſed magnam illam ſociorum de ſe opinionem ratus ex eo naſci quod ſe qualiſnam eſſet ignorarent, illorum iudicia vnà cum ſuo arbitrio apud eum deponi voluit, qui vita ſua omni ab initio perſpecta, ex anteactis ſtatueret certius, de futuris quid poſſet coniici: ad hoc voti ſequeſtrum delegit, confitenti aures præbere ſolitum F. Theodoſium ad S. Petri in Ianiculo Franciſcanum; huic ſpatio dierum trium cœnobio clauſus, nullóque ad ſe ſociorum admiſſo, primum vitam omnem confeſſione ſacra explicuit; tum de illa ſui ab ſociis in Superiorem, electione duplici retulit, de iis quæ in oppoſitum mouiſſet, deque illorum nihilominus in cœpto conſtantia; poſtremo veniſſe, ſua illi prorſus ſeque adeò commiſſurum, vt ex ea quam illi exploratiſſimam fecerat ſui totius notitia decerneret, quod ſibi, omnibus ſanctuarij pondere libratis, factu ſanctiſſimum videretur: at confeſſario nihil admodum occurrit, quod eo egeret examine, cum extra dubitationem res tota conſtaret: quare vetuit deinceps manifeſto diuini Spiritus nutui contraire. Quod tamen ad vltimum rogatus ab

Ignatio

Ignatio recepisset se, quod denique sentiret hoc eius sociis scripto transmissurum, liberè tum illum munere excludendo, quod ei imponebant; tum eius excludendi rationes quibus iis satisfieret addendo; hac diligentia contentus Ignatius, Christi resurgentis solemni festo ad socios rediit interiecto inde tridui tempore, tulit ipsemet F. Theodosius mentem suam schedio consignatam quæ coactis in vnum sociis perlecta, iubebat Ignatium eorum suffragiis parere, omníque in posterum inijcienda mora abstinendo, iniuncto officio ceruicem subdere: tunc ad extremum, Deo morem, ac sociis gerens, munus Generalis præpositi suscepit 19. April. 1541. Sed interim dum expectaretur à F. Theodosio responsum, visus est Deus seruum suum ad regendi officium animare, indicans præditum potestate, atque imperio quod esset humano potentius. Erat domi famulus, Cantaber adolescens Matthæus nomine, hunc postquam Ignatius in Ianiculum secessisset, mox cœpit, qui ante latuerat cacodæmon, crudelem in modum diuexare, spumabat, vlulabat, vociferabatur, allidebatur solo, fixúsque interdum sic hærebat, vt homines decem vix illum inde reuellerent. Distendebantur illi fauces, & vultus tumoribus subitis qui signo crucis ab Sacerdote adhibito, inde illico detumentes, partem aliam inflabant. Hic qui aderant nonnulli, increpito dæmoni, adfuturum quantocius minantur Ignatium, qui eum iniqua vsurpatione exturbaret. Ad quæ is furens, & torqueri se vehementer prodens, exclamat, nominare sibi illum desinerent quo nullum haberet inimiciorem: reuersus domum Ignatius, & iuuenis casum miseratus, eum in cubiculum seducit, breuíque ad Deum precatione fusa, foras ab dæmone omnino liberum producit.

XLIX. *Solemnis professio Ignatij, & sociorum, ad S. Pauli extra muros.*

Creato Præposito, inter Patres conuenit, vt sexta eiusdem hebdomadæ feria, solemnia profiterentur vota. Quare ad stationes Ecclesiarum septem obeundas egressi, ad S. Pauli cum venissent, in altari B. Virginis Ignatius fecit (erat tunc id altare ad læuam maioris, nunc infra eius gradus, translatum ad dextram visitur, è regione lignei crucifixi qui S. Brigidam est affatus) iamque sumendum Christi corpus manu altera tenens, professionis formulam altera, ad adstantes conuersus, de scripto illam pronunciat; post sanctissimam hostiam de more sumit, tum collectis patena sacratis quinque particulis, versúsque ad socios iterum, professiones eorum excipit, eadem conceptas formula, nisi quod Præposito Generali ea promittebant, quæ Generalis, Christi Vicario: inde omnes Christi corpore impertit, post quæ gratiis ritè actis, quæsitáque venia quam ad altaria eius Ecclesiæ obtinendam proposuere Pontifices; ad aram maiorem conuenere, ibique amplexu, & manus osculo Generalem Ignatium salutarunt, non absque dulcibus tum suis, tum circum adstantium lacrymis.

L. *De Iesu nomine quo Societas vocatur.*

Hunc habuit exitum secundus labor Patriarchæ sancti. Primum enim in fingendo seipso posuit, ductis ab omnium abdicatione ad perfectam cum

cum Deo coniunctionem principiis. Secundum in conscribendis sociis, & Apostolico genio, quem diuinitus hausérat informandis, cuius laboris partus fuit, religiosus ordo, iis tanquam primariis lapidibus imponendus. Sequetur deinceps tertius in describendis stabilito iam Ordini viuendi institutis, & regendi exemplo collocatus, de quo priusquam aggrediar dicere, non possum quin aliquid perstringam de Societatis nomine, & nominis causa. Fundatam ergo ab se familiam, Societatem Iesu Ignatius appellauit, quod Kemnitios, Boquinos, Misenos, Stenios, Lermeos, & alios, nota inter hæreticos capita, in furorem exciuit, dæmone in illis Iesu nomen minime ferente. Hinc scriptæ illorum toto orbe voces, conuitia, execrationes, dicteria, conclamantium nominis intolerandam superbiam, iniquam tituli vsurpationem, Christianis omnibus communis, ad priuatam ostentationem, contra fas omne ac meritum. Sic Prædicatorum appellationem, S. Dominici patribus officij nomine, ac meriti datam, excepit multiplex querelarum stridor, quod tota per eam Ecclesia muti silentij insimularetur, dum ij prædicatores vocarentur soli. Sed morsus inuidi, dentem fregit Innocentij III. Honorij III. & Gregorij IX. authoritas, dum eius ordinis caritati atque scientiæ attributum honorem confirmauit; haud absimili modo synodus Tridentina, & præter alios Pontifices, Gregorius XIV. diplomate cuius initium, *Ecclesiæ Catholicæ*, Societatis Iesu nomen quod nascens Societas tulerat, fecit his verbis illi perpetuum quod *vero ad* reliqua quæ in *controuersiam vocata erant, sic statuimus, Nomen Societatis Iesu quo laudabilis hic ordo nascens à sede Apostolica nominatus est, & hactenus insignitus, perpetuis futuris temporibus retinendum esse.* Huius vero Decus appellationis, Societatis fronti nunquam detrahendum, tam certum habebat fundator sanctissimus, vt auditus sit dicere, quod deinde euenit, si quando ab æmulis id vellicaretur, singulari confirmatione ab Ecclesia decretum iri: quod enim sic Deo volente fieret, vt hoc, non alio Societatis nomine vocaretur, id se altiori, quam propriæ cogitationis instinctu tenere. [Clarum est (inquit Ioannes de Polanco qui ei à Secretis fuit) hoc nomen quod spectat, multis Ignatium illuminatum modis, multáque inductione animi ab eo permotum à quo illud accepit, nempe ab ipso Iesu, tam multiplici vero numinis approbatione in eo obfirmatum, vt audiuerim dicentem, obstiturum manifesto Dei imperio si addubitaret de hac appellatione huic Ordini imponenda. Cumque non pauci de mutanda illa suaderent, & scriberent, ne sermones daremus carpentibus, inuadi à nobis vt propria quæ iuris publici certo essent; sic tamen in proposito constitit, vt audiente me dixerit, si tota simul Societas, omnésque mortales quibus non esset parendi vinculo obstrictus, mutandum id nomen censuissent, nunquam se illis assensurum. Ex qua tenacitate animi, aut securitate potius, nec rationibus cessura, quisquis Ignatij modestiam nouerat, facilitatémque

litatémque alterius magis quam suo arbitrio agendi, intelligebat non humano impulsu hoc negotium agi: hanc enim animi stabilitatem ita fixam nequaquam adhibebat; nisi in aliquo superius lumen illam defigeret; inferiora tunc lumina humanarum rationum minimè attendere solitus: nostros quidem de hac appellatione credibile est tum multa cogitasse, tum inter se versasse; certo tamen videtur ex dictis confici, Deum Ignatio aut illam suggessisse, aut in suscepta illum confirmasse, etsi ex eo non ita diserte exceptum sit. Nec est propterea quod pungamur quasi ex nomine Societatis Iesu id nobis arrogemus, vt quodam non dispari iure Iesu socij simus, sed velut idiomate militari eius ducis nomine cohors appellatur, cuius vexillum ductúmque sequitur] ita verè Polancus, nam si nostrum hoc Societatis nomen, significationem præfert militarem, natúmque, seu potius eo iam tempore conceptum, cum Ignatius Manresæ, in contemplatione vexillorum Societatem monstrante Deo conciperet, (est enim contemplatio hæc, sub Iesu duce, militaris turbæ consociatio, & informatio,) pulchrè cadunt in hoc vitæ genus loquendi formæ quibus eam Pontifices, ipséque Ignatius describunt; dum *Iesu Christi militiam* nominant; & in ea viuere, *sub crucis vexillo Deo militare.* Iam quanta quanta est, & quantulum id est, quod valet sapítque Societas, Dei gloriam haud quidem vulgaribus definitam obsequiis profitetur, sed ardens cum eo certare, & pro illo mori, & viuo proxima Christi Iesu imitatione, diuinam gloriam, in sua, & aliorum perficienda salute, ac virtute prouehere. Quare hac etiam singulari de causa quidni Iesu Societas nuncupetur? Hinc patet quantum exerrarit Theologus, alioqui inter suos magnus, sed ab rebus nostris semper implacabiliter auersus, qui Paulum explicans Corinthios monentem, *fidelis Deus per quem vocati estis in Societatem filij eius Iesu Christi*; scripsit Societatem illam, quæ Ecclesia est toto orbe diffusa, fuisse ab Ignatio in Societatis suæ angustias redactam; *quæ sine dubio*, inquit, *Societas, cum Christi Ecclesia sit, qui titulum illum sibi arrogant, hi videant an hæreticorum more penes se Ecclesiam existere mentiantur.* Imprimis tamen quis dicat arrogari quod suprema Pontificum authoritate conceditur; abest deinde Societas (Dei gratiâ) tam procul ab arctanda intra fines suos Ecclesia, vt ignoret nemo quanto sudore, ac sanguine contendat illam propagare, & orbe toto extendere; non est præterea Societatis hæc appellatio, vacuus officij titulus, sed sonus adhortationis tacitæ vehemens, ad parandas virtutes, quæ si desint, defuturus sit quoque necessario crediti nobis officij fructus. Monet itaque ab Christi vexillo ne pes vnquam retro à nobis feratur, ne transuersum vnguem ab cruce subducatur; ne auertatur oculus ab exemplis viuendi sibi, aliis laborandi quæ Christus nobis in seipso expressit, nos imitatione referrimus:

monet

monet commilitonum instar, mutuæ nexum caritatis, nodo inuiolabili seruare ac stringere, quo dum omnes in vnum coalescunt, singuli fiunt insuperabiles: admonet etiam, ex nutu ductoris suspensos viuere, & Obedientia (quæ disciplinæ militaris, & religiosæ anima est) nihil antiquius habere. Postremò aduersus qualescumque hostes, & vexationum incursus quantumuis efferos, corroborat animum hæc nomenclatio, cum in eum nihil possint cuius toti sumus, nec enim Ignatij hæc Societas est, nec moriente Ignatio caput suum amisit. Ego (ait Ribadeneira Gandauo Romam ad amicum scribens) accepta morte P. M. Ignatij, quanto nobis acerbâ, tanto illi beatâ, fractus defecissem, nisi sublatis ad eum oculis, & ad prouidam eius manum, ex qua nunquam non pendere voluit, magnum cepissem animo leuamen, probè hoc edoctus, Societatem haudquaquam Ignatio, sed Iesu Christo præcipuè niti, qui suum hunc seruum delegerat, ad hanc sui operis Fabricam attollendam, & perficiendam. Quare huic alios, atque alios quos mittat, minimè defuturos, qui etsi fortassis Ignatij non erunt, sed sunt futuri eiusmodi qui possint vices illius obire, & consolatur me quod F. Ioannem Hurtadum instante obitu dixisse memini, Christum Ecclesiæ prope adhuc in cunis firmamenta duo, die eodem subduxisse, Petrum dico, & Paulum, vt intelligeret se Christi potentia sustineri.]

LIBER TERTIVS

LIBRI SYNOPSIS.

LIBRI huius tertij pars prior Societatis explicat Institutum. Quem finem habeat sibi propositum; quam rectè ex fine veluti regulâ, quædam sibi adsciuerit propria, alia etsi communia omiserit; quibus se præsidiis tueatur; de admittendis, & dimittendis; de consensione totius cum capite, quam præstat Obedientia; & partium inter se, quam efficit caritas; totius corporis cum Deo, quam recta, & pura mens. Pars libri posterior gubernationem Ignatij describit, ad typum exactam quem ipse Constitutionibus impressum tradidit.

SOCIETAS Iesu Religiosi Ordinis adepta formam, instruenda mox Regulis fuit, nam etsi Romæ agentibus, lex erant S. Ignatij præceptiones, & exempla; sed latè in remota spargendos, connecti oportuit constanti regula priuatæ cuiusque virtutis, & communis omnium gubernationis. Tenebat quidem, & pridem Ignatius, mente conceptum Institutum, cuius summam Pontifex approbarat, idque cum Deo, sociis, & secum conferens, perficiebat quotidie, verum quod integra illius operis ad vnguem elaboratio, vt erat artis absolutissimæ, sic diuturnæ, ac lentæ meditationis; & volebat supremo experientiæ argumento, ex rerum præsentium euentu de futuris decerni, multos propterea in annos distulit Constitutionum distinctam compositionem. Quæ donec prodiret, paucis interea legibus nostros generatim instituit, quales se Deo, & iis qui præsunt; quales proximis, adeóque sibiipsis præbere deberent. Sunt autem eiusmodi.

I. *Quædam regio è viuendi regula, à S. Ignatio Societati initio tradita.*

Quoad fieri posset, Deum vt in mente, in Deo mentem defixam perpetuo tenerent, extra Deum nihil aut diligerent, aut mente versarent, soli vel in turba, ab eius oculis, nunquam oculos amouerent. Motus vitæ omnes contenderent in sanctissimam eius voluntatem. Argumentum sermonis, aliud; mercedem laborum, aliam, præter Deum, nunquam admitterent. De Christi

Christi vita, viuendi exemplum ducerent, illámque suæ veluti sigillum imprimerent, conarentúrque in seipsis viuam illius imaginem reddere.

Deum in iis qui præsunt attenderent, vt esset eorum potestatis reuerentia facilior & imperatorum executio promptior. Certi vero essent Obedientiam voluntatis diuinæ interpretem esse, fallendi nesciam, & viæ ducem, erroris expertem. Iisdem porrò, & aliis quibus animæ curam credidissent, interioris hominis sinus omnes haberent apertos, & peruios; nec quicquam tacitum premerent, vnde hostis malignus posset cæcam iis pernitiem moliri; multo minus vellent sensu proprio regi, eo semper magis caligante, quo se putat oculatiorem. II.

In extrahendis ex criminum cœno mortalibus, ita sibi cauerent, vt qui, iamiam aquis præfocando fert opem; id solerter, & maximè deuitans, ne cum illo pariter demergatur. Complecterentur se mutua caritate, non modo vt fratres, sed tanquam seipsos. Cumque haud raro ex contentione, si minus flamma, scintilla saltem indignationis excuti soleat; volebat nostros verborum contentionibus plane abstinere, atque vbi foret opinionum dissensio procul ambitu vincendi, vnus veri amor, & elucidandi, & persuadendi, disputationis arbiter litem ditimeret. III.

Teneri silentium iubebat, nisi cum aliud necessitas poscceret; tunc vero aduerterent, ne linquam superbia in fastum verborum ageret; curiositas in nouitates rerum futilium; æmulatio in cuiuspiam censuram; otium in vana, & ludicra. Quibuscumque autem adhibere illos diuina bonitas dignaretur, haud tamen propterea de se magnificè sentirent, neque vllam sibi laudis eius partem decerperent quæ brachio debetur, non instrumento plerúmque inepto, vti nec asini maxillæ Philistæorum strages: Acumen ingenij, facultatem dicendi, agendi solertiam, & sagacitatem ne iactarent; nec vllum nauatæ aliis operæ pretium grandius contemptu & ignominia ducerent; vnico scilicet quo mundus Christi labores rependit pretio. Si quà publicè laberentur, vnde se crederent auctoritate, famáque excidere; ne ob id animo, spebúsque desponderent, aut abiectiores fierent, sed agerent Deo plurimas gratias, qui lapsu illo manifesto, virtutis occultæ infirmum ac debile, prodi voluisset, ne pluris quam reuera essent vulgo haberentur. Ad hæc alij omnes de vnius casu, stare condiscerent, statuerént-que ex eodem vitro se esse conflatos, & reo socio seriam à Deo emendationem flagitarent. Iam breui quod iis conceditur animi laxamento, meminissent eius modestiæ, quam semper Apostolus iubet in nobis esse conspicuam; in hilaritatem nec sese effunderent; nec se morosius seorsum contraherent. Ne bonum præsens elabi sibi de manibus, meliorum spe lusi paterentur, & nossent ab hoste vaferrimo inflari nos desideriis grandibus facinorum admirabilium, nunquam in opus iturorum, vt ab consuetis ritè obeundis nos interea abducat. Postremo in cœpto vocationis sanctæ perstarent immobiles, domui Dei radicitùs, & fundamento penitus inhærentes. Vt enim dæmoni familiare est solitarios pellicere ad communitatem, sic IV.

in auxilium vocatos animarum, ad solitudinem inuitare, cuius artificij scopus est, vt hac leuitate in exitium denique nos impellat, dum vias nobis ab iis pandit diuersas, in quas nos Christus induxerat.

II. Sunt hæc prima pietatis dictata, quæ sanctus fundator suis mandauerat, nec cuiquam obscurum est, quin tenui semine, magnæ molem arboris clauderent, usque quanta vis inesset, quæ consecuta sunt abundè ostenderunt; & quando hæc tacere non licet, commodius fecero, si testem eorum dedero Canonum doctorem eximium, limati iudicij hominem, claræque in Ecclesia probitatis Martinum Nauarrum, qui de nostrorum Conimbricæ Collegio agens, ita scribit. [Postea vero quam præfatam relectionem composuimus, & pronuntiauimus, superiorique Epistola præposita eam typis excudi fecimus; rogati secreto extra Lusitaniam, nomine cuiusdam præcellentis Senatus, quid de præfata noua Societate sentiremus, & præsagiremus; respondimus, nostrum de illa bonum iudicium, & præsagium plurimum confirmasse auxisséque quiddam, quod per septennium, & amplius in collegio primò suæ Societatis Conimbricensi contigisse obseruauimus: & nobis pro quodam miraculo reputauimus. Nempè quod cum illud Collegium esset omnium totius Ordinis primum: & solum legibus naturalibus diuinis, & communibus gubernaretur; (nondum acceptis legibus, quibus libertas illa communis à religiosis arctatur,) cumque in eo centum & plures collegæ regio, & largo sumptu conuiuerent: omnes quidem scholastici, & iuuenes, ac eiusdem farinæ, cuius erant, qui foris degebant, atque omnes tanta libertate vterentur, quanta qui foris extra collegia, & monasteria viuebant: adeo quod liceret eis etiam solis diu, noctúque etiam non petita à Præfecto licentia, collegio, & ciuitate ad omnia pia opera, quæ Spiritus eis dictabat exire ad visendos omnes vtriusque sexus sanos, & infirmos, bonos, & malos, bona persuasuri, mala dissuasuri. Cumque fere vniuersa ciuitas, tota Ecclesia Cathedralis cum omnibus parochis, omnia monasteria, tam virorum quàm feminarum, & academia ipsa saltem tacitè essent eis contraria; Cumque præfati omnes suapte natura essent acuti, curiosi, & suopte ingenio ad noscendas res nouas, vitámque alienam propensi & ad solerter salséque de more gentis dicendum prompti. Cum, inquam, hæc omnia ita se haberent: nunquam tamen toto illo tempore audiui aliquem, qui serio, vel ioco vlli eorum detraheret; neque aliqua vitij macula, illorum quempiam inspergeret præterquam nimiæ carnis mortificationis, & sensualitatis; nimis honorem suum, gentísque suæ despiciendo, pannosis vestibus vtendo, omniáque ministeria, sibi præceta, quamlibet humilia, & sordida in vtilitatem sui Collegij libenter intus, & foris, priuatim, & publicè subeundo. Quodque nimis acriter, sed vtiliter die, noctúque mundi vanitatem populo proponerent, clamantes, homines terram, puluerem & cinerem esse, quæ tamen detractio satis perpensa magnæ laudis eis erat. Neque profecto abs re, mea sententia, mihi pro quodam miraculo visum fuit. Tam quod vix à sæculo auditum est aliquam fuisse

Relect. in c. Ita quorundam, de Iudæis, recognita & impressa Romæ 1580.

fuisse congregationem tot iuuenum, tam liberè degentium, inter tot clericos, monachos, scholasticos, & ciues ad mordendum propensos, & sibi exosos, cuius aliquis tanto tempore aliqua vitij nota non inspergeretur; immò cuius multi non infamarentur, caperentur, & priuatim vel publicè castigarentur. Tum quod August. c. quantumlibet 47. dist. ad Vincent. Donatistam significat, rara esse collegia hominum, etiam parua, & seniorum, quam sui erant, collegarum in quibus aliquis aliquo vitio non notetur in hæc verba: Quantumlibet vigilet disciplina domus meæ, homo tamen sum, & inter homines viuo: nec mihi arrogare audeo, vt domus mea melior sit, quàm arca Noë, vbi tamen inter octo homines vnus reprobus inuentus est: Aut melior sit, quàm domus Abrahæ, cui dictum est: Eiice ancillam, & filium eius: Aut melior sit, quàm domus Isaac, cui de duobus geminis dictum est: Iacob dilexi: Esau autem odio habui. Tum quod ex quodam elegio Episcopi Osij, in c. Osius de elect. eruditissimus Nicolaus Archiepiscopus Panormitanus colligit, quod licet nullus de populo singulariter præsumi debeat in dubio malus: iustè tamen quis potest credere in populo esse aliquos malos.

Præfatum testimonium subiicere voluimus, primum quidem in gloriam Dei, & Domini nostri Iesu Christi, de cuius nomine prædicta Societas dicitur; quique in ea multifariam mūltisque modis ostendit esse verum id, quod quidam in gloss. cap. nisi cum pridem de renuntiat. verb. Spiritus ei dixit.

Tu spiras vbi vis; tu munera diuidis, vt vis.
Scis, cui des quod vis, quantum vis, tempore quo vis.

Deinde, vt omnia alia collegia eiusdem Ordinis, iam per totum orbem Christianum magna cum eius vtilitate, atque mira celeritate propagata nouerint, quanto cum miraculo primum eorum omnium cœperit florere Conimbricæ; quæ Regum Portugalliæ antiquissima est regia, & nunc academia florentissima inclyta. Postremo, vt meminerint, quantum contendere debeant, vt quæ illi primo adiecerunt multa (vt ille ait) formidata profunda incrementa Ioui: ita nomen, & famam in illo difficili ortu quæsita semper conseruent, in diésque magis ac magis, quod faciunt, augeant, quo respondeant vltima primis.]

Iam vero Constitutiones informans S. Ignatius (quod dicendū venit priusquam illarum in dicemus designationem) res duas iunxit maximè disiunctas, conatum summæ prudentiæ, & spei Deo vno nixæ velut otiosam fiduciam, illum perinde operi incumbens vt si ab se penderet vno; hanc perinde à Deo omnia expectans, vt si tantum esset Deo sibi dictante scripturus. Illa ergo primùm Examinis ratio cui cuncta subdebat de quibus esset decernendum, singularem habet prudentiam. Vnumquodque in partes vocabat oppositas, suis partem vtramque rationibus instruebat, nec paucis, nec leuibus quæ rem hinc legendam, hinc reiiciendam suaderent; & in quadam non admodum graui, vidi ipse octo in partem alteram, in alteram quin- III.

decim

decim valdè graues. Post hæc omnem affectum priuati iudicij, ac sensus penitus exuebat, vt nuda recti verique ratio voluntatem ad optimum traheret: inde magna per se consultatione, rationum inuicem commissarum momenta librabat, vt sciret quid cuique præ alia ponderis inesset. In his noctium bonam partem ponebat, interdum etiam diei, ablegatis interim ab se negotiis, & vel in hortulo, comitate viri nobilis commodato; vel in conclaui solus, ad cuius fores Benedictus Palmius excubabat, vt amoueret interpellatores. Etsi autem omnes religiosorum Ordinum legisset regulas, notasséque diuersos de singulorum successibus, illorum exitus, causasque tum prouectionis tum defluxus; quamdiu tamen scribendis Constitutionibus incubuit, alium in cubiculo codicem præterquam Euangeliorum, & Thomæ de Kempis non habuit. Ita prudentiæ defunctus officiis, regulam quamlibet ad precationis lydium reducebat, quam multas protendens in horas ad lucis radios, tunc sibi de cœlo infundi solitos, retractabat à capite omnia, instárque pueri, decernendæ in perpetuum rei tantæ inepti, orando flendóque instabat, commonstrari sibi diuinitùs quod futurum esset Dei obsequio & Societatis bono conuenientius. Virginis Matris apud Christum intercessiones; Christi apud Patrem adhibebat; ac securus licet partis alterius effectus, haud tamen se illi sic statim tradebat, quin producendis in longum precibus, certius aliquid, & euidentius exorasset. Cuius diligentiæ adeo operosæ extat etiamnum argumentum in re quadam, in qua cum posset de perspecta Dei voluntate tuto confidere, quam per dies decem ex eo quæsierat; quærendo tamen, & recogitando, supremam sententiam ad vsque diem quadragesimum distulit. Sed erat is quem per id temporis petebat intelligentiæ radius, haud paulo donis inferior, quæ interea cœlitùs hauriebat: Vt enim fuit Isaiæ, & Ezechieli minus glorioſum, mitti ad promulganda Dei imperia, quam ad audienda in cœlum induci, maiestatis illius regnique spectatores, Ita Ignatio tanta illa cum Deo familiaritas ad sancienda suæ regulæ capita, multo quam poscebat donis vberior extitit. Quæ vtinam ad nos peruenissent & sciremus ab tanti operis exordio ad finem quanta fuerint quæ mente percepit. Supereſt eorum vix breuis particula, & velut specimen, ipsius autographum, quod eius aut oculum, aut memoriam fugit, idcirco ab eo vt scripta reliqua non est igni datum. Hinc possunt quæ desunt vtcumque coniici, quorum pauca quædam insignia libro sequenti oportunius referentur. Sunt autem ij motus animi, & obiecta de cœlo visa quibus fruebatur in illo dierum quadraginta examine quo deliberabat, præstaretne templa professarum domorum stato reditu fulciri, an vero fortuita piorum liberalitate. In iis Christus & Virgo sæpe aspectabiles leguntur, in iis Dei ipsius sublimis aspectus qualis potest mortali contingere, mente ab imaginibus sensuum sublata ad excelsiorem incomprehensi spectaculi perceptionem. Raptus extra se in Deum, ardores intimi, transcursus igniti luminis, impetus flagrantissimæ caritatis, pulsus palpitantium venarum, incitationes

citationes vehementes, tranquillæ dulcedines, lacrymæ ad vsque periculum cæcitatis, cogitationes de beatorum gloria perspicuæ seque in cæli suprema, vt ipse loquitur, penetrantes; luminum denique diumorum eiusmodi copia, vt ipsi quodammodo interdum videretur nihil prætereà superesse, quod posset à mortali homine cognosci. Hæc & similia, de more, in suo diario adnotauit, singuláque in vna solummodo, non adeo graui, quoad paupertatem, consultatione expertus est. Ex quo conficitur constitutiones verbum, aut apicem habere nullum, quem is multo fletu non rigârit, & multis radiis Deus illustrârit. Quare vt specie flammarum olim Spiritus sanctus in Apostolos est delapsus, sic Ignatij capiti Constitutiones perscribentis, insidere visa est, linguæ similis flamma, cuiusdam splendoris, documentum patens scribenti diuinum Spiritum sua luce, & igne vbertim adesse. Iam nec eius securus, quod precando, meditandóque statuisset, mandatam scripto Constitutionem, in sacro altari deponebat, illóque affluxu lacrymarum & contentione animi quibus sacrum facere consueuerat, eam luminum Patri cum diuinissima hostia offerebat, vt eam propitiis oculis dignaretur, & si quid inesset minùs illi acceptum, certiore indicio commonstraret. Ita S. Leo damnationem Eutichetis ad Flauianum Episcopum missurus, prius altari S. Petri dies quadraginta impositam tenuit, ieiunans, & supplicans, vt si quid esset in ea erratum, ipse sua manu emendaret. Interiores certè scribendorum approbationes quibus Ignatio confirmabat Deus, quod illi suggesserat, nullum relinquebant de placito ipsius dubitandi locum. Itaque Lainium aliquando cum interrogasset, censerétne instituta & regulas fundatoribus ordinum, peculiari Numinis instinctu fuisse indicta, respondissétque Lainius quoad præcipua quibus necessariò constant, se ita censere; mihi quoque infert Ignatius, planè idem videtur, ex sua opinor experientia, de aliis censens. Et hoc profecto eius Institutum fluxisse diuinitus vel eo fit clarum, quod vi hominum nullâ dissipari, aut sui parte aliquâ conuelli potuerit; imo quacumque impetitum est ab aduersariis, illàc nouis, & certis ab sede Apostolica defensionibus inexpugnabile euasit. Nec enim possunt à Deo profecta successus alios sortiri, nempe Deo volente in cœlo rata; in terris eorum auctoritate immobilia, quos Deus Ecclesiæ suâ vice præfecit. Tale est omninò Societatis Institutum, quod datis Cocino literis scribit Indorum Apostolus, [seruo suo Ignatio Patri nostro, arcana præscriptum designatione, Apostolica potestas sempiternum fecit atque immobile] idque omnino intelligendum est Constitutionum nomine, sanctum voluisse pari iure cum earum textu, earum etiam Declarationes, ad latus adiunctas contineri; cuius rei ignoratione censuere nonnulli, eas aut Natalis, aut Polanci operâ conscriptas. Sed absque vlla dubitatione, opus sunt S. Ignatij qui trifariam Instituti totius materiam ab initio diuisit. Scripsit enim seorsim quæ corpus conflarent Constitutionum tum quæ illas elucidarent in Declarationes referenda; demum quæ inserenda diplomatis, quibus In-

stitutum Pontifex confirmauit. Legimus hanc partitionem in veteribus manuscriptis; declarationes vero etiam lituras præferunt, additiones, & mutationes sancti manu notatas; & Declarationum particulæ, multis locis constitutionum, inclusæ lineis cernuntur, cum hoc ad marginem monito sancti viri adscripto manu, quæ illic habentur in margine esse ad Declarationes referenda. Quare suam haud solum ex eo vim ducunt, quòd eas suprema Pontificis firmarit auctoritas; quo titulo etiam, debent pro Constitutionibus papalibus haberi ex Rotæ Rom. sententia; Verum etiam ex eo, quod legitima sint, & germana S. Ignatij dictata, non minus ab eo quam ipsæmet Constitutiones quarum partem conficiunt profecta. Subeamus nunc in ædificium præstantissimi operis, sic tamen vt fas sit non partes modo spectandas proponere, sed & rationem quarundam edere, cuius apud nonnullos ignoratione vituperatæ sunt.

Decis. 245. n. 11.

Imprimis cum mores finis constituat (in quibus vitæ Instituta partem primariam obtinent) tribuátque illis tum gradum efficientiæ, tum eligendorum mensuram ac modum, ante omnia finem S. Ignatius posuit. Quòd autem in rebus diuini obsequij; & hac potissimùm, qua maiorem in vita non habuit, media dedignatus semper alta spectaret, in excellentissimum exemplar aciem defixit, ex quo Instituti quod mente versabat, quam simillimum posset apographum duceret. Quare obseruata in aduentu Christi, vitaque eius omni, diuini consilij ratione, & quicquid aut viuens egisset aut petulisset moriens, ad perficiendum, vt sic loquar, seipsum, & alios contulisse, fines quoque hos duos inuicem aptos, & indiuiduos sibi proposuit: Christo enim æquè diuinæ momenta gloriæ intellexit nemo, nemo castius veriusque tractauit; hos vero fines velut Instituti primos, & supremos limites sic loquens Ignatius expressit. *Finis huius Societatis est, non solum saluti, & perfectioni propriarum animarum cum diuina gratia vacare, sed cum eadem, impensè in salutem, & perfectionem proximorum incumbere.* Sic quanta quanta est, tota, vt alibi ait, *ad maiorem Dei gloriam* refertur; cum tota sit *ad vniuersale bonum, & vtilitatem animarum instituta.* His diplomata concinunt quibus Societas à Pontificibus confirmatur, in quibus Gregorius XIII. *sicut*, inquit, *finis dictæ Societatis fidei propagatio, & defensio, animarúmque in vita, & doctrina Christiana progressus; ita etiam gratiæ eius vocationis proprium est, diuersa loca ex Rom. Pontificis, ac præpositi Generalis eiusdem Societatis directione peragrare.* Dixi sanctum hæc duo subiectione mutua aptasse: totum enim se proximorum saluti curandæ tradere, pars est primatia, & intima huius Instituti, vt sunt vice versa, sui priuatim perficiendi præsidia omnia, viæ quædam apparatúsque ad fingendos idoneos alienæ salutis curatores. Hoc euidentius vt fiat reddam, hic quod inde à primis temporibus præclarè adnotauit inter carissimos Ignatij filios Iacobus Mironus [obseruandum est, ait, non esse principem Societatis nostræ scopum, in meditando, & orando; sed his velut communibus instrumentis plurimum inesse roboris

In examine Generali c. 1.

3 narr. const. c. 1. §. 9.

ad

ad virtutes instituti nostri ministeriis perneccssarias, quæ tamen haud tam meditando & precando, quam cohercendis naturæ motibus parantur. Quare virtutum solidarum quibus Societas nititur fundamentum, continuam sui abnegationem P. Ignatius in Constitutionibus posuit, & Christus Iesus Dominus noster eodem Christianam fundauit sanctitatem, edicens illud *abneget semetipsum & tollat crucem suam.* Quare precatio, & meditatio ad hoc debet à nobis admoueri, vt mentis affectus perfectè, & integrè rationi, Deóque subdantur: si quem vero sancta precandi voluptas, à ministeriis animarum, regulæ obedientia iniunctis auocarit, vocationis suæ officio is planè defuerit. Oratione quoque ab Instituto nostro aliena is vtitur, qui suo interim affixus iudicio, præbet se ad imperata indocilem, vbicumque aliquid iubetur, quod minus ad ipsius genium faciat. Vt enim alij Ordines suum quendam habent, finis in quem tendunt, consequendi modum; sic tenet Societas peculiarem sibi, & propriam orandi rationem, comprimendis, serænandisque affectibus destinatam, & iudiciis, ac voluntatibus, obedientiæ nutui subiugandis, quo modo simus idonei, proximorum saluti tuto promouendæ, qui Societatis nostræ ad maiorem Dei gloriam finis est.] Hæc Mironus quod autem pro scopo Societas habeat, *Suas, & proximorum animas ad finem vltimum consequendum ad quem creatæ sunt, iuuare*; vt loquuntur constitutiones; haud tamen idcircò putanda est in Episcoporum gradum inuadere, qui & ipsi perfecti, & à quibus debent alij perfici: habet enim is gradus quod in eo locati, eò virtutis absolutæ censentur attigisse, quò nos instituti nostri ratio tendere hortatur.

V.

Præsidia quæ S. Ignatius ex contemplat, & actuosa vita ad finem suã elegit.

Stabilito in hunc modum Societatis fine, applicuit animum fundator sanctissimus, ad legenda eius obtinendi præsidia. Ergo illis duobus vitæ generibus ob oculos positis eorum imaginem, occupationes, ingenium diligentius inspexit: illius quidem tanquam Marthæ, sui quodammodo oblitæ, in iuuandis autem aliis sedulo satagentis, & laborioſæ; atque vt ait Augustinus, *quomodo pascat Dominum intentæ*; huius vero Magdalenæ instar, ad Christi pedes, sancto in otio residentis, & multum exosæ quicquid inde ipsam tentet auellere, vbi vnum id quærit *quomodo pascatur à Domino.* Horum porrò duorum, seorsim & per se spectatum, neutrum satis Ignatium implebat; non contemplatio, nam qui aliorum vtilitatibus se totos mancipant, non debent melli piarum dulcedinum viscato sic alas permittere, vt ægrius aduolent quocumque locorum, & gentium, maior Dei honos & hominum salus illos vocauerit. Ne actuosa quidem vita, nam qui suus est totus, nefas est eum aliorum salutem suæ anteferre, ne vt montes susceptis de cœlo pluuiis cum feraci limo in subiecta dimissis; sic ille dum fœcundat alios, ipse sterilescat: quapropter vtramque viuendi formam temperatione mirabili sic ipse permiscuit, vt quod optimum vnicuique, & præstantissimum inerat, non difficile coalesceret in vnum; sunt enim denique sorores non aduersariæ

Martha, & Maria; sibique inuicem si solitariæ; impedimento sunt: si iunctæ aliam alia temperet; adiumento; dum alterna vicissitudine actuosæ labor opimat otia contemplantis; & contemplatio laborem vegetat, & corroborat actuosæ. Ex altera ergo quotidianam quæ mente peragitur orationem decerpsit, excoquendæ virtutis potentissimam obrusam, & pennæ artificem ignitæ, quæ humi iacentem animam attollit, & Deo coniungit. Exercitia Spiritus mense interdum solido obeunda, & quaterna in diem meditatione, quæ longè ab cauernis, & specubus, procul tamen non modo à sæculo hominem eximit; verum, quod magis est arduum, etiam à seipso; Instaurationes votorum semestres, orationibus, confessione generali, asperitate spontanea comparata, & maximè seria interioris hominis reformatione. Ad hæc geminum quot diebus, mane, ac vesperi examen ad vitæ vniuersæ correctionem mirè accommodum; aliud item magis singulare (de quo libro sequenti fusius) vel ad exculpendam quâ præcipuè egemus, à nobis virtutem; vel exstirpandum radicitùs vitium quo molestius infestamur; in omni vita, rebúsque singulis rectam mentem, nullius nisi Dei vnius cupidam, legem præterea, conscientiæ arbitro euoluendi, explicandíque funditùs quicquid in ea boni, aut secùs geritur; piorum librorum quotidie vsum priuatum, & publicum, cohortationes domesticas de diuinis, & collationem de iis mutuam: accessum ad mysteria adoranda frequentem: in eluctandis animi motibus constans, & ad vsque supremum halitum proferendum certamen. Votorum denique religionem accuratissimam, atque sanctissimam. His ad culmen virtutum subsidiis Societas enititur, vnáque se periculo subtrahit, ne instar pedamenti adminiculando frugiferis vitibus, inarescat, igníque seruetur. De opibus autem vitæ actuosæ ad proximi opem, non id modo selegit Ignatius quod per se spectaret pietatem, verum id etiam quòd excolendis quoque ingeniis, ad excipienda semina pietatis, plantas eruncat noxias, & solum subigit, studia, inquam, literarum, in scholis, & academiis palam omnibus tradenda, professione omnium doctrinarum, quæ religiosam conditionem non dedecent, abvsque Grammatices infimis ad Theologiam vtramque, sciendi ac viuendi magistram: idque haud alia mercede, quam exprimendæ ab discipulis honorarij loco, probitatis, pietatísque Christianæ, & sacramentorum crebritatis. Quæ vero proximè pietatem attingunt animarum auxilia, sepono ea in librum sequentem, vbi de sancti virtutibus acturus, eius in proximis iuuandis ardorem industrium exponam.

V I.

Societatem esse clericalem nihil Hierarchia officit, & præstat summo Pontifici eam voto teneri quam Episc.

Ex instituto in hunc finem, & his obtinendum subsidiis Ordine, qui natura sua, omníque sui ratione, in auxilium tenderet animorum, necessariò id consequebatur, vt cooptandum eam curaret in professionem, cuius est æternæ salutis adiumenta populis ministrare. Quamobrem illum in clerum adscribi voluit, & sacra Synodus Tridenti habita, ipsíque Pontifices Paulus III. & IV. Iulius III. Pius V. Gregorius XIII. & Clemens VIII. appellant Clericalem, nec nostros alio quam Clericorum nomine, & Sacerdotum vocant. Esse vero haudquaquam abusu nominis, sed proprietate clericalem,

clericalem liquet ex eo quod vt antea narraui, aliorum bono se prorsus deuouet, profectúsque ipsos priuatæ virtutis eò refert, vt quisque habile iuuandi proximi instrumentum euadat. Porrò ex eo quod Societatis homines Religiosi clerici merè sint, duo sequi necesse est; Primum eos Hierarchiæ Ecclesiasticæ, ea sibi in parte locum vindicare quæ populis ad colendum Deum, & quærendam salutem manum tendit, quod cleri munus est: cum enim Societas instituti sui ratione non sit monastica; Religionis certè titulo, adeo nihil habet quod cum clericatu non optimè consonet, vt etiam quod illi addidit, intra eius metas, eius præstantiam augeat, quamobrem & Paulus III. & Iulius III. Marcellus II. & Paulus IV. Societatis homines haud aliter nominant quã Reformatos. Nec vero propterea vel sacrum Ordinem turbare, vel segregare se ab eo putanda Societas, quòd extra morem illius Ordinis, ab Episcoporũ proximo iure eximatur; solemni siquidem, & peculiari sibi voto, tota pẽdet ex nutu summi omnium Pastoris, cuius in gregem vniuersum prouidentiæ est, illa vti, vbicumque animarum salus, & Episcoporum obsequium tulerit. Episcopis quidem, si potius Obedientiam, quàm summo Pontifici iurasset, quod iuuandis eorum ouibus minùs necessarium videbatur; in magnum profecto Ecclesiæ totius incommodum cessurum id erat, nam quæ carent Episcopis regiones, hæreticis, & infidelibus infestæ, Societatis quoque subsidio caruissent, quod iis à Christi Vicario transmissum, animas Deo peperit innumerabiles; imo vt suo iam sæculo testatur Pius V. regna integra Ecclesiæ adiunxit. Præterquam quod Pontificiæ potestatis, non exiguum erat ornamentum, habere in promptu tot hominum millia, iis dotibus præditorum, quas in professis admittendis Societas necessariò exigit, ad nutum expedita paratáque ex voto, absque vlla excusatione, & viatico, ad suscipiendum iter quocumque gentium barbararum, cuiusuis negotij causa, quamlibet ardui, ac periculosi ad salutem animarum spectantis. Quod tametsi semper futurum fuit Pontificibus summis perhonorificum, & Christianis perutile, verum hac ætate perneccessarium, vnde tum summi Pontifices, tum quos pridem memoraui scriptores, Christum suæ Ecclesiæ eiusque Vicario, ad necessitates rerum, & temporum nouas, aiunt noua hæc arma prouidisse. Iam non esse hanc pompæ inanis iactantiam, & nomen sine re vacuum, sed Societatem rebus gestis, promissi mensuram cumulatè impleſſe, ambigi vetant tum facta ipsa quæ suis locis historia loquetur, tum absque numero omnis generis hæreticorum scripta, vnam hanc ob causam ad infamiam nominis, ad doctrinæ suggillationem, ad Instituti ludibrium, & dedecorandam Societatem composita. Contendit suos inter Caluinistas Lermæus, magnis quidem nostris promissionibus ad defensionem Rom. Pontificis nos esse obstrictos, factis tamen promissa generosè vicisse, & flocci duxisse, si tantum ministros religionis reformatæ exagitaremus, nisi tota etiam Gallia, & Germania simpliciorem ætatem dementaremus amore, & reuerentia Romanæ sedis, Qua in arte nos esse tam potentes, vt dibaphorum citius

vaneſcat purpura, quam *flos Papæ doctrinæ*; quo iuuentutem imbuimus Atlantes Papæ, nos appellat Caluini aſſecla Miſenus: Haſenmullerus, Romani Epiſcopi lictores; Vitacherus Papiſmi medullam: Euangeliſtas Pontificis Eumius, *cauſam pro ipſo adeo ſtrenuè agentes, vt vix aliquid grauius pro Chriſto præſtari poſſit.* Quibus bellè item conſentit pictura qua concurrentes nos exhibent ad fulciendam Petri ſedem Lutheri calcibus ſuccuſſam, quia vero, inquit; Florimundus, per Societatis latera Eccleſiam petunt; ob id pari homines pietate, ac ſapientia, rati hæc dedecora pro ſummis, & inuidendis honoribus habenda, multo aliter ſcripſere, quam ex vulgo nonnulli, qui nos ex multis accuſatoribus reos, ex multorum odiis iudicant infelices. Longè inquam, aliter duo ſapientiſſimi Cardinales Staniſlaus Hoſius, & Guillelmus Alanus, quorum ille Societatis homines alloquens, [veſtra, inquit, felicitas eſt, veſtra beatitudo tanto, maior, quanto ab Chriſti rebellibus crudeliora toleratis, à quibus nihil vobis pertimeſcendum eſt: *nam capilli capitis veſtri omnes numerati ſunt*, vtque is promiſit, ne vnus quidem ex iis peribit; accedet etiam *quod in patientia veſtra poſſidebitis animas veſtras.* Neque illas tantum poſſeſſuri eſtis, ſed animas aduerſariorum etiam lucri facietis, quibus minori odio non eſtis quam eſſet olim hebræis Chriſtus, in cuius Societate militatis vt perpeſſionum cum illo nunc ſocij, poſtea ſitis conſolationis, æternarumque voluptatum. Quare viriliter agite, & magno animo eſtote: futurum eſt, qui vos execrantur, eo vſque mutentur, vt vos ad ſe certatim magnis precibus, inuitent, quo ſalubri veſtra diſciplina, & exemplis fruantur] Alter vero in apologia pro ſeminario anglicano [noua eſt, ait, iſtorum hominum viuendi ratio, & Ordo; doctrina, & fides omnino eadem quæ Patrum veterum, & Eccleſiæ vniuerſæ. Hæreticis odio, & contemptui ſunt, quod ſibi Hieronymus dicebat maximè glorioſum, hos enim à Deo ſubmiſſos ad reparandas Lutheri, & Caluini, ac ſimilium ruinas, quanta hæretici execratione deteſtantur, tanta illos auerſati quondam hæretici, ſanctiſſimos homines quos ſecum in pugnam Deus commiſerat.] Iam votum Obedientiæ Chriſti Vicario nuncupandæ, Societati magis quam vlli præterea hominum generi conuenire Staniſlaus Reſcius eximiè colligit, ex alio Societatis eiuſdem voto de repudiandis Eccleſiæ præfecturis, Echios enim, Taperos; Roffenſes, Moros, Heſſelios, Hoſios, Sanderos, eiuſdémque menſuræ homines qui contra Eccleſiæ præduelles, voce, ac ſcriptis fulminarunt; haud parem ſuæ pietatis, & ſapientiæ apud eos fidem inueniſſe, quod falſo licet, ſuſpecti tamen eſſent, in prædicanda veritate non caſtè ſatis, & integrè verſari abſque vlla commodorum ſuorum ratione, velut, ait ille, *quam profitebantur fidem, eam ob Papæ metum, ob cenſuum, redituum, Epiſcopatuum, & id genus amorem tuerentur. Propterea viſum eſt Domino nouos homines ſuſcitare, ſine re, ſine ſede, ſine Epiſcopatibus, ſine abbatiis, viles in oculis ſæculi, nihil timentes*

niſi

niſi Deum, nihil ſperantes niſi à Deo, qui mortem pro Chriſto lucrum putarent, occidi poſſent, vinci non poſſent.

VII. *Inſtinctu S. Ignatij abſolutiſſimũ, & quod illa quæ habet propria, & quoad illa quæ non habet ex aliis Ordinibus communia.*

Alterum quod eſſe conſequens aiebam ex eo, quod Clericalis ordo ſit Societas Ieſu, & pro inſtituti ſui ratione, proximorum ſaluti ſe totam debeat, alterum, inquam eſt, non eſſe propterea mancam, aut re vlla defectam quod minimè iuſſa ſit ab ſancto ſuo fundatore omnia complecti, quæ cæteri Ordines Religioſorum magno ſuo, & bono, & Eccleſiæ decore profitentur. Extra dubium eſt rei præſtantiam, addendis quæ illi non quadrant, non minus confundi, quam detrahendis quæ ad eam propriè pertinent: quæ porro pertineant, vel ab ea ſint aliena, certo aliundè decerni non poteſt, præterquam ex fine, vtpote omnium ad eam ſpectantium norma & regula. Exemplo ſit architectonice quæ niſi, abſurdè, quamlibet fabricam quolibet Ordine non diſponet; ſua ædibus ſacris, ſua palatiis, ſua eſt arcibus figura. Quòd quidem ædificia ſunt, quædam neceſſariò, natura ſua poſcunt; fundamenta, muros, & communia omnibus talia: quod autem in vſus extruantur, finéſque diuerſos; diuini cultus, habitationis, propugnationis; inter ſe plurimum differunt. Sic planè Ordines in eo omnes ſibi ſunt ſimiles, quod vnde vnde ſi abſit, Religioſi rem, & nomen amittant, cuiuſmodi eſt ſacra Profeſſio, & obſeruatio votorum; cætera inter ſe ſic diſcrepant vt ſunt fines diuerſi, quos habent à Deo, & fundatoribus præſtitutos, & Ordo ni fallor Melitenſium Equitum, Monaſticus, & Clericalis, haud magis inter ſe conueniunt, quàm arx, palatium, & templum. Hic ſi quis Monachos ex ſacris eductos Chartuſiis in ſcholas inducat, horas quotidie ſaltem quinas more noſtro docendis pueris daturos; aut mittat illos in vltimas Indias ad conuerſionem barbarorum; his licet bona ſint excellentiſſimæ caritatis, quis neget tamen præſtantiſſimi Ordinis compoſitiſſimam diſturbari ſtructuram, auertique illum à familiaritate cum Deo intima quam pro fine habet, contemplationis præſidio quærendam. Nempe quod per ſe bonum, non ſtatim cuilibet idcirco bonum eſt. Haud prorſus aliter qui Societatem ad chorum, & ſolitudinem, & ſimilia compelli voluerit, eam ſuſdéque euerterit. Quod adeo certum eſt vt religioſos videamus qui vel Pontificis, vel prælatorum ſuorum aſſenſu, iuuandis animis, vltro ſuam operam locarunt, iure ab choro, ieiuniis, etiam quandoque ab religioſo habitu geſtando eximi; vt mirum videri non debeat, Ordinem cui ex inſtituto, iuuamen incumbit animarum, lege ſibi propria id tenere, quod extra morem aliis indulgetur, extra morem dico, haud quidem officij, ſed eius Ordinis quem ipſi profitentur. Planè artem regendæ vniuerſitatis, ſcitè intelligens in ſalutem aliorum natæ, rectóque ac ſimplici oculo inſpectum S. Ignatij Inſtitutum cognoſcens, reuerebitur in eius conformatione, ſublimitatem mentis ad omnem humanam, & diuinam prudentiam exactæ. Tandem hæretici, quibus pro quinto elemento Societatis odium eſt, eiuſque architecti; in conſtructione illius

illius condemnanda, non satis peritè (dempris aliquibus) maligni esse valuerunt, ne nimium stolidi viderentur, vtique gratius habituri, si foret Societas inordinatior, & dissipatior: quanquam arbitrati, ab ea animas, sanandi specie necari, dum eas primùm ad Romanam fidem, inde ad seruandam Dei legem adducit; Constitutiones Ignatij velut exquisitam symphoniam laudarunt; sed incantamentis verborum aptatam, audientes in monstra totidem mutaturis. Verumenimverò (quod in architectos, & sculptores egregios Michaël Angelus aiebat) qui oculum habet pro circino, & in eo quod cernit opere, artis solertiam percipit, partiumque consensum ex quibus coaluit, de hoc profecto Ignatij opere, seu Dei potiùs Ignatium agentis, nec sentire aliud, nec loqui poterit, quàm quod olim Philippus Sega Cardinalis, *Artem qua id corpus tàm pulchrè, tam aptè, tam excellenter coagmentatum est diuinam prorsus non humanam fuisse, & eius architectum Ignatium, non tàm peritiâ labore partâ, quàm luce, è cœlo impertita, illud coagmentasse.*

VIII. Et hoc supremi Pontifices facilè aduerterunt, qui ex alta boni publici specula, illuminata diuinitùs acie, prospiciunt longius, vt iure debeat ipsorum iudicium tanquam regula sentiendi, in subiectos populos transire; alioqui sensuros, & affectu magis, quam ex iudicio, & vel admodum parum, vel transuersum à recto visuros. Perspectum itaque Ponfi-

Gregor.13. Quacumq; & Quanto fructuosius.

cibus fuit Societatis institutum *iuxta diuinæ vocationis dispositionem emanasse.* Atque in eo ita conserendo, vt suum vtrumque in scopum, propriæ scilicet, aliorúmque sanctitatis pari felicitate contenderet, *spiritum sanctum qui bonæ memoriæ Ignatium Loyolam eiusque socios excitauit, media etiam præclara, maximéque opportuna huius sedes ministerio, iis tribuisse, atque confirmasse*, &c. quæ illic enumerat Pontifex. Ex quo deinde velut indubitato principio, hæc regula extitit quam in Societatis causa Gre-

Ecclesia Catholica.

gorio XIV. Spiritus sanctus infudit certissimam, *quoniam*, inquit, *neque tranquillitati, neque firmitati huiusmodi Ordinum prospectum esse poterit, nisi eorum Instituta firmiter inconcussa seruentur, iisdemque modis feliciter progrediantur, & crescant, quibus à fundatoribus, Domino inspirante, atque hac sancta sede approbante primum fundata sunt.* Et paulò inferiùs, *In regularis disciplinæ, ac spiritualis perfectionis, non exiguum detrimentum verget, si ea quæ à fundatoribus sanctè statuta sunt, atque ab illo vniuerso Ordine sæpius in illius Generalibus Congregationibus recepta, & approbata; & quod præcipuum est, ab hac sancta sede sancita, & confirmata sunt, non solùm mutari, sed quocumque prætextu impugnari contingat*; &c. planè vt picturis, non nemo scripsit accidere, quarum si aut ætas, aut casus, colores, aut elegantiam fuscarint, non sunt mutandis lineamentis, figurísque corrigendæ, sed rediuiuis coloribus in pristinam speciem excitandæ, vt suum non modò nomen retineant, verùm etiam seipsas. Quod in Societatis quidem rebus quamuis initio, præferret aliquid fortassis probabile, sed eam tandem haud minùs esset deiecturum, quàm ædificia

motis

motis fundamentis, necesse sit subrui. Idque sapienter vnus Pontificum attigit, qui molitiones quorundam referens, ad subripiendam à Pio V. sanctæ mem. mutationem aliquam in agendi modo quem tenet Societas [his, inquit, & talibus impugnantium inuentis si detur aditus, Societatis structura funditus corruat] & cum ea simul id emolumentum quod suorum sudore, & sanguine Societas, Ecclesiæ parit. Quare (præfatur grauissimè Gregorius XIII.) *eius Instituta tanquam fundamenta eius præsidij, quod Catholicæ religioni impendunt, immota, atque inconcussa, aliorum etiam Rom. Pontificum exemplo debemus Apostolica auctoritate tueri.* Postremò vt quiuis intelligat Constitutiones Societatis, statuta, & regulæ, decreta, & quælibet Instituti pars, quam pulchrè cohæreant, quam securitatem iis tribuerit Apostolica testificatio; instar omnium sit, quod ab cognitoribus Rom. Rotæ, Papales Constitutiones nominantur, cum multiplici Instituti nostri laudata confirmatione ab Iulio III. Gregorio XIII. & XIV. & Paulo V. *per quorum*, inquit, literas confirmatur Institutum, Constitutiones, *ac statuta & decreta*, & subdit, *ita vt dubitari non possit de validitate dictarum constitutionum debeántque censeri papales.* Et hoc illa demonstrat ratio singularis quod diserto Pontificis iussu compositas, sanctus earum auctor statim initio testatur; tum quod à Paulo IV. Cardinalium quatuor, seuero examini subiectæ, integram ex eo tulere approbationem; Inde præter, ac post eundem Paulum, Pontifices quatuor, maioribus eas diplomatis, & *motu proprio*, & *ex certa scientia*, & *ex plenitudine potestatis*, firmas esse iusserunt, eamque approbationem ita omnibus, & singulis tribuerunt, vt si singulas verbatim Constitutiones, Regulas, statuta, decreta, &c. suis diplomatis expressissent, idcircò hunc illis vti Papalibus constitutionibus honorem deferri, pœnis grauibus imperarunt, ne quis illas ausu temerario damnare, vel impugnare attentaret, ne in dubium quidem reuocare, boni licet maioris colore, ac studio enucleandæ veritatis, ipsis quoque Societatis hominibus, eiusdem imperij religione comprehensis legantur hæc omnia ex Constitutione *Ecclesiæ Catholicæ* Gregorij XIV. *Vt perturbatorum, & contradicentium audatia coërceatur, ac ne ipsi, vel pernitioso illorum exemplo alij in posterum, quæ ab hac Apostolica sede semel stabilita sunt, præcipuè circa regularium Ordinum Institutionem, & Confirmationem, in quibus tantum ad eandem sedem manus apponere spectat; impugnare, aut eneruare, impunè præsumant. aut vllo modo valeant, Præcipimus in virtute sanctæ Obedientiæ, vniuersis, & singulis personis tam secularibus, quam quorumuis Ordinum Regularibus, cuiuscumque status, gradus, & præeminentiæ existant, etiamsi Episcopali, Archiepiscopali, & Patriarchali, aut maiori Ecclesiastica dignitate, seu Cardinalatus honore, vel mundana quauis auctoritate, seu Excellentia præfulgeant; ipsis vero Regularibus, etiam dictæ Societatis religiosis, sub pœnis Excommunicationis latæ sententiæ necnon inhabilitatis ad quæuis officia & dignitates, vocisque tam actiuæ, quàm passiuæ priuationis, eo ipso absque alia declaratione incurrendis, (quarum absolutionem, nobis*

Bul. Ascendente Domino.

Decis. 477. n. 6. p. 4. recet.

ac successoribus nostris dumtaxat reseruamus, ne dicta Societatis Institutum, Constitutiones, aut Decreta, vel ex eis quidpiam, &c. maioris boni, aut zeli, seu quouis alio quæsito colore, aut prætextu, directè, vel indirectè, impugnare, vel immutari, alterari, aut formam aliam, seu rationem circa ea induci curare, &c. audeant, &c.

IX. *Diuisio constit. S. Ignatij in decem partes, earumque nexus.*

Indicata nunc leuidense atque in genere, structura Instituti ab Ignatio exædificati, sequitur imprimis vt aptas inter se constitutionum partes videamus, earumque distinctam conformationem, provt ab illo præscriptæ sunt; rationum deinde seorsum pondus quibus auersus est, seu dicam verius, à Deo vetitus, quædam in eas inducere, quæ sanctè in alios Ordines inducta seruantur: Corpus ergo Constitutionum decem partibus aptauit, ita nexis, vt posteriores à prioribus oriantur, eo nascendi crescendique, ac sui tuendi ordine, quem religiosæ vniuersitatis bene compositæ iunctura deposcit. Pars prima dotes numeratò ponit, quibus esse præditos oportet qui admittendi sunt in hoc vitæ genus; næuos item qui ab eo arcent, si sciantur; si vero ignorentur admissionem irritam faciunt, perperámque adscitos excludunt. Cum autem qui cooptati sunt, expectationi quam fecerant, non omnes inter experimenta respondeant, nec sit ineptis Societas oneranda; parte altera causas, modúmque præscribit, quo dimitti ab ea debeant: qui vero retinentur horum multos in annos periclitatio tenditur, priusquam Societatis corpori accedant: variis itaque auxiliis prouehendi sunt in cursu pietatis, & egent regula, quâ contineantur in propositi fide, fiántque habiles ad ministeria, quæ quisque pro virili sua præstiturus est saluti alienæ, vtrique pars tertia Constitutionum abundè prospexit. Sed ministeria quæ ex instituto Societas maximè profitetur, cum supellectilem exigant literarum minimè vulgarem, de illarum studiis, progressu, ordine, gradibus, partitione scientiarum, & linguarum, pars quarta præscribit, & de totius Vniuersitatis dispositione: de regendis quoque sustentandisque Collegiis ibidem agitur, in quibus seorsim à Professis domibus habentur scholæ. Et eatenus quidem de necessariis ad professionem votorum quatuor, quâ Societatis corpori inseruntur, qui suam in literis, & virtute præstantiam, cumulatè Societati probauerint. Quare parte quinta conditiones exponuntur, tum gradus illius Professorum; tum inferioris alterius spiritualium adiutorum, in quo illi consistunt, quibus mediocritas sua superiorem negauerit. Iam Societati intime adiunctos, consequens fuit edoceri primùm, quales in seipsos deceret se gerere, idque præcipuè votis religiosè obseruandis, quod docet sexta pars; tum erga proximum, obeundis Societatis muneribus, quibus eorum iuuatur salus; missionibus præsertim, iubente Pontifice, vel Generali Præposito susceptis, vt septimo loco edicitur. Quibus huc vsque omnibus Societatis corpus formatum est, caput autem illius, quæ consequuntur partes duæ propius attingunt; docet enim, & sancit Octaua Societatis cum illo nexum, & de legendo illo & conuentu ad eam electionem

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

nem Generali tractat; nona Societatis cum eodem ſtabilitur conſenſus eius benè regendæ præſidia, & mutua vtriuſque auctoritas; decima denique augendi, tuendíque ſui, communes viæ Societati aſſignantur, atque hoc Ordine Ignatij conſtitutiones denatia hæc articulatio connectit, ac diuidit; quibus ab ipſomet, ad ſingula capita, addita eſt elucidatio, cui (vt Generali quoque Examini) non minor quam ipſis obſeruantia debetur. Quod autem prima poſt ſancti obitum Congregatione Generali quæſitum eſt, an eſſet aliquid in iis mutandum? cauſam hanc patres habuêre, non fuiſſe illis poſtremam manum, vltimamque approbationem à fundatore ſancto adhibitam; decretum nihilo ſecius, intactas penitùs ſeruari, obſeruaríque oportere, neque in poſterum de vllo conſúlendum, quod earum ſubſtantiam tangeret: cætera momenti leuioris, poſſent dumtaxat hac lege proponi, ne qua in iis item admitteretur mutatio, niſi quàm experientia, aut euidens ratio imperaret, quibuſdam vero extra legitimum Conſtitutionum canonem regulis de quibus S. Patris comperta mens vltima non erat, ſuam cuique vim, & locum eadem Congregatio tribuit. Sic itaque Conſtitutiones ex S. Viri autographo exſcriptæ, & magna fide cum eo compoſitæ, inde in propriam, atque immobilem Ordinis legem acceptæ ſunt, & publico iuſſu ab Ioanne Polanco Secretario ſubſcriptæ, ac ſigillo munitæ, ab eodem poſtea Latinè ex Hiſpanico redditæ, demum ſæpius collatæ, emendatæque ad primigenium textum, poſt plenam approbationem typis editæ ſunt. Nunc partem alteram quod ſpectat.

X. *Cur Societas certo habitu non vtatur.*

Id primum occurrit, certi coloris, aut formæ præſcriptum habitum Societatem non habere, quod parum aduertens ſcriptor quidam vitæ Pauli IV. habitum nobis de ſuo Ordine commodauit, cum tamen ab eo quo vulgo vtimur veſtitu, aliena ſint nonnulla, quæ ſunt illius Ordinis in veſte propria. Tunicæ quidem erectum collare à patriis Sacerdotibus honeſtis fundator ſumpſit, talarem vero pallij vice Scholaſticis dedit, Pariſientium imitatione, inter quos & ipſe ſtuduerat, & quò iuuenes noſtros primùm ad ſtudia miſerat, ſed horum neutro ſchemate ita ſocij vtuntur, quin pro varietate regionum, & occaſionum, diuerſum adhibeant. Clericorum cultu incedimus, quòd clerici ſumus, & (ſi cui lubeat) ſit hic ſanè noſtri Ordinis proprius, nempè clericalis. Eius autem modum conditione triplici ſanctus definiuit. *Vt honeſtus ſit; vt ad vſum loci in quo viuitur accommodatus; vt profeſſioni paupertatis non repugnet.* Præter quas fuit aliundè ita idonea ratio, vt neceſſaria quoque videatur; Hæretici enim ad ſeptentrionem, veterem cultum monachorum tam exoſum, & execrabilem populis fecerant; vt iis conuertendis deuota Societas, prudenter, & neceſſariò abſtinuerit eo cultu, cuius ipſi aſpectum exhorrebant, ne tanquam à feris ſic ij ab ſociis fugerent, qui tamen ſolo eorum congreſſu domeſtico & familiari iuuari poterant: quin etiam, cùm inter ethnicos plus auctoritatis ad fidem habeat literatorum cultus, vt

Mandarinorum inter Sinas, inter Indos Brachmanum; posito Clericali, ad tempus ille induitur. Et quibus Prouinciis non sustinet hæresis vmbram vllam vestitus Ecclesiastici, illic in milites, in seruos, in medicos, mercatores, artifices fingimur, transcribimúrque in omnia quibuscumque potest aditus muniri ad latentes Catholicos sine suspicionis periculo adiuuandos.

XI. Choro præterea Societas abstinet, priuata officij contenta recitatione quod Dominico Soto visum est ab religiosis familiis adeò alienum, vt cum nulli earum licere censuisset, carere hac parte tam necessaria contemplationis; hæc verba subiunxerit; *loquor de religionibus antiquis, nam si alius religionis modus circa huiusmodi obligationes admittatur, certe vix nomen Religionis meretur, quippe quæ maximo religionis splendore caret.* Quod magnæ moderationis, grauitatisque doctor, *Pessimè dictum* liberè arguit, tanto sanè haud dignum Theologo, qui præter chorum, in quo tantum ponit, quicquid religioso deesset Ordini (quod esse vult tantulum, vt si chorus non desit, religionis tamen nomen retineat) id omne ex choro, cantúque publico suppleri putauerit. Sotus, celebris in Theologicis magister, choro adesset, necne, alij viderint, illud certum, notúmque, multis Ordinibus religiosa disciplina claris in more esse, vt ij qui concionantur, qui docent, qui ad magnum Ecclesiæ decorem, atque vsum, eiusmodi munera exercent, priuata lege ab choro eximantur, nec idcirco fiat, vt *vix* ij sint religiosi, sed cò fortassis verius inde sibi hoc nomen asserant, quò præstantius officium, & Deo gloriosius exercent. Igitur si ordo natura sua id nactum sit, quod ordinibus cæteris, ex causa indulgetur, immunitatem scilicet ab choro, is nempe vix religiosus Soto censente vocabitur? Iam quod suo ab ortu Societatem choro fundator suus obstringi noluerit, summíque Pontifices idem sanciuerint, patet imprimis ex eiusdem Constitutionum parte sexta vbi hæc habentur: *quoniam occupationes quæ ad animarum auxilium assumuntur magni momenti sunt, & nostri instituti propria, & valdè frequentes, eumque alioqui nostra habitatio tàm sit in hoc, vel illo loco incerta; non venient nostri choro ad horas canonicas, vel missas, & alia officia decantanda; quandoquidem illis quos ad ea audienda deuotio mouerit, abundè suppetet, vnde sibiipsis satisfaciant. Per nostros autem ea tractari conuenit, quæ nostræ vocationis ad Dei gloriam magis sunt propria.* Cuius sanciendæ Constitutionis argumentum maius viderunt nullum summi Pontifices quam egregios progressus, suis copiosè respondentes principiis, sic præter alios Gregorius XIII. *Nos considerantes,* inquit, *Religionem prædictam vberrimos fructus ad Dei Laudem, & sanctæ Catholicæ fidei propagationem per vniuersum orbem dedisse, meritóque in suis propriis institutis confouendam esse, motu proprio, & ex certa nostra scientia sociis prædictis, vt horas canonicas singuli, & priuatim iuxta vsum R. Ecclesiæ, nõ autem communiter, seu in choro recitare teneantur, quo acrius studiis, lectionibus & prædicationibus intendere possint, concedimus.* Ad hęc Societas, extra monasticos Ordines instituta, hoc siue adiumentum, seu caput aliquod cõtemplationis nequaquã desiderat, vt quam nõ habeat sibi pro fine propositam. Nam

Lib. 3. de Iust. & iure q. 5. art. 3.

Suar. tom. 4. de relig. l. 1. cap. 8.

Const. Ex sedis Apostolicæ.

splendor,

splendor, tanti apud laudatum Theologum momenti, vt summam Ordinum religiosorum in eo statuere visus sit, nulla sui parte Societati deesse compertus est. Sane quidem Tridentini Patres, & quinque Pontifices, à quibus probata, & confirmata est, semper fere præmisso acri examine, ab Theologiæ & canonum peritis, postque aduersarios potentes diligenter auditos, haud paulo aliter de illa iudicarunt; integritate enim morum ex instituto vigentium inspecta, supputatisque lucris infractæ ipsius ac perpetuæ operæ (qui legitimus est opinor eiusmodi Ordinis ac verus splendor) tam magnificè testati sunt Illustratam ab ea Ecclesiam (quantum poterat ab Ordinum minimo Illustrari) vt de suis narranti ægrè illa referre liceat. Societatem videlicet contuebantur vt tabulam, suo in lumine collocatam, in quo tota sui elegantia se prodit, cum in opposito nihil exhibeat præter colores temerè confusos, illam, inquam, spectarunt suo scopo intentam, hoc est ab Ecclesia præscriptis in conuersionem animarum obsequiis, non autem monasticis, quibus magna cum laude tot alij Ordines sanctè occupantur, viderúntque, *quantum in Ecclesia Dei hactenus fructum attulisset* (iam tum Pio IV. cuius hæc sunt verba, Pontifice) *& quantum in futurum allatura esset* vtque sanctissimus item Pontifex Pius V. *Innumerabiles fructus quos benedicente Domino Christiano orbi, viros literarum præcipuè sacrarum scientia, religione, vita exemplari, morúmque sanctimonia perspicuos, multorum religiosissimos præceptores, & verbi diuini etiam apud longinquas, & barbaras illas nationes, quæ Deum penitus non nouerunt, optimos prædicatores, & interpretes producendo, felicissimè hactenus attulisset, & adhuc sollicitis studiis afferre non desisteret. Tam vtiles*, nempe, vt ait Gregor. XIII. *tamque necessarias functiones quas tum in Domibus per frequentem Pœnitentiæ, & Eucharistiæ Sacramentorum administrationem, & ad eorum frequentationem sectandam exhortationem, prædicationémque, & spiritualia Exercitia, ac alia verbi Dei ministeria, tum in Collegiis per lectiones tam bonarum literarum, quam Philosophiæ etiam, & Theologiæ; ad Iuuentutem bonis moribus & literis imbuendam ex ipsius Societatis primæua instituti erectione, ac diuina vocatione magno Dei beneficio, & Ecclesiæ spirituali emolumento exercet.* Clemens vero 8. nullis inquit, fractis laboribus, nullis vitæ periculis territi ad propagandam religionem Christianam, Catholicæ fidei conseruationem, atque vbi res poscit, restitutionem, demum ad salutem animarum procurandam, profecti sunt, & progrediuntur nunc etiam occasione quauis, ad agrum Domini excolendum officiis, & ministeriis pietatis. Quam etiam ob causam Societas à Paulo V. *Sancta, & nunquam satis laudata Religio* dicta est, ob singularem, vt perhonorificè testatur, quam ex ea ducebat, & antea duxerat vtilitatem Ecclesia. Tandem Gregorius XV. Virdunensi Epicopo Carolo à Lotharingia concedens vt Societatem amplecteretur, breui diplomate sic eum alloquitur. *Quod Reip. Christianæ bono fiat, abiectis humanarum curarum opúmque impedimentis, proficiscere*

Const. Etsi ex debito. Bul. innumerabiles.

Bul. Saluato-

ad eam sacræ militiæ Societatem, Catholici nominis defensione, & hæreticorum excidiis clarissimam. Hæc ergo, vt dixi, Pontificibus comperta, qui Societatem æquis luminibus spectârant, multiplex ab eis præconium tulêre, cuius pauca quæ reddidi, si non erro satis conficiunt, Societatem choro destitutam haudquaquam splendore destitui. Quo sane si choro teneretur, & ipsa luceret parciùs, nec posset alios pro Instituti ratione, nisi parciùs illustrare. Præter hæc tamen ex iis quæ Societatem conflant variis conditionibus facilè cernitur, non potuisse illam à Sancto Fundatore chori officiis obstringi sine magna totius Ordinis, vitæ, ac munerum perturbatione. Domos enim habet Probationum, Collegiorum, & Professas: tyrones qui probantur, præter alias interdum, horas quotidiè in excolendo animo ponunt quinque, sesquihoram meditationi; alterum tantum piæ lectioni, cohortationibus, collationibus, tum Examinibus Generalibus duobus, totidem propriis, altero peractæ meditationis, altero vitij quod euelli, virtutis quam animo inseri, maximè interest, & eiusmodi nonnullis. Ad hæc aliquot menses peregrinationi, nosocomiis, ministeriis vilibus & abiectis impendunt; nec inter se nisi de diuinis sinuntur colloqui; ne cilicia quidem & pia flagella dum ad laxandum animum vnà texunt, ab audiendo libro aliquo pio sunt vacui: breuiter mentem, extra somni horas toto biennio tenent semper in Deo occupatam, tenerentúrque in eo diutius, si foret aut dies productior, aut contentioni vires suppeterent. Nec stare minoris prima illa potest vitæ impressio, quæ est illorum Instituto germana, hominémque interiùs fingit conscientiæ puritate, suimet contemptu, domandis affectibus, virtutum solido, & familiaritate cum Deo. Hac igitur animi tam densa, & varia distentos applicatione, an fas sit etiam cantu onerare, nemo est opinor quin videat. In collegiis autem studendo, docendo ita incumbitur, vt sua meditationi, examinibus, & his similibus, sacrata spatia seruentur, quibus adeò non potest noua mentis occupatio adiungi, vt vel hæ vnæ ab externis compluribus modum putentur excedere, & qui frequenter iis intabescunt, & sanguinem excreant, argumento sint alios, non esse grauius premendos. Porrigitur siquidem annos tredecim is labor; docendi curriculo ab infimis literis ad vsque Rhetoricam; studendi à Rhetorica ad metam Theologiæ supremam perducto. Denique Professorum domos operarij incolunt, quos ait sua quadam Epistola S. Ignatius *debere semper in procinctu stare, ad capessendas quocumque gentium missiones pro vocationis nostræ munere, & Instituto quod in Domino sectamur.*] Extra illas autem in templis ad confessiones, occupantur; in Sodalitiis B. Virginis, in nosocomiis, in carcere, in doctrina Christiana pueris tradenda, visendis iuuandísque ægrotis, concionibus habendis, & eius generis aliis, quibus ij pariter detinentur, quos in Collegiis docendi, aut studendi pensum, ab iis non eximit.

Postremo

XII.

Cur Societas communem omnibus afflictationum mensuram nō habeat, sed viribus singulorum cōgruentem.

Postremo Societas, pœnarum quas obeat mensuram non habet omnibus communem. Melchior Voletus Lutheranus ministeriarcha, & qui ex eius debacchatione idem exscripsere, Societatis partes faciunt omnino duas, vnam Carnificum, aliam damnatorum; illam infamium, hanc sceleratorum: huius dicti fidem vt faciant, fabulantur apud nos in Collegiis subterraneos haberi specus situ, & tenebris horridos, in quos secreti descendant aditus; illic barbara quæuis cruciandi genera haberi, ferrum, ignes, fidiculas, eculeos, taureas, catenas, vngulas, forcipes, & quid non? ad salutandum, aui mala quisquis in eos aduenerit domesticos inferos illic è nostris carnifices agere, personarique vestibus, & laruis ad terrorem mire formidabilibus: cruciandos quoque de nostris esse, & alios fustibus contundi, distorqueri aliis brachia, commissuras luxari, aqua conglaciata, & feruente perfundi; omnes miris scilicet modis, & comibus excipi, nec fas cuiquam illorum propterea, vitam motu testari, nedum suspiriis dolori aditum laxare; nam vt pullos aquilæ ad solem; sic Societatem suas ad ignem, & tormenta, proles legitimas probare. Hoc porro examen decretorium esse professionis conferendæ, vel negandæ, missionis ad conuertendos hæreticos, & ethnicos, cum Ordinis gloria obeundæ; inde enim producti, velut è schola gladiatoria, assuetique ad batuendum cum ipsa morte, vbi postea cum illa serio pugnandum, eam tam nihili faciunt, vt inserto quoque in laqueum collo de patibulo prædicent, & medio in rogo cantent. Aliorum pectus angustius, inde id saltem lucrifacit, vt quod inest regulis durius, pro ludo habeant, illam maximè obedientiam ad iubentium nutus semper expeditam. Hæc iste de nobis hæreticus commenta somniat. Alij vero prorsus contraria: domos nostras Elisios esse, spinam in iis videri nullam, quæ leui aliqua punctione, pœnitentiæ index fiat. Degere nos ab rebus omnibus commodissimè instructos, domi ac foris deliciari nos, spirare ambarum, & melle diffluere. Ita nos hic spinis, rosis alius coronat, fitque sua cuique libido styli, scribendi de nobis arbitra, vt è quolibet saxo sculptor quiuis pro ingenio suo bestiam effingit, aut Deum. Esto, & sua sit omnibus fingendi licentia; sic tamen ex vero res habet. Aliud est religiosam familiam asperis, seu pœnitentiis carere, aliud earum mensuram non habere communem omnibus, singulis æqualiter diuisam. Prius illud planè Ordo nullus in Ecclesia admittit; secundum Societatis est', atque in eum quem ambit scopum sapientissimè prouisum, Deo legislatorem sanctum ad hoc decernendum, & scribendum mouente. Nec enim longa tritum experientia latere poterat, quid & quantum conferrent hæ pœnæ ad altam virtutem, quive esse deberet illarum modus; nec tam parum consultè, pietatem heroicam suis designabat, vt omitteret vias indicare, ad eam maxime opportunas: Societati ergo afflictationes imperauit, sed quas instituti finis, præpositorum iudicium & cuiusque vires metirentur, nec iubere aliud prudenter valuit; vnos enim illarum vetuit vsus immodicos (qui tum forent si susciperentur inuitis præpositis, si iuuandis animis

animis obessent, si iusto grauius corpus attererent) cætera quæ ad illas spectant Societati reliquit integra, cuius regulæ profecto, satis non fecerit qui asperitates eiusmodi, infra valetudinis suæ modum, & iniuncti officij necessarias facultates metiri sibi statuerit. Patebunt hæc euidentius ipsis rebus cum Deo dante tot illos memorabo, quibus in Societate dum viuerent asperitas hæc fuit peramica & familiaris: iam quod bonum factum fundatoris edicto succini deceat, quo tribus iis quas dixi regulis vsum exterioris pœnitentiæ circumscripsit; quodque ad hoc etiam spectarint quæ illo adhuc superstite Iulius III. Societatem approbans sic pronuntiauit: *nihil quod pium sanctúmque non sit, in dicta Societate, eiusque laudabilibus institutis reperiri*; non est operosum asserere. Has siquidem afflictationes cum viæ sint quædam ad eum finem in quem per se possunt aliquid prodesse, (possunt autem vt valetudini potio medica; & solutio crediti, debentis libertati) ex fine præcipuo censeri oportuit, in quem collineant, vti & alia omnia, quibus ad nostram, proximorumque salutem conamur præsidia, cum earum præsertim fructus, longe iis cedant, quos *diuinissimos*, ex fine S. Dionysius ait existere: sanctè igitur Constituit Ignatius dum ait, *Corporis castigatio immoderata esse non debet, nec indiscreta, in vigiliis, & abstinentiis, & aliis pœnitentiis externis, ac laboribus quæ & nocumentum afferre, & maiora bona impedire solent.* Valétque hæc ratio in iis corporis vexationibus quæ latent, sed est eadem plane in aliis etiam, quæ se in publicum proferunt, vt est solitudo, asperitas vestium, & his similia, vsitatum enim viuendi morem, formámque vestium, ad familiarem, & vtilem cum hominibus consuetudinem felicius cedere, non est pluribus disputandum, nisi quis ambigit, an Dei filius ad hoc homo factus, vt homines sibi, hoc est veræ saluti assereret, vias ad hoc inierit, omnium maxime certas, & congruas. Ex quo S. Thomas præsim respondet quærentibus, fuerítne conducibilius Christum cultu austero victúque incedere, an vero communi & familiari? negat enim fuisse: nam *qui cum aliquibus conuersatur, conuenientissimum est, vt se eis in conuersatione conformet secundum illud Apostoli, primæ ad Corinthios nono; Omnibus omnia factus sum, & ideò conuenientissimum fuit vt Christus, in cibo, & potu communiter se sicut alij haberet.* Quod in vestium modo, tanto verius est, quanto fideliùs, intuentium oculis, interpretantur illius qui eo vtitur interiora placita, & sensus. Verum quod Christus, nec mensa in speciem austera, nec veste sit vsus, haud illam propterea reiecit velut parum aptam hominibus ad se reuocandis; cum in prodromo suo Ioanne Baptista hæc illi placuerit, qui eremum incoluit, & induebatur camelorum setis pungentibus, & *non manducans, neque bibens*, est dictus; etsi enim fere pelliciuntur homines amabilitate, quæ se naturæ accommodans, instar hami capiendam se præbet vt capiat. Sunt tamen quos rapit admirabilitas, quæ de rerum insolentia nascitur, raram sanctitatis imaginem, horrore vestium, & ieiuniorum præferente. Quare alio loco S. Thomas *Dupliciter homines attrahun-*

S. Thom. lect. 2. in c. 4. ep. 1. ad tim.

tur

tur ad bonam vitam, quidam enim per speciem sanctitatis, alij per viam familiaritatis. Dominus autem, & Ioannes diuiserunt sibi duas vias. Ioannes, imo Dominus per Ioannem elegit sibi viam austeritatis; pro se elegit viam lenitatis. Non diffundo latius hoc caput sanctorum sententiis; dumtaxat moneo Deum præter dona humanis superiora, solitum etiam, suauitatem quandam morum, affabilem & comem, suppeditare delectis ab se hominibus ad opem animis ferendam; ob quam charitatis vim rapacem, sanctámque pellaciam, id sibi non falso arrogent, quod Nazianzenus de seipso narrat, nempè cum prodiret Constantinopoli ad dicendũ, concurrisse populum ad amicam vocem, nec secus ab ore dicentis pendere solitos; quam congesti ex ferro annuli, qui admoto magneti confertim insiliunt; remotioribus sic propiores vrgentibus, vt promissæ ex iis catenæ pendeant, vno amoris indeprehenso nexu, affabrè contextæ. *Eodem modo* inquit, *erga me affecti esse videmini, nam & ex me pendetis, & alij ex aliis, mutuo nexu cohærentes, & omnes ex Deo, de quo, & in quem omnia.* Talem, vt alios taceam, fuisse nouimus Orientis Apostolum Franciscum Xauerium, præter sanctimoniam sublimem, ea præditum amabilitate, vt occulto quodam (ita dictitabant) ingenij philtro, accedentes sibi adiungeret, quare Deo interdum vocante, & necessitate barbarorum, sedem vertere compulsus, clam noctu id facere cogebatur, vt se maturè præoccupatis complexibus, precibus, lacrymis suorum extricaret, sic enim ipse de se scribit, *& quod mirabilius est*, ait de monacho iuuene sancto, Chrysostomus (quibus putes Franciscum Xauerium ab eo describi.) *Exteriore quidem cultu nihil à cæteris differre videbatur, non enim agrestibus, vel incomptis erat moribus, non comæ negligentia, non amictus vilitate nobilis, sed erat communis habitu, veste, aspectu, & cæteris omnibus, quibus ex rebus factum est vt facilius plurimos intra retia sua includeret, cum haberet intrinsecus incredibilem sapientiam.* Lib. 3 aduer. sus vitup. vitæ mon.

Generatim autem de hoc in scopum Societatis, vitæ vsu, Louanienſis Cancellarius Ruardus Taper post explicatas in auditorio frequenti causas, huius, in speciem communis, nostræ viuendi rationis, notatósque illius successus, eximiè concluſit. *Omnia propemodum sunt communia, sed interim perducunt ad maxima.* Qui genuinus est instituti finis, & nostræ huiusce regulæ scopus verus. Iam diuersa cum sit affligendi sui mensura iis adhibenda qui ex officio aliis laborant, ab ea quam adhibent, qui sibi vnis & serunt, & metunt; ne quem amor proprij commodi sibi faceret iusto mitiorem; aut truciorem feruentius suimet odium, tenendæ iudices mediocritatis S. Ignatius eos qui præsunt assignauit, qui spontaneas suorum pœnas sic attemperarent eorũm viribus, & Societatis scopo, vt iis noxiæ non essent, huic plurimum conferrent, atque hoc illarum peculiarem nobis vsum ab eo discriminat, qui est cæteris ordinibus communis, quod ij scripta, nos viua regula; ij æqualiter singulis, nos pro portione illum dimetimur. Quod omnino rem accuratius pendenti facile cernetur, ægrè aliter decerni potuisse; ferè si quidem maximè vtiles ad ministeria publica salu-

tis alienæ, ferendis asperitatibus corporis, ob attritas vires longinquitate studiorum, & valetudinem exesam, ineptiores sunt, quàm alij robustiori sanitate, sed ingenij donis non æquè ornati, ex quo fit vt isti vix pondus sentiant quod foret illis intolerabile. Ne barbaros quidem natura voluit æquitatem, hanc animantibus negare, & eas impari publicis commodis onere premere. Vltra libras centum equis cursoriis ne quis imponeret Theodoricus pœna sanxit; *Nimis enim absurdum est*, inquit, *vt à quo celeritas exigitur, magnis ponderibus opprimatur.* Sed hic minimè omittendum de regulis aliquot, extra corpus Constitutionum repertis, charactere autographo sancti fundatoris, quoad easdem afflictationes. 1. nimirum si pulsu prauorum affectuum insolenti, animam ad scelus cacodæmon proritet; remediis quoque insolitis spontaneæ afflictationis, præter consuetas repellendum. 2. si parum domiti naturæ impetus, verba factaue à nobis frequenter excutiant, ab eo quod profitemur aliena, tamdiu esse durius castigandos, dum prorsus nobis obtemperent, sua etiam lapsui cuilibet taxata pœna. 3. de more præterea sanctorum veteri, in cilicio, & inedia, precando, vigilandóque Deo prosternamur vbi necessitates publicæ incumbunt, vel priuati boni nobis ab eo impetrandi. 4. ex duplici afflictionum genere, præferendas esse, quæ sensum inferunt acriorem, sed damnum leuius, his enim corpus molestius, & durabilius affligi, cum è contrario quæ minori sensu valetudini multum officiunt; & leuius crucient, & fracta breui sanitate citius fiant intolerabiles. 5. debere nobis corporis excusationes semper esse suspectas, quippe fugam laboris, ficta debilitate virium prætexere soliti: quare dum molestiam queritur, non esse lactandum spe vlla liberationis, sed mutatione æqualis molestiæ eludendum 6. haud paulo ardentius insistendum interiori homini domando, quàm corpori; & frangendis animi, motibus, quàm ossibus; ac licet vtrique danda opera sit, verum priori illi, præcipuè, perpetuò, atque ab omnibus; alteri vero quantùm & rerum, & personæ, & temporis conditio exigit. Cui pulchrè concinit quod Henrico IV. Galliarum regi vir cordatæ virtutis Chartusianus Monachus respondit, interroganti, quid esset discriminis inter asperitatem Iesuitæ, & Chartusiani? quod hic, inquit, corpore macerando, animum Deo subdit; ille frangendo animo, corpus obsequi Deo cogit.

Cassiod. l. 5. ep. 5. & l. 4. ep. 47.

XIII. *Societatis Institutum strictioris esse Regulæ.*

Stabilitâ pœnitentiæ mensurâ, quam palam fecimus in Societate non debuisse omnibus præscribi æqualem, videndum superest, num propterea laxiorem, an austeram, strictæque regulæ censeri Societatem oporteat. Qua in re id primum dici potest, religiosos ordines inter se collatos, alios aliis plus minus præcellere, cum insit cuique aliquid singulare quod cæteri minimè profitentur. Deinde austera quæ dicuntur, non circumscribi rebus quæ corpus cruciant; sed austeriora esse longéque grauiora quæ se intro in animum penetrant. In his Societas cuiusmodi sit, ex paucis ostendo disciplinæ illius capitibus, quam non habent solum Constitutiones velut sepulchro reconditam, sed viuaci obseruatione Dei gratia omnes tenent quotquot

quotquot volunt Societatem retinere. Primum ergo, Probationis annos habet omnino tres, duos initio; confectis studiis tertium, quo velut à pueris, *in affectus schola* (sic illum vocat S. Ignatius, vetera pietatis tyrocinia repetuntur. Huius anni propositum, arctior cum Deo familiaritas prolixiori meditatione captanda; instaurandus animi ardor, literarum feruore intepescere consuetus, simulque cum corpore minui. Quare aiebat S. Pater, se in vniuersum sat habere, si nostri scholastici, qua virtute studia inchoassent, eadem ex iis prodirent. Ad hoc propositum, exercitiis spiritualibus mensis primum integer sumitur, horas quotidiè quatuor meditando, & continuo secessu, omnem hominum consuetudinem vitando. Post hunc mensis alter missionibus tribuitur; ministeriis vilibus, & laicis tertius; in quibus vt alias semper vigere oportet eorum vsum *quæ ad profectum in humilitate, & abnegationem vniuersi amoris sensualis, voluntatis, & iudicij proprij, & maiorem cognitionem, & amorem Dei conferunt.* 2. Præter has habet Societas probationem annorum octodecim, quibus totis obseruamur, notamur, inuestigamur, arguimur, & sicubi desit necessarius virtutis modus, vt quis eius corpori adiungatur, nec dilatus in alios menses emendetur, futurum oneri in seculum remittit. Quæ causa est vel Professionis, vel pro merito cuiusque, gradus alterius post tot annos nostris conferendi 3. quod nostræ quoque disciplinæ peculiare est, nec ita facile, magnam scilicet vitæ partem, inter probationes pendere ambiguum, nec extra periculum dimissionis indecoræ, si commeritus sis, nec securum gradus, cui te parem Præpositus iudicaturus sit; paratum tamen ad quemlibet. Hoc sanè tantum est vt peritorum iudicio, difficilioris tolerantiæ putetur, quam quicquid potuit asperitatis corporeæ induci in Societatem. Certum est in his propugnandam esse virtutis vi magna constantiam, magna vi Obedientiæ, abdicatione sui, rerumque omnium contemptu. 4. adde limam literarij studij surdo morsu studentes, annos circiter tredecim depascentem, & seueritate multorum examinum; suspensa interea cuiusque sorte, vel continuandæ, vel omittendæ illius occupationis, si cui minus cum illa, vel minus cuipiã ipsa conueniat. 5. in his numerentur anni quatuor aut quinque, docendis in schola pietatem, & literas pueris (quod satis sit dicere) tribuendi. Præscriptis in eam rem horarum quinque, quotidie spatiis, præter alia priuatim extra id temporis sæpius addenda, opus omnino fastidij plenum, & patientiæ, ac demittendi sui seges ampliſſima. 6. horum autem, & cuiusvis alterius laboris, merces vna, Deo placere, & hominibus prodesse, nec fas absque graui piaculo aliam vndecumque admittere: itaque nemini etiam eleemosynæ nomine vel obolum licet in proprios vsus accipere. Ne domi quidem meritis præmium vllum est, nec quos maior illustrat authoritas, vtilitas, generis claritas, & prærogatiua religiosæ ætatis, lege vlla priuata infimis præferuntur, æquo omnes habentur, & communi iure, & qui olim domi suæ potens; qui nunc domi nostræ magnus atque emeritus, nullo meritorum, & titulorum discrimine, promiscuè mediis, & postremissimis æquatur. Vna omnium spes, & corona Deus, qui pondus cuiusque

Part. 5. Cõst. c. 2. §. 1.

Ibid.

que sua lance explorat. Atque ex eo nostros omnes ducere ambitus, & in eum referre tam integrè, iubemur; vt ne gratiam quidem, nedum honorem, aut commodum ex laboribus nostris expectemus 8. Igitur nec ætas, annis, præfecturis, rebus, alióve titulo diu condecorata, tantum cuiquam dat immunitatis; vt dare, vel accipere literas valeat, nisi eius qui præsit oculis, censuræque obnoxias; vt eius iniussu triobolũ insumere; vt denique post annos religiosæ glorioſæque operæ quinquaginta, plus sibi arrogare, quam cum primum in tyrocinium subiit. Itaque illud scitè dictum, in Societate senes iuuentutẽ; iuuenes viuere senectutem, quòd ex illis iuuenum disciplina, ex his senum maturitas, & constantia exigatur. 9. auget mirum quantùm iam dicta, incredibilis parendi necessitas ex eorum qui regunt nutibus in omnia docilis, & in quæuis tum loca, tum munera, tum ministeria agilis: hoc vero in pauca collectum verba, nihilominus quàm operosum sit, facilè argumentabitur, qui dulce bonum libertatis, iurisque proprij, quantum sibi, quantum mortalibus omnibus iucundè sapiat, animaduerterit: ex opposito enim conficiet quanti sit, ex alieno arbitratu, in omnibus etiam minimis adúsque vltimum vitæ halitum pendere, religione illa, & diligentia parendi perpetua, quam Societas profitetur, de qua est illud Gregorij Magni tot annos in cœnobio experti, valdè prudens effatum, *longe altioris meriti esse propriam voluntatem, alienæ semper voluntati subiicere, quam magnis ieiuniis corpus atterere, aut per compunctionem se in secretiori sacrificio mactare.* Non est ergo apud nos in arbitrio cuiusquam, locum sibi, cubiculum, officium aliquod aptare; aut mandatum ab rectoribus munus ita possidere, vt eo non possit, ab iis moueri vbicumque Deo gratius fore statuerint. 10. auget illa item coctu difficilis, famæ nostræ contemptio, qua nos iure omni existimationis propriæ abdicamus, & cuique liberum volumus quicquid in nobis extra confessionis, & secreti arcanum obseruarit, leuius grauius, nobis etiam insciis deferre ad præsides; haud quidem vt causæ, ac pœnæ iudices; sed tanquam Patres emendationis curatores: & hoc famæ iure, tunc eo ipso exuimur, cum illi Ordini nomen damus, cuius nemo est capax nisi qui hac lege teneri se velit, & sentiat. Quare inter illa quæ interrogantur, qui nobis adiungi cupiunt, hoc à fundatore distinctè præcipitur. *Ad maiorem in spiritu profectum, & præcipuè ad maiorem submissionem, & humilitatem propriam, interrogetur an contentus sit futurus, vt omnes errores, & defectus, & res quæcumque, quæ notatæ in eo, & obseruatæ fuerint, superioribus per quemuis qui extra confessionem eas acceperit manifestentur.* Quod sanctè ad virtutem; ad æquitatem iure optimo statutum, recens auctor, stultitiam, honoris sui prodigam vocauit. Et illo antiquior Bannes, tacito Societatis nomine de hac agens ipsius regula, *Mihi profecto*, inquit, *durum videtur, vt tota communitas religionis profiteatur tantum rigorem; in cuius executione postea qui non fuerint valdè perfecti, facile perturbabuntur, videntes passim sua delicta occulta, notaesse prælato.* Quæ tamen Dei est bonitas, absque vlla perturbatione,

L. 6. in c. 15. 1. Regum.

c. 4 §. 8. Exam. gen. Contr. Theo. Mor. t. 1. l. 1. tr. 3. contr. 3. n. 28. 22. q. 33. a. 8. dub. 2. ad 6.

apud

apud nos diligentissimè id seruatur, vocationis propriæ quam dicimus, gratia, proprium quoque ad hoc facilitatis præsidium afflante. 12. Postremo culpæ etiam perleues, imò errata noxæ omnis expertia, publicis emendantur pœnis; culpæ vero lethales extra sacramenti arcanum deprehensæ non sinunt reos in Societate tolerari, vt S. ipse Ignatius Rom. Collegio (vnaque Societati vniuersæ) per Martinum Olauium edixit. Sunt hæc aliqua de occultiori asperitate nostræ disciplinæ, quibus addendum est. Fere omnia processu annorum callum non ducere, nam ad illam Iudicij voluntatisque Obedientiam, ex alieno arbitrio, omni vita perpetuo pendulam; ad illam proculcationem libertatis, ac genij; ad illum sui, ac famæ in magnis animi, & ingenij opibus post ingentia merita contemptum; tantum abest vt sensus annis, & assuetudine hebescat; vt potius fiat acutior, & cum ætate, iudicio, auctoritate, ac meritis crescat, pungátque tunc per se acrius, cum per animi virtutem dissimulatur constantius.

XIV. *Cur in Societate gradus Professorum, Adiutorum, Scholarium.*

Ad gradus venio quibus Societatis homines distinguntur. Quidam enim sunt velut adhuc in via. Viam emensi consistunt alij: Experimenta hic viam appello; in ea versantur primum nouitij qui vt explorantur, futurine sint ad Societatem idonei, sic explorant vicissim, & ipsi, satisne sibi illa conueniat: hinc vbi partibus vtrimque mutuo factum satis, vota nuncupant tria, religiosis communia: necdum tamen gressum eo loco firmant, vnde non sit vlterius eundum; inde scilicet alteram ineunt probandi sui viam, priore haud paulo longiorem; in qua deinceps non est iis integrum, suscepti ordinis retinendi periculum facere; sed experitur Societas, in quo illos gradu collocatura sit: voto interea singulari statim ab tyrocinio deuinctos, acquiescendi cuilibet gradui quem illis Præpositus assignarit; sunt que duo ij gradus classium in quos vniuersa experimentorum periclitatio desinit, Professorum videlicet, & spiritualium adiutorum: quarum necessitatem mirè sapientem docet ipsa natura, quæ per se quidem ad perfecta contendit semper & nititur; non tamen semper ad optatum euadit. Ita Societati propositum quidem est, ad Professionem votorum quatuor suos perducere, quæ pars sui est princeps, & maximè nobilis: verum vt illa, quæ viam muniunt ad perfectum opus, interdum offendunt materiam minus idoneam, nec fingi facilem; pro illius tamen ingenio metallum cudunt compositionis non semper absolutissimæ, quale suapte natura conceperant, sed vsus nihilominus boni, & commodi; sic planè Societas delectus non habet adeò fœlices, vt non aliquando in eas indoles, & ingenia incidat, ex quibus non potest Scientia, & virtus ad Professionis mensuram extundi, quare hi secundum à Professione gradum constituunt, in spiritualibus adiutores, & trium votorum Professi: demum vt à principiis rudibus natura ad excellentiam opificij momento non scandit, sed paulatim, & profectu quodam qualitatum, quæ susceptam materiam, & parant, & probant; sic Professus quatuor votorum, non est fusilis labor, sed lentus & diuturnus, quo in virum doctum, & virtute præstantem excuditur, qualem videlicet credenda

denda illi officia depoſcunt; Per id vero tempus, quod ferè multos annos tenet, experimentum ſui præbet, & approbati ſcholaris nomenclatione deſignatur. Quæ admodum clarè ab Gregorio XIII. explicantur dum Societatis Inſtituta confirmat. *Qui ad Profeſſionem*, inquit, *quatuor votorum admittendi ſunt, eos iuxta Conſtitutiones eaſdem, & Apoſtolica decreta, & Indulta, viros omnino humiles, ac prudentes in Chriſto & in vitæ puritate, ac literis conſpicuos; diuturníſque, ac diligentiſſimis experimentis probatos, atque Sacerdotes, & in miniſteriis huiuſmodi prius, diu multúmque verſatos, vocatio hæc requirit, vtpote quos ardua maneant miniſteria, quò fit vt non omnes ad eandem Profeſſionem idonei eſſe, nec tales ſine longa exercitatione, atque experimento fieri, aut etiam cognoſci poſſint. Quapropter Societatis corpus in ſua membra, & gradu, idem Ignatius diuino inſtinctu, ita duxit diſponendum, vt præter eos quos Præpoſitus Generalis, ad Profeſſionem quatuor votorum idoneos eſſe cenſuerit, & nonnullos quos interdum ad Profeſſionem trium admittere poteſt, reliqui etiam Sacerdotes, quorum vita & doctrina in Societate diu probata eſſet, ac Præpoſito Generali perſpecta, & de ipſius licentia, in Coadiutorum Spiritualium formatorum gradum, per tria illa vota, ſimiliter publica, ſed ſimplicia in ſuperioris manibus emiſſa admitterentur.* Sunt verò illa quæ vocat Pontifex miniſteria ardua, profeſſis obeunda; quæ ſaluti animarum nauant, in Miſſionibus præſertim, ad quas voto ſolemni quarto (qui gradus huius character eſt) Vicario Chriſti ſe mancipant, quocumque terrarum, & gentium nullo diſcrimine, profecturi, nihil excuſaturi, nullius viatici opem quæſituri, ſic fiunt, quod ait idem Gregorius, *Veluti viatores omni tempore parati, expectantéſque diem, & horam, qua vel ad extremas orbis regiones, cum venit vſus emittantur.* Quam in rem nemo non videat, tota opus eſſe ſuimet deſtitutione, & perpetuo procinctu, ad proiiciendas pro Deo animas inter fidei hoſtes, & barbaros; magno item ſcientiæ, literatúmque armamentario ad conſerendas cum iis pugnas; potiſſimum vero, grandi virtutum commeatu, ardore charitatis, patientia ærumnarum, magnitudine animi inter pericula, demiſſione in ſucceſſibus proſperis, collectione in Deum aſſidua ex tot curis in tot proximorum auxilia diuiſis, præ omnibus vero conſcientiæ, Deum ac ſeipſam aſſuetæ præ omnibus vereri, procúlque arbitris, ſanctimonia conſtanti, inter ſexcenta offendicula egere. Experimur profecto quotidie, miſſionibus his quas profeſſis committit, Pontificis nutu Præpoſitus, virtutes eo loco dignas, & prorſus heroicas luculenter quidem ſe prodere, ſed miniſterio tam ſublimi, atque difficili ſic neceſſarias, vt minoribus expleri non valeat. Hoc ergo virtutis, & doctrinarum faſtigium qui prehendere nequeunt, conſiſtunt in gradu altero, ſpiritualium ſcilicet Adiutorum; niſi ſi quem aut dotes aliæ maximo vſui futuræ, aut merita in Societatem, aliudve quidpiam inſigne, ad profeſſionem votorum trium ſed ſolemnem, Generali Præpoſito commendarit, quam tamen is raro concedit, ac fermè ex indulgentia quadam priuatæ gratiæ, qua Societati inſeruntur cum eſſent

Bulla Aſcendente Domino.

claſſi

classi adiutorum spiritualium adscribendi, in quo habetur eorum potius, quàm Societatis ratio, cum è contrario in cooptatione professorum ad quatuor vota, spectetur Societatis bonum,& dignitas;quæ ex ipsis præcipuè conflatur.

XV.

Votis porro simplicibus, ij quoque, vt attigi, se Deo obstringunt, qui certam inter nos, nondum classem adepti, ad eam interea probantur,& expoliuntur; de quibus nonnulla elucidanda sunt. Primum, tribus his votis, etsi simplicibus, post tyrocinium positum deuinctos, non minus verè, ac proprie religiosos esse, quam Societatis, & quorumuis Ordinum professos. Ita quidem Gregorius XIII. post cuius decretum ausi tamen scribere nonnulli, demptis solemnium votorum professis reliquos omnes in Societate, seculares esse, vnis tantum subdi Episcopis; cæterum sui Dominos esse; posse in alios ordines; posse in seculum suo iure transire: Pontificem priuati Doctoris officio functum, dum contraria sensisset, potuisse errare; huc enim illos cæca æmulatio egerat, dum se diplomate quo nimis aperte Pontifex in oppositum illos constrinxerat, nituntur euoluere. Quare aliud diploma biennio pòst idem edidit, quo nulla iuris omissa cautione qua solent Pontifices, certos suæ mentis populos facere, decernit nostros votis simplicibus, religiosos verè, ac propriè effici, nec Societatis aut aliorum Ordinum professis quoad hoc in vllo cedere: hoc autem ab se haudquaquam priuatum doctorem agente decerni; seque effugia hæc maligna mentem suam peruersè interpretantium, ausus temerarij damnare. Alterum est vota illa tria, ex primaria sui institutione, esse perpetua; nec posse, nisi aduentitia quapiam aliunde ex causa, vi sua excidere, qui enim hæc nuncupant, sponte, ac liberè in omnem vitam Deo, & Societati se obstringunt; vicissim ad eos perpetuo retinendos,fidem Societas obligat;dumtaxat si fuerint, quales ex eius institutis oportere se esse peruiderunt. Verum quòd status votorum simplicium, experimenti est, vt explicuimus, & experimenti probatio, natura sua in alterutrum anceps, non sinit admitti quos demùm compererit ineptos; tunc possunt dimitti ab Societate,si tales sese præbuerint, nec enim poterat probandos,apud se tot annos tenere voto omni solutos,absque grauissima Ordinis perturbatione,nec eius vinculi religiosum nexum circumscribere tempore, quo constantem in gradum essent promouendi, ne vt magna prudentia vidit Pius V. decursis studiis aut aliquanto post, pro arbitrij sui libidine Ægypti allia gustarent,& sic Societas, *deluſa, & defraudata viris ſua impenſâ, & labore doctis, careret literatis, qui operam in vinea Domini, iuxta ipſius Societatis inſtituta, moremque præſtari ſolitam, valerent adimplere.* Debuit igitur votorum religio,quoad ipsos esse perpetua, cuius ipsi vim prius, & naturam edocti, quàm ei se subderent; eamque vltro nihilominus amplexi, nullam sibi causam residuam faciunt quærendi, de nexus vtrimque mutui, dispari obligatione; qua Societati quidem tenentur perpetua; Societas vero ipsis eatenus donec ni grauissimis de causis, vtque Examinis explicatio loquitur,*iuſtiſſimis*,compellatur

Vota simplicia in Soc. licet non solemnia, religiosos verè efficiunt,sunt per se perpetua quo modo tamen solui possint? & Dominum cũ illis secluso vsu consistere Bull. quanto fructuosius, &c.

Bull. Ascend-nte. Quod est quiddam nouissimum admirabile concessum Societati, & confirmatum, &c.Nauar. tom.1 de Regul.n.19.

Bull.Æquum reputamus, &c.

pellatur nonnunquam eos velut noxium pondus à se abiicere. Tertium, ex quo Societas missionem causariam, legitimè cuipiam, vel concesserit, vel imperauerit; exinde votis ita eum absoluit, vt si nunquam adstrictus iis foret. Cum enim essent eum solummodo in finem edita, à quo tunc ij penitus excluduntur, re quam expetieras sublata liquet vias ad illam esse iam irritas. Quartum est, voto Paupertatis, bonorum iure interea minimè priuari seu quæ possederant, seu quæ poterant sperare, quoad certo in gradu, vitæ statum denique fixerint; vsu tantum illorum inhiberi, qui ex paupertatis ratione sic necessariò consequitur, vt non magis possint, inuitis qui præ sunt, vel obolo vti, quam si iam essent vota solemnia professi, alioqui si bonis excideret, dum ad immobiles probantur gradus, angi magnoperè tum iis dimittendis Societatem oporteret, tum eos probroso incommodo extra Societatem mendicare, si ad illam ineptos se exhibuissent.

XVI. Hic rerum nostrarum, priusquam cætera expono, lectoris animum aduertam oportet ad exquisitam prudentiam; æquitatémque beati fundatoris, in iis quæ dicta sunt ex eorum fine, ceu principe regula decernendis. Summam ergo illorum hic reddo, suis ordinatim digestam nexámque articulis, vt vno conspectu mutua illorum habitudo, Institutique omnis ratio cernatur. Fine itaque perficiendi sui, & proximi, Societati proposito, non potuit ex cœnobiis ea decerpere, quæ sanctè in iis obseruantur, nisi quorum vsus, in hunc finem futurus esset maximè opportunus, hac ipsa opportunitate legendorum simul & modum, & legenda dictante. Hinc illa de vestitu, de choro, de afflictatione corporis decreta quæ asseruimus. Verum huic tam vasto iuuandorum ad æternam salutem hominum, Societatis scopo, inest peculiare propositum, nostris laboribus regiones quaslibet peragrandi (quod votum solemne Christi Vicario nuncupandum, tribus consuetis quartum adiungimus) cuius excellentia operis, homines flagitat, qui magnis virtutibus, & scientia excellant; quæ duo parari, ac probari, cum nisi multorum annorum spatio non valerent, instituenda fuit eorum classis, qui acri virtutum, & doctrinæ palæstra excolerentur ad tanti operis executionem, suique interea profectus specimen, & experimentum darent; est vero classis hæc approbatorum, scholariũ quos cum vnius ingenij atque facultatis natura non finxerit, nec decuit etiam, vno omnes æquali tempore, in experimentis detineri; sed periclitandi moras, tum merito, tum spebus quas de se quisque dat definiri. His tamen omnibus, si omnes eò pertigerint quò illos Societas, iisdem omnes præsidiis contendit attollere, absque vlla dubitatione quatuor votorum professio debetur. Sed cum multorum habilitas, & comparatio, eorum conatibus parum respondeat, necessarius fuit gradus inferior, adiutorum spiritualium, ac (si noua quædam extra morem ratio compellat) trium votorum professio: quamdiu vero formantur explorantúrque dotes studentium, absurdum erat perinde nobiscum velut in sæculo omni

omni voto solutos degere : nec minus absurdum temporariis vinciri votis, probationum spatio definitis ; ex quibus pro libito possent retrò ire, ac diuturnos Societatis sumptus, labores, & contentiones desertione impia, impudentíque tunc fallere, cum forent in eam adlegendi. Quare interim votis religiosorum adstringi illos oportuit, simplicibus quidem, sed quantum ad illos pertinet, nunquam prorsus laxandis. Ligantur itaque ne pro arbitrio militiam deserant ; sed possunt ab Societate, haud quidem leuiter, ac liberè, verum ob solam ineptitudinem, & commeritum dimitti vel eiici ; cum hac tantum lege ad nos accesserint, hac lege inter nos admissi sint. Ex hac potestate dimittendi, statim consequitur libertas, eorum qui iure dimittuntur, votis quibus erant deuincti, soluta penitus: vbi enim iam prorsus ab Societate excluduntur, teneri votis deinceps non possunt, eò tantùm conceptis vt possent in eam cooptari, indidem quoque id sequitur vt quamdiu nobiscum nondum stabiles versantur, bonorum sint suorum domini ; licet eorum vsu, nisi superior annuat, paupertatis voto arceantur. Addo ad extremum, ne ab suis muneribus Sacerdotes, scholasticos ab studiis quicquam interpellet, excogitatam esse domesticorum classem adiutorum, qui se propterea quotidiano Marthæ ministerio addixerunt. Atque hi post tyrocinium bienne, votorum trium priuata & simplici nuncupatione illigantur, cum in eos non cadat illorum professio ; sed decennio circiter probati vota eadem publicè nuncupant, post quæ tamen, quod non sint solemnia, nihil vetat, si quando commeriti fuerint ex Societate amandari. Inter hos autem, vtpote Laicos, & Sacerdotes diuinis in rebus adiutores, ratione votorum quæ in publico edunt, discrimen nullum est, fiunt enim vtrique tùm hæreditatis, tum successionis incapaces. Sed ratione illorum quæ tractant, sic differunt, vt qui æterna, & temporaria administrantes, temporaria, inquam, sed in scopum subiecta nobilem, obsequendi Deo, salutíque multorum, dum adsunt iis omni cura, quos ad eam salutem totos obedientia applicat. Quin eandem & ipsi, possunt debéntque per se promouere, adhortatione sanctísque consiliis, dum tamen hac in re, suo se modulo semper metiantur, & hæc summa dictorum hactenus. Porrò in Ordine regulari, Religiosum votis simplicibus effici ; Vota illa non posse ab Episcopis resolui ; Paupertatis veræ rationem, cum bonorum iure, ac possessione consistere ; Longè impari nexu teneri admissos, ad perseuerandum ; Societatem ad eos retinendos, missione demum legitima recedentibus ab Societate, vota plenè, & integrè remitti, iuris hæc omnia seu noui sunt, siue instaurati, quamobrem, nonnulli (inquit Gregor. XIII. *omnia ex aliorum regularium Ordinum communibus rationibus, formis, ac statutis metientes, Societatis Institutum, peculiares Constitutiones, ac vim votorum simplicium illius, à sede Apostolica in eadem Societatis religione probata admissorum penitus ignorantes, ac nonnulla iure antiquo perperam interpretantes, conuellere nituntur.* Atenim illius Institutum omne tam firmis hæret tum æqui-

tatis radicibus, tum auctoritatis supremæ, partes illius distinctè singulas approbantis, vt nefas sit ex iis, quacumque specie, quicquam in dubium vocare, vel explicationibus interpolare.

XVII. *De præscriptis à S. Ignatio Societatis augendæ præsidiis, ac primum de admittendorum delectu.*

Societatis natura in hunc modum expressa, eiusque auxiliis ad agendum, & Ordine graduum; sequuntur ad vltimum eius conseruandæ, promouendæque præsidia, fundatoris sancti præceptionibus tradita. Horum sine controuersia caput est, illorum delectus qui eam ambiunt, nam vt illa vi nutriendi qua viuunt animantes, alimenta inepta corpori non accedunt, nisi pessimè affecta, & cum praui humoris damnoso affluxu, ex quo necesse est morbos gigni & temperiem insitam pessum ire; ita per delectus promiscuos tyronum; vitiatis succis, religiosorum ordinum corpora inquinantur, aut graui deinde molestia purgandis, aut damno maiori retinendis: quemuis aditum in Societatem præter illum quem S. Ignatius, parte prima Constitutionum aperuit, merito B. Borgia, Exitij portam, nominauit, iniqua ergo est illa vulgi, de nobis expostulatio, & laude mutanda; hamo nos, non reti piscari, *turbam reti concludi*, vt ait Ambrosius, *hamo eligi singularem.* Præterquam quod enim, non sunt religiosi Ordines emunctoria publica, & cloacæ, in quæ domus priuatæ, suas noxas & molesta pondera protrudant, & Caini ritu, agrestibus Deo primitiis supplicent; vetat ratio delectus haberi minus curiosos adscribendorum in aliquem Ordinem, quàm sit eius Ordinis scopus excellens, & arduus: quare publico bono destinati, hominibus egent fructuosè ac tutò (qui non passim occurrunt) in publicum mittendis, & hoc idem mihi maximè cordi est, aiebat olim Henricus I V. Parisiensi Senatui optiones tyronum lectissimas in nobis arguenti, in faciendo inquit exercitu, conscribo semper quàm optimos; id si neglexero, habiturus sim pro certo militem, pedibus quam manu promptiorem, estque hoc effatum præstantis militiæ doctoris; *Vires regni, & Romani nominis fundamentum in prima delectorum Examinatione consistere.* Tot has nihilominus tàm diligentes curas, non raro exitus eludunt, & qui de se spes magnas principio fecerant, magnam partem abortiunt, multo plures futuri, si negligentius legerentur, nam si numeri magis quam iusti ponderis examen habeatur, breuilliam illam Societas referat, prole esto, præcinctam numerosa, sed lacrymosam, & ingemiscentem, multiplicata gente, non magnificatam lætitiam: necesse est igitur ex S. Ignatij super his præscripto, Societatis candidatos, næuis aliquibus carere; ornamentis quibusdam instructos esse. Debent ergo priuata Hæreseos, schismatis, homicidij carere culpa, & ex immani aliquo scelere vulgata infamia; debent esse ab omni seruitutis, & coniugij vinculo liberi; debent nullam mentis, aut corporis infirmitatem pati, qua efficiantur inutiles; debent eremitarum habitum, aut alterius Ordinis (dempto militari) profitendi animo nunquam induisse. His impedimentis fores non patent in Societatem; aliud addidit grauibus de causis, quinta Societatis Congregatio, etsi iuris non æquè seueri,

Veget. l. 1. cap. 7.

seueri, nempe ortum hebræo, aut saraceno ex genere: præter quæ sunt alia non ita grauias de quibus iudicant penes quos admittendi ius est, an eiusmodi sint quæ hominem faciant ad instituti munera ineptum, vt si quis anno decimo quinto minor, vel quinquagesimo grandior, si multum iudicio; memoria; ingenio deficit; si ferox indole, & virtuti refractaria, atque indocili; si diu prauis incoctus moribus; si mente à fine optimo distorta; obæratus, valetudine infirmus: quamuis S. Fundator haud multum huic vltimo attendebat, si accederet excellentia virtutis, atque ingenij; aiens sic affectos, & semianimes, sæpè validis, & integri roboris præstare. Quibus autem instructos esse oporteat, qui nobis adiungi cupiunt, ferè quidem sunt quæcumque animum, & corpus ad bene viuendum, & præclarè agendum comparant. Vnum tamen in iis eminet, quod antiquus è Societate Pater sic scriptum reliquit [Dixi, ait, Patri Ignatio Christianæ mentis magnitudinem inesse quandam, qua diuino fretus auxilio, multa, & grandia, Deóque maximè glorioſa, Instituto nostro complexus est: quæ nobis quoque debet virtus inesse; animi scilicet amplitudo, omnium capax, & auida, quæcumque nobis, etiam ardua, summéque heroica suis Constitutionibus præscripsit. Nec sit qui arrogantiam hanc putet, & virtutis priuatæ fiduciam, difficilia quæuis auctrice Obedientia ex Instituto suscipere; fundat enim hoc animi robur ex sui totius, acuta, nec dissimulata perspicientia, sui demissio. Hinc quantum viderint, tum ex nostris, tum ex aliis viri sapientes facilè apparet, qui Societatem paucorum esse censuerunt. Philippum quidem Melanctonem, pestilentem hæreticum, proximè moriturum, vitæ odium cœpisse dicitur in id temporis extractæ, quo de gestis Xauerij apud Indos ea discere cogebatur, quæ se cum acerbo cruciatu necarent; ergo erigens sese subito impetu, & circumactis indignanter oculis, *bone Deus*, ait, *quid est hoc? video totum mundum plenum Iesuitarum.* Quanto exclamasset furiosius, si nunc illos vidisset, subdit Burdigalensis Senator Florimundus, tot prouinciis, domibus, Collegiis, Stationibus, toto orbe fusos? hoc eodem ex luto Melanctonis, compegit Philippicam Arnaldus qua dolet vehementer, naturam sui erga nos oblitam, & crudelitatem ferarum in homines, sterilitate emendasse, ne multiplici earum fœtu, regiones fierent inhabitabiles: huius vero in nobis prouidentiæ salubris immemorem, augeri nos eò vsque passam, vt breui terram inundaturi videamur. Intelligere non poterat! homo cæcus causæ præstantiam, ex qua sibi tàm tristes, quàm exosi fructus nascebantur; pridem alioqui videre illam potuisset ex breuiori diplomate Pij V. ad Colonienſem Archiepiscopum, Salentinum de Comitibus Isemburgensibus, vbi præter alia [factum ait, vt ex varia & vberi messe quam Societatis pietas, caritas, morum integritas, & sanctimonia in Ecclesiam congregabat, ipsa Societas cresceret, paucisque annis Christiani orbis, fere omnes prouincias collegio aliquo decoraret, optandúmque vt essent multo plura, in locis maximè lue hæreseos contactis, propterea, inquit, 21. Maij 1568.

Societatem hanc complecti debemus, ac tueri, vt reipsa facimus.] Verum etsi res ita se habeant, sed possent aditus in Societatem adeò laxari, ad spargendos quocumque terrarum ex illa homines, vt tandem operariorum numero laborans, eorum opera egeret: nam qui strenuè rem agant, & panci sunt & ex bonis selecti; cæteri ferè impedimenta & sarcinæ, retia lacerant, & nauim deprimunt, *Mihi cumulus iste suspectus est*, inquit Ambrosius, *ne plenitudine sui naues pænè mergantur.* Causam periculi ponit Augustinus hanc ipsam tractans piscationem spe, ac voto maiorem, *Vnde*, ait, *exi-*

l.4.in Luc.
Tract.122.in Ioann.

stunt in Ecclesia, tanta quæ gemimus, nisi cum tanta multitudini obsisti non potest, quæ ad submergendam propemodum disciplinam, intrat cum moribus suis, à sanctorum itinere penitus alienis? Rete quidem ad dextram si Christo iubente mittitur, quodque in nobis est, ab eo per seruum suum Ignatium dictatis insistitur; fortunabit piscationem Deus opulenta captura virorum insignium, in quos illa cadat admiratio laudis magnifica, *& cum tanti essent non est scissum rete.* De quo idem alibi ait *Adiectam ab Euange-*

Ser.4.diuers.

lista rem necessariam, & cum magni essent, non est scissum rete, nempe quod integra durassent retia, contra quàm ex magnitudine piscium timeri debuerat; inde potius euenisse, *quia magni erant.* Quod vtinam tàm certum non foret, nam qui sunt Instituti muneribus impares, vim magnam virtutis, ingeniisque poscentibus; fere aut maiora se ambiunt, aut conantur, aut se alienis ab instituto negotiis implicant. Certè si homines futuros de Societate ad eam exigimus staturam, quam signarat P. Hieronymus Natalis, & quæ fronti præfixa Constitutionum diu lecta est, haud scio an possit, vllum vel æquò rigidius, examen; vel probatio durior videri. *Homines, ait, mundo crucifixos & quibus mundus ipse crucifixus sit, vitæ nostræ ratio nos esse postulat. Homines, inquam, nouos, qui suis se affectibus exuerint, vt Christum induerent: sibi mortuos, vt Iustitiæ viuerent. Qui vt D. Paulus ait, in laboribus, in vigiliis, in ieiuniis, in castitate, in Scientia, in Longanimitate, in suauitate, in spiritu sancto, in caritate non ficta, in verbo veritatis, se Dei ministros exhibeant: per arma iustitiæ à dextris & à sinistris, per gloriam, & ignobilitatem, per infamiam, & bonam famam, per prospera denique & aduersa magnis itineribus ad cœlestem pariam, & ipsi contendant, & alios etiam quacumque possunt ope, studióque compellant: Maximam Dei gloriam semper intuentes.* Ego, aiebat aliquando Ignatius, si esset optandum diutius viuere, ad hoc optarem potissimum, vt essem admittendis in Societatem hominibus parcior; fuitque dum vixit in eo sanè parcus; imò hanc admissionis difficultatem, facilitate dimittendi (quam post videbimus) cumulauit, quo tamen vtroque Societatem magis auxit, quam si legionem ex manipulo feciset. Explorabat imprimis velut sapiens architectus, soli naturam, & habilitatem indolis, quam si minus vidisset idoneam, ferendæ fabricæ, Deum, & Apostolicum spiritum excepturæ, nullis adducebatur precibus, vt ei inædificaret.

Ab

XVIII. *De probandis tyronibus quod alterum est Societatis conseruandæ præsidium.*

Ab iis deinde quos legisset, admodum seuerè probationes exigebat, de quibus, sua quadam Epistola. [Adscriptis inter nos, statim ait, certos exercitationum spiritualium, & solitarij secessus dies præscribimus, examinibus, Confessione Generali, meditationibus transigendos, & aliis ad reformandos mores, & concipiendam Vocationis celsitatem appositis. Post hæc ministeriis domesticis vilibus, & abiectissimis, bimestri addicimus, ad edomandos naturæ affectus, & sæculi fastum: inde haud multo tempore, mittuntur à nobis in nosocomia, suam per mensem ægrotis operam probaturi: hinc mensem alterum peregrinaturi, nullo viatico, nulla opis humanæ confidentia, nullo præter commune pauperum, in xenodochiis hospitio, nullo certo victu nisi mendicato, vt vno labore tum paternæ domus teneritates dediscant, & amœnitates; tum discant toti a Deo pendere; parati seu barbarè, siue humaniter habeantur, æquali vtrumque animo, vultúque accipere] horum porro experimentorum, quàm essent gnauiter obita, sigillatim quærebat rationem, ægrotósque, aut per se, aut per domus ministrum in nosocomiis rogabat de sedulo, aut secus famulatu, sibi ab nostris exhibito: interea temporis dum illic agerent, dato negotio curabat, vt ab loci præfectis duriter haberentur aspernando, carpendo, imperando seruiles in ægtotos, easque maximè sordidas, & extremæ nauseæ operas: iubebat & tyrocinium aggressos, eodem quo venerant vestium cultu tamdiu incedere, dum vsu laceræ frustatim deciderent. Sic arcis olim Neapolitanæ ducem, nouitium; sic affinem suum Araozium, & iis similes heteromallo, vt erant auróque splendidos, in coqui famulatu, in circumferenda ostiatim per vrbem ad stipem mantica; in abluendis ante nostras ædes lancibus, prætereuntium omnium conspicuos oculis, totum biennium tenuit: nempe id volens intelligi, non veste corporis, sed interiori edomitorum affectuum habitu, & ornatu Societatis hominem constare. Quod magno profectus sui compendio, tyrones ipsi optimè aduertebant, inter quos Gonzalus Sylueria (Monomotapæ postea, profuso sanguine Christum quem prædicauerat, gloriosè professus) suas illas de sæculo vestes, quoties exueret, me miserum! aiebat exprobrans, quem sibi homines alium esse fingunt, cum ne vestem quidem hactenus mutarim. Sed enim admissos, exploratione accuratissima tentare solitus, haud paulo tamen eos diutius, & acriori probabat indagine qui essent magnis natalibus illustres, certus vt erant, si rite fingerentur rectéque succederent, futuri *subsidio pariter & decori*, (quod ex Ambrosio, turris Dauid, Hierosolymis fuit); ita si forent à virtute, & religioso animo leuiter comparati, planè in contrarium desituros. Dum enim postponi aliis non ferunt, nec valent merito præire, nimis vulgare est, vt armis veteribus viam sibi in aulas muniant, iisdem itaque denuo inflati sensibus, quos ad tyrocinij ianuam, tantisper posuerant, iam se cum aliis commetiri, minores spernere, obseruantiam sui exigere singulatem, credita munera si minus luceant inquietè obire, quiritationes

tione continua damnare gubernationem, velut arbitrariam, promiscuam, priuatis affectibus distortam; demum meriti sui superbam inopiam, culpam alienæ iniuriæ facere, nec possunt hi fumi quin pungant hominum oculos, ad diuina fermè caligantes, vt qui suis tantùm spectandis, æstimandísque assueti, capere nesciunt, opum, & sanguinis splendorem, non esse legitimos religioso viro meriti titulos, nisi cum eos contempserit, nihilque propterea deberi sibi statuerit. Est, inquit, Ambrosius, sua etiam quædam in equis nobilitas, ab regiis ducta, & bellatoribus præsepiis; at si circo commissi, vix à carceribus mouerint, cum metas iam alij raserunt, quid eos tunc iuuet origo nobilis? aut quid expostulent, se flocci fieri? *Nihil istud currentem iuuat, non datur palma nobilitati, sed cursui.* Iam illo in cœtu honores, & munera, non sunt meriti merces, aut præmium, vt est perabsurdum eo nomine hæc ambire; sic & absurdius, & minùs tolerandum, fulcire hunc ambitum rationibus de vulgo sumptis, vt quæ religiosâ æstimatione, sanóque de rebus iudicio, iure despuuntur.

De Kabuthe c. 13.

XIX. *De dimittendis ab Societate.*

Tertium sequitur ad bonum Societatis habitum conseruandum mirè potens, & necessarium; exlegum scilicet, & solutiorum, velut exerrantis, vitiatíque humoris matura purgatio; ne si semel imputruerint, morbos creent sanationis desperandæ. ¡Quod enim de tota Ecclesia Augustinus, pulchrè in religiosos ordines idem cadit, *Sunt in corpore Christi quodammodo humores mali, quando euomuntur tunc releuatur corpus: sic & mali, quando exeunt, tunc Ecclesia releuatur; & dicit, quando eos euomit, atque proiicit corpus; ex me exierunt humores isti, sed non erant ex me. Quid est, non erant ex me? non de carne mea præcisi sunt, sed pectus mihi premebant, cum inessent. Ex nobis exierunt; sed nolite tristes esse: non erant ex nobis.* Prodest autem non solùm corpori ad valetudinem, sed membris etiam ad arcendum marcorem, ea purgatio, nam vti fulmina, *paucorum periculo, multorum metu,* nubes excutiunt, sic prauorum eiectionibus, admonentur boni, ne quo suo vnquam commerito id præceps adeant, vnde leui pulsu Societas illos in sæculum deuoluat. Ex quo illud Xauerij admodum salutare, considerandum assiduè, Societate nos haud paulò magis quàm Societatem nostri indigere. Nec vero expectandum, quoad malum sensim adolescens, erumpat in scelera, moréque profliget; forent enim tunc dimissionis reparandæ vitæ remedia, non mortis occupandæ, & conseruandæ sanitatis. Canes nondum dentati, & cæcam in lucem vix editi, morsum proritantibus iam tendunt, vt scribit S. Basilius; & fronte adhuc inermi vitulus, demisso capite, iam se putat in auras iactare aggressorem: futuri scilicet, nimis certum specimen præmonstrant, & quà sint cornua, dentésque defixuri. Et rubi, ait Augustinus herbescentes non pungunt, sed fila tunc mollia, & lanuginosa in atroces rhamnos crescendo durantur. Næui sunt quidam, & papulæ, in speciem leues, sed nascentium indicia vlcerum. Ferri hæc non debent in Societate cùm diu callidis obseruatoribus cernuntur in peius abitura, & rei tunc timidiùs agentes, ne professione excludantur

tract. 3. in ep. 1. Ioan.

dantur futuri postea effrænatiores, si sublato metu, quo vtcumque tenentur ad professionem admissi fuerint. Lethale profecto Societati vulnus foret, si per *imprudentem* quam vocat S. Ignatius *in retinendo caritatem*, superiores rationibus illusi minium humanis ac teneris; vel creduli emendationis, illos retinerent, quos iam inde ab initio peruiderunt futuros ad eam ineptos. Itaque nonnullis quandoque intercedentibus expulsioni alicuius, quam ipse decreuisset; & hunc, aiebat Sanctus pro quo satagitis adscripturi eratis in Societatem, si vobis, qualis est, constitisset? finite igitur dimissus abeat, ob hoc enim admissi probantur, vt perspiciantur; ob hoc perspici debent, vt si malæ frugis comperti fuerint, amandentur. Et vobis, addebat, per me, cura sit admittendi: dimittendi curam mihi permittite. Externis vero interdum visentibus, domo tota comiter circumductis, in egressu ad ianuam, & hæc nobis, dicebat, carcer est, atque huius beneficio nec domi carcerem habemus, nec quos carcere claudamus. Porrò illa seu nobilitatis primariæ, seu doctrinarum illustria decora, quæ lancem alteram vitiosam apud minus prudentes attollunt, nec sinunt tot dotibus præditos regredientes in sæculum, irretorto oculo ab iis adspici, hæc, inquam, momenti nihil apud eum obtinebant, vel ad seruandos immeritos, vel ad molliendum dolore animum, cum ex impatientia disciplinæ cerneret illos discedere. Sic Theotonij, vnâ se ac Societatem, inquietissima indole absoluit, & erat hic Ducis Bragantiæ filius, & magno patruo Emanuele, Lusitaniæ rege venerandus: sic & Ducis Biuonæ consobrino eodemque affine Ioanni de Vega Siciliæ proregi, viri sancti amico in paucis, summéque in illum benefico, nec Ribadeneira (cui se cum lachrymis quamlibet ad pœnam paratus iuuenis commendarat) suadens, & supplicans euincere potuit, quo minus illum dimitteret; sic inter alios (de quibus paulo post) eruditos viros, Christophorum Lainium abiecit, Iacobi Lainij sibi carissimi germanum; cui cum saltem pecuniæ aliquid rogaret idem Ribadeneira, quod & victu Romæ, & in Hispaniam careret viatico; mihi vero, Petre, si totum Peruuium auro fluat, ne obolo quidem inquit, iis succurrero, quos religiosis ordinibus sua ipsorum culpa extruserit. Quam mentem beati fundatoris seriò illi necesse est capiant, qui vel transfugæ ab Societate, vel quod idem est, eiectionem ex ea commeriti, mercedem sibi laborum despondent, quos in ea susceperint, velut ipsos non Deo donassent, sed Societati fœnerassent, & demptis vsuris quæ in alimenta perceperunt, sortem in discessu, velut crediti iure, repeterent.

XX. *Quos, & quo modo S. Ignatius ex Societate dimitteret.*

Iam vero dimittendi causas, consultius fecero, si ex vsu ipso quem tenuit semper constantem Societas, ostendam; quàm si ex secunda constitutionum parte huc illas transferam: nec multis fuerit exemplis opus; SS. Ignatij, Xauerij, & Simonis Rodericij, in hoc genere acta, hunc morem exhibebunt. Ignatius quidem Castimoniæ Sanctitatem, cum Angelis similem in Societate esse vellet, ne suspicionis quidem vmbra fuscari sustinuit. Quare nescio quem licet duci Biuonæ, quem iam memorauí gratissimum,

tissimum, cum aliis octo amouit ab Societate, de quibus qui sancto ab secretis tunc fuit, hæc ad memoriam notarat, *Cum hoc anno*, inquit, *quidam in Collegio parum honestè se gessisset simul cum aliis octo, qui vel minimum culpæ habere videbantur, à P. Ignatio de Societate expulsus est, ac in Siciliam remissus, quamuis inter hos essent aliqui, valdè nobiles, & in latinis egregiè versati.* Prope apud illum ab hoc genere aberant, duræ ceruicis ingenia, & iudicij pertinacis. Cuiusmodi fuit quidam ex Bœtica Franciscus Marinus, multarum homo literarum, magnisque agendis, ante in sæculo versatus. Hic in officio ministri, quo in domo professa, Romæ fungebatur, tam se obfirmatum in suis sensibus præbuit, vt quacumque animum obstinasset, inde vix vlla imperij, nedum rationis & precum authoritate moueretur: ineptum iubendo Ignatius censuit, qui flecti non norat ad parendum: ministerio amotum, tentauit exercitiis spiritualibus in molliorem temperationem recoquere, & magnis promissis, optati spem Ignatio dabat. Verum hæc pietas marmoris fuit ad austrum sudor, visusque foris totus liquescere, nihilo intus, quàm antea facilior euasit. Quod bellè Hieronymus Natalis initio viderat, aiens vereri se ne is Exercitia infamaret, hoc est, fructu solemni fraudaret conuersionis expectatæ. Ministerio redditus, ad duritiem pristinam mox redit: cuius rei, multa iam de nocte certior factus Ignatius, mittit qui lecto excitent decumbentem, iubet absque illa quoque mora, quam ad matutinum crepusculum rogabat, discedere; simul vt exemplo terreret similes; réque ipsa doceret quod sæpius dixerat, se cum ceruicoso, ne noctem quidem vnam eodem sub tecto moraturum. Affinis huic genio fuit Maximus alter Antonius nomine Parisiensis Doctor, genere hispanus, qui primus in Collegio Rom. Philosophiam est professus. Hic nonnulla in Societate improbabat, quod ea nimirum saliuam suam non saperent, nec dissimulanter quod perperam sentiret, effutiebat palam. Hominem Ignatius aduocat, monet non decere ab Aristotele Euangelio præscribi; nec Philosophiam haberi pro sanctimoniæ arbitra; nihilque omittit quo illum ab errore abducat: sed ita suarum tenacè imaginum, suisque defixum in sensibus nactus est, vt cuncta incassum reciderint; quare illum confestim à nobis amandauit. Eius autem discessu, cum ex penuria magistrorum magnis angustiis cursus arctaretur (decem enim vix tandem professorum successione confectus est) non tenuit se P. Gonzales, quin eius viri apud Ignatium deprecaretur iacturam ac doleret; cui subridens, age, itaque, ait, eumque ad mentem reducito. Quod fuit perinde vt sanationem illius desperare, & certè huiusmodi, frangi magis possunt, quam flecti, & corrigi, quod in alio quodam Theologiæ studioso, natione germano patuit, quem dæmon nouo delirij genere sic dementauerat, vt se nulli iactaret subiacere, nullius imperiis esse obnoxium, sed suo vnius ex arbitrio pendere, quod esset S. Pauli spiritu præditus: cui stultitiæ ex eius cerebro reuellendæ, qui domi erant Theologi, foris alij, ipséque Ignatius cùm frustra laborassent, nec valeret induci ad obtemperandum, fuit denique expellendus. Præter hos quidam peregrina sectari soliti pietatis hexoticæ

inuenta,

inuenta, nullo modo ab Ignatio ferebantur. Erat in Rom. Collegio Soldeuilla Sacerdos Theologus Catalanus, abiectâ is orandi forma, Societatis vsu trita, nouas excogitauerat quasdam imaginosi capitis contentione fabrefactas, (quibus nullæ magis illusioni viam pandunt) earum item magister effectus, secretis coitionibus noctu in sacellū cum iis quos sibi adiunxerat, multas horas, torquendo violentis meditationibus cerebro, conterebat. Inde aliquorum ex eius sequacibus tentari, defluereque valetudo; inde vnus etiam in iis eximius intabescere; inde anxius causæ Rector, insolentis genij, quem in ore quorundam legebat, venas sollicitè rimari, quo factum vt tandem, condicti nocturni deprehenderet nidum, eosque in illo arte proba incautos occuparet. Re ad Ignatium delata, errorem omnium in eorum auctorem refudit; & diuturna sui flagellatione, in vtroque, Collegij domúsque triclinio multatum expulit; docturum hinc palam, si liberet, quod nisi clam docere metuerat, vtpote conscius arrogati sibi præter imperitiam suam magisterij. Nec multum abfuit quin iure eodem, cum duobus aliis ageretur cœteroqui præstātissimis, Andrea Oniedo (qui post esse promeritus est Æthiopiæ Patriarcha) & Francisco Onophrio, quos contemplandi dulcedo ita illexerat, vt vellent quidem permanere in Societate, sed vitam desertis in locis agere, de quo eiusmodi ad Ignatium literas dedere, quibus facti magis approbari petebant rationes, quam faciendi facultatem. Sed viri cum essent virtutis solidæ, nolléntque periculo Societatis amittendæ, obedientiæ obstare, totos se illi permisere. At is grauiter obiurgatos, minatúsque condignam auctoribus schismatum scissionem, Francisco Borgię fortibus literis mandauit in viam reducere, sed vbi detersis oculis viderunt Deo minimè placere, quæ Dei vices agentibus displicerent, vltro ipsi in viam nullo eius labore rediere; Ad hæc quicquid sinistri quidpiam ingeneraturum animis timebatur, confestim vt iactum resciisset, solo hærere non sinebat. Concionatus fuerat argentario in foro Hieronymus Natalis, partim abiiciendi sui, partim auditoris iuuandi studio: Francisco Zapatæ nobili Toletano, vile id sapuit, viróque honesto indecorum: itaque domi vt casus tulisset dicta dicere in Natalem, vellicare, seplasiarium prædicatorem vocitare. Vix ad Ignatium res venit, idque de nocte iam media; consiliario nemine, imo nec conscio, iubet reum è somno vestes recipere, quibus vsus fuerat secularis, & postridie summo mane suas sibi res habere: quod erroris quidem tunc sui conscium, sed serò effecit; licet enim flens omnia sponderet, omniaque deferret, nunquam Ignatium cœpto deflectere valuit: ergo S. Francisci ordinem complexus in eo magna doctrinæ laude pietatísque vixit, nec propterea vnquam ab amore & obseruantia in Societatem, & Ignatium destitit. Addam vltimo loco narratis casibus, deliriationes, pœnámque Guillielmi Postelli, Barentone in Normannia oriundi Hic in matheſi & philosophicis, in re medica, & theologicis erat eximiè versatus; latinè præterea, græcè, hebraicè, syriace quoque, chaldaïcè, linguísque aliis adeo instructus (nam, & quasdam earū edidit regulas) vt iactaret

se absque interprete percursaturum facilè ex Gallia in Sinas, séque ab interiectis tot populis, sua cuiusque lingua capiendum. Et vero fama est totum orbem lustrasse, ad cognoscendos omnium gentium mores, formámque imperij, & sacrorum ritus, apud Franciscum primum Galliarum Regem in pretio fuit, & apud Margaritam Nauarræ reginam multósque Cardinales, Parisiis vero cum doceret, portentosi ingenij, hac memoriæ ostento fuit. Hic ergo ingens quo mirè ardebat Societatis desiderium voto sanxit, & Romæ die quodam, septem, vt solet, visens Ecclesias, in ara cuiusque principe suo id votum firmauit chirographo, adstrinxítque diserta qua teneri se volebat hac lege, obtemperandi scilicet ad nutum Ignatio, seu cuiuis alteri, qui sibi Dei vice præesset. Inter nostros adscriptus, aliquamdiu specimen dederat futuræ virtutis egregium, cum repente atque improuiso propheta nouus, cœpit futurorum vaticinia edere, ex Rabinorum deliriis & iudiciis syderum concepta, iisque tanquam oraculis summa fide adhæsit. Damnabant illa pro puerilibus, & vanis Lainius, Salmeron, alij ad illum ab Ignatio summissi; Mathematicis, & linguis cultissimi, viri graues; reuincebantur euentis planè contrariis, & falsi coarguebantur; erroti tamen mordicus affixus induci non poterat, vt se ab stolidis artibus abstineret. Longum sit dicere, curatione quàm multiplici vir sanctus, sanare id caput nisus sit, quæ cum omnes in cassum recíderent, Pontificis Vicario committit hominem, insolenti malo remedium insolens experturus, vt qua pollebat prudentia vir solers, tum auctoritate, tum doctissimorum quos Romæ habebat iudicio, illum sua somnia dedoceret; vel si corrigi non valebat, vagus sanè vt ante cursare pergeret, domum quidem nostram pedem denuo non inferret. Expressit quà per se Vicarius, quà rationibus, & iustis eruditorum explosionibus, quibus manifesto sui ludibrio deceptus monstrabatur, vt fateretur se errare, scriptóque erroris, & vanitatis condemnaret, quicquid eatenus ariolatus esset; sanctè prætereà sponderet, nunquam se ingenium, aut stylum commodaturum arti tam noxiæ, aut vaticiniis edendis mentem adiecturum. Manitus hoc manus propriæ, solemni syngrapho, & Vicarij commendatione qua totus alter asserebatur fore, ad Ignatium remittitur, excipitúrque haud minus humaniter, quàm cautè. Subductis enim præter Theologiam S. Thomæ codicibus aliis, ad ministeria domestica adhibetur, vetatúrque tantisper rem sacram facere, quæ omnia visus est æquo animo ferre, dæmone indúciis breuibus curiositatem eius differente, vt in eam ad primos insultus, retardatione factus ardentior, homo si quis alias vsquam leuissimus, relaberetur periculosius; ac si occasio fauisset: alios interim sua illa non tantum diuinandi pice, sed quam dehinc prodidit, sceleratiori, malè de fide sentiendi pessimè inquinaret. Suum tamen hosti malígno consilium non processit; suspectus enim semper Ignatio Postellus, mox vt compertus est eiurata nugarum pericula reperere, statim à nobis eiectus est, cunctísque domi seuerè indictum, eius colloquio non modo abstinerent, sed & occurrentis salutatione, vt quì doctrinæ

doctrinæ parum sanæ, in præceps tendere videretur. Nec purpuratæ intercessioni fas sibi putauit Ignatius cedere, iteratam illi restitutionem postulanti. Quare apud Cardinalem quendam, aliquamdiu moratus, multisque, & grandibus futurorum promissis illi adulatus, mutata repente velificatione, concionabundus Marchiam obiuit, & deserente se iam bono spiritu in errores lapsus grauissimos, & offensionis in populum magnæ, palam tandem magister hæreseon euasit. Inde cum aufugisset Venetias, arctissimam iniit cum femina quadam necessitudinem, elaboratóque ex suis delirijs eius horoscopo, qui se Deo afflatum, somniabat ventura proloqui, in eam à dæmone amentiam actus est, vt illam feminam ariolaretur feminarum perinde futuram redemptricem, vt Christus virorum extitisset, idque nouo quodam quem commentabatur Messiæ aduentu. Sed in hac mira illius expectatione, Venetiis Romam in compedes datus est, duróque illic & longo carcere maceratus; tunc sui iam memor, eóque demum respiciens, vnde se illuc priuati adoratrix iudicij superbia egerat, fuga supplicium imminens eludere voluit. Fenestra itaque dum se dimittere conatur, præceps toto corpore alliditur & brachium frangit, cuius dolore extortis clamoribus deprehensus, forti catena in carcere vincitur; vbi multis annis, artium suarum nimis certò fallaciam didicit, quæ sibi tam tristes, & miserabiles successus non aperuisset. Tandem eius absoluta iam causa, vel vt alij scribunt, per fugam elusa, Basileam secessit, subinde in Galliam, illic imminuti capitis diuinando; docendo hæretici famam sustinuit, ac demum centenario grandior damnatis vt fertur, erroribus, Catholicus obiit. Ex his vero paucis quos ab Ignatio dimissos recensui, ne quis dimittendi colligat parcitatem, die ipso sacro pentecostes, ex Collegio Rom. duodecim domum suam remisit. Vtque omnibus planum esset, non minore nostro compendio, improbos à nobis eiici, quàm probos seruari, alacritatem prætulit eo die solito maiorem. Quo virilis, & rectæ caritatis sensu imbutus B. Borgia, tria sibi ex nostris læta dicebat accidere; cum ingrederentur in Societatem, in eaque obirent: & vero etiam cum ex ea expulsi abscederent. Quod vt rebus ipsis Ignatius edidit, sic prorsus voluit ab iis qui præerant in exemplum duci. Cum enim resciisset in Lusitania turbulentos esse, ac refractarios Obedientiæ nonnullos, Prouincialis imprudentem, in iis diu ferendis caritatem acriter reprehendit, ac tum illi, tum reliquis per Societatem superioribus, præcepti religione imperauit, quoscumque inquietos, rebelles, & immorigeros inuenissent, quantæcumque ij notæ forent, constanter dimitterent: quare Leonardus Clesselius Coloniæ Rector, imperatis insistens, partem Collegij, quod sociorum quindecim tunc erat, mediam eiecit. Verum austerioris facti conscientia quadam ictus, vt gestum fuerat ad Ignatium scripsit, veniam rogans, si perlectis eius pœnæ causis, transiliisse lineas videretur. At is veniæ loco (vbi culpæ nihil erat) non laudauit modo Clesselium, sed illos etiam qui superstites erant, si essent prioribus similes, mandauit expellere, solumque in Collegio

manere. Alias etiam ab se die vno decem simul amisit, atque in iis vnum qui præter quam modestia sineret per iocum, alterius caput talithro perstrinxisset. Si Societate quanquam nunc adeò hominibus aucta, decem vno die abire cernerentur, quot inde cœlum pulsarent querelæ? abuti nos prærogatiuo iure dimittendi, laxiusque, & leues in causas illud porrigere, contrahendum id esse, & reuocandum ad cognitionem iuridicam. Eo tamen haudquaquam Societas vtitur, nisi post lentas, & serias non Rectorum modo si res ferat, consultationes; sed Præpositi, & Assistentium. Si qua vero ex parte non dico instaurari, sed tueri se debet, & corroborare Societas, in hac profecto id debet potissimum sui totius integritate, quæ tanti est, conseruanda, matura partium corruptarum amputatione, priusquam ex iis vitium trahat quod sanum est [quanto, ait scribens ad Prouincialem quendam sanctus Pater) præstabilius foret abscissione membri gangrena correpti, corpus reliquum in tuto ponere! Scripsisse memini à P. Clesselio, nouem simul aut decem Coloniæ expulsos, ac paulo post totidem, méque iure id factum, quod essent commeriti laudasse. Si foret malo ferrum citius admotum, vnius forsitan aut duorum iactura cœteros conseruassèt] Iam S. Ignatio hac in re, S. Xauerius quam consentaneè senserit, egerit, videamus.

XXI. *Idem Xauerij cum Ignatio sensus in Societate ab indignis purganda.*

Fuit vtriusque in hanc mentem, ita concors, certâque consensio, vt orbe toto inuicem disiuncti, quod Romæ Ignatius, hoc idem Xauerius teneret in Indiis, eodem per illos Societatis Fundatore, ac promotore Spiritu diuino, vtrumque pariter agente. At Xauerij mens, non potest certius quam ex tribus eius Epistolis agnosci. Harum vna Cocino sic cum Ignatio loquitur. [non probo vlla vi (nisi quam amor, & caritas adhibet) quenquam in Societate inuitum retineri; sed dimittendum potius, etiam inuitum, quisquis Spiritu eius caruerit.] Aliis Sanciano ad Berseum Goani Collegij Rectorem [Denuò, inquit, tibi mando, vt paucos in Societatem adlegas; eosque vel ad studia literarum, vel ad domestica officia idoneos. Narro tibi seruos; verè, inquam, seruos ad eiusmodi officia domestica emas citiùs, quàm parum idoneos socios adsciscas censeo. Si qui eorum quos ego dimisi Goæ versantur, caue eos vllo modo recipias, neque enim sunt ad nostrum Institutum accommodati. Quod si quis superiorem vitam planè emendauerit, idque publicis pœnis sponte susceptis, & diuturnis, planum fecerit; hunc vbi satisfeciisse, tibi visus erit; tùm demum in Lusitaniam ad Societatis moderatorem, cum literis commendatitiis mittas licebit: nam istos Indiæ vsui non esse, perspectum habeo. Atque etiam si quis è Societate, siue Sacerdos, siue alius quispiam, grauius aliquid admiserit, cum offensione aliorum, eum statim missum facito, neque cuiusquam deprecatione adductus recipito; nisi forte peccati cognitio, dolor, ac pœna voluntaria eiusmodi fuerit, vt ipsa per se calamitatem ab eo deprecetur. Sin minus, nullo modo recipies, ne ipso quidem Prorege, cunctáque India deprecante.] Quod postremum denique in vita commendatissimum voluit

vir

vir sanctus & præstitit; illos spectat ab Societate remouendos qui se illa indignos exhiberent, de quo extant supremæ ipsius literæ Sanciani datæ vigesimo fere ante obitum die, súntque hæc ipsarum ad eundem Rectorem verba. [Illud etiam te oro, vt cætera quæ tibi reliqui præcepta serues diligenter, maximè vero vt paucos in Societatem, eosque idoneos adsciscas; adscitos autem diu multúmque spectes ac probes, eorúmque virtutis periculum facias, & sæpe, & accuratè. Vereor enim ne multi, & iam admissi sint, & quotidie admittantur in Societatem, quos dimitti, excludíque præstaret. Quare istiusmodi hominibus talem te, præstes velim, qualem ego & Goæ multis,& hic comiti meo me præstiti,quem cum minimè aptum esse Societati perspexissem,exemi,atque dimisi.Hoc tu quoque Institutũ sedulò, & constanter tenebis, sic prorsus vt nullus te casus ab incœpto deterreat, vel si relinquaris ipse solus.] Qui tanti Apostoli ad Ignatium & Rodericium literas legerint, animum opinor aduerterint, ad preces quibus ardentissimis supplex rogat, homines sibi de Societate ex Europa in Indiam subsidio mitti. Amplitudinem describit illius imperij, & absque numero populos, ita quidem idolis deditos, vt tamen facile daturi sint veræ religioni manus, si adsint qui doceant, sed cum esset paucorum tunc quidem Societas, iíque in Europa occupatissimi, ægrè vel aliqui ex iis poterant Xauerio suggeri. In hac tamen penuria hominum, & necessitate grauissimi omnium ad Dei gloriam operis;quòd fuit adeò dimittendis iis liberalis, qui vtiles quidem conuersioni barbarorum, sed Societate indecores; fecit perspicuum posteris, quanti sit hunc morem velut firmamentum Societatis conseruare, cui vberiorem, speratam ex plurium opera messem animarum, vir sanctus, & totus Deo ardens, postponi censuit oportere. Atque hinc æstiment quid agant, qui spebus incertis, aut leuibus id omittunt, quod ne boni quidẽ tam præsentis,& certi compendio putauit omittẽdum.Fuit inter illos qui ab Xauerio amandati sunt ex Societate Mansilla Lusitanus, quem viæ ex Europa in Indias comitem;in ora Piscaria,& Comorinensi promontorio, conuertendorum barbarorum, habuerat socium; & in Christianis iuuandis adiutorem: Dimissionis causam fecit obfirmata priuati, tanquam decretorij sensus tenacitas, ad motus sanctæ obedientiæ indocilis, & dura, nec remorata est ab eo deserendo, virum sanctum, locorum barbaries in quibus illum relinquebat, nec longinquitas ab Europa, vnde illuc eum adiuexerat, nec commeatus quo illic aleretur, vel quo inde rediret inopia. Instructu animi valebat longè ditiori Antonius Gomesius nobilis Lusitanus, qui patrimonium opimum in pauperes, ante erogarat, quàm Societatem iniuisset. Is peritia canonum, & pietatis luce notissimus, missionibus in Lusitania, tanto plausu operam commodarat, vt integros post se traheret populos, vel audituros dicentem ex pulpito; vel audiendos in pœnitentiæ arcano. Hunc Rodericius tanquam Indiis natum, pro sua in salutem illarum impigra caritate, Goæ destinat Rectorem, sed ardore animi quam prudentia maior, vix munus inierat, cum cœpit velle Conimbricam ex

Goa facere, & Europæ morem illuc intrudere, & quia nouandis fere rebus, noui casus respondent, breui omnes in se concitauit. Nec eo segniùs Christianis, & ethnicis proderat; nam hinc quidem Bracmanum elisit conatus, plus nimio auctos ad infidelium conuersionem perturbandam; Tanoris Regem fidei doctrina erudiit, & Cocinensis Collegij principia posuit: verum aliundè insigniter imprudens multos de se, multis sermones, & querimonias præbebat. Post autem cum Paulum Camertem, suis haudquaquam hærentem vestigiis, haberet successorem, totam pedetentim eius in se derorsit potestatem, Camerte Rectoris vix nomen vacuum, patienter tamen, ac demissè gerente. Ausus quin etiam adolescentes Indos omnes seminario pellere, ad eorum in fide, ac literis eruditionem instituto, vt suos iis substitueret Lusitanos. Hoc rerum statu Goam Xauerius appellit; audaciam hominis, & ineptias miratur; Rectorem confestim officio reddit; aliam indicit Gomesio vbi degeret stationem; at is arctiori quam condecuerat Proregis amicitia confisus, & Lusitanorum beneuolentia, quos in liberorum educatione, sumptu Indorum sibi deuinxerat, primum obedientiam declinare, tum ire vlteriùs, seséque Proregis, atque amicorum interceßione, & auctoritate, aduersus illam communire; At hinc mandata vrgere Xauerius, vnde sperabatur, posse à proposito reuelli, in quo etsi hanc tantum sustinuisset culpam Gomesius, prouocatæ, vt ita loquar, ad seculare brachium obedientiæ, non Goana modo commoratione, sed Societate excludi debuit. Et vero infelix vtrumque mox pati coactus est, nam in Dei causa vir sanctus, præter Deum assuetus vereri neminem, inflexus ad preces rogantium, Goa simul, & Societate hominem eiecit, Michaëlem Nobregam, & Andream Monterum qui duo illi adhæserant, proruentem secutos, insecuta similiter pœna, non diu distulit. Capti à Turcis, Monterus capite truncatus; Nobrega diu in catena eductus, quanto essent ea mitiores religiosæ nodi seruitutis, redempta denique post annos complures libertate rediit ad Societatem, Gomesius Europam repetens imploraturus ab Ignatio veniam, allisa naui, in aquis interiit.

XXII. *Simonis Roderiaij, cum Ignatio, ex Xauerio, quoad dimissiones sensus.*

Ad Societatem conseruandam, dimissionum necessitas quanta sit, videri possint primaria duo Societatis capita, dicto factóque hactenus probasse, quemque in iis morem Ignatius, & Xauerius obseruarunt, abundè sufficiat ad dictandam posteris agendi regulam, si aliunde illam non haberent; Duobus tamen quæ Rodericio, ex primis, Ignatij socio, viro vndique præstante in Lusitania contigerunt, cum magnoperè iam dicta confirment, & documenta contineant virtutis eximiæ, locum hic dandum omnino credidi. Ædificabatur Conimbricæ Societati collegium, nostri quoque manu fabricæ admota, sabulum conferre, arænatum miscere, conuehere lapides, vehiculum agere, vno verbo manuarias operas de se omnes præbere, & quidem ornatu non dispari, seruili nimirum, & paupere, sed tam diligenti applicatione, suique contemptu, vt si ad hæc illos nascendi conditio, non

virtus

virtus adigeret. Eo magni ciuibus exempli, magni Deo honoris, spectaculo permoti complures, pias lacrymas non tenebant, cum tot coram viderent adolescentes nobiles tanta modestia, & alacritate, labori vna insudare, sed inuidit iis hanc gloriam dæmon; & vernaculis sibi argumentis aggressus eam disturbare, ex parte voto potitus est. Quibus igitur mentis adhuc imbecillæ ac teneræ plurimum inerat, suadere, non esse id stadium ad sui edomationem, & victoriam, sed ad ludibrium, & probrum; hinc se habitum iri pro gente humili, & vili ex luto edita, natáque talibus occupari: primum ergo vereri, & erubescere prætereuntium oculos, inde etiam vitare, ac domi se claudere, demum apertè contestari, domi se opus paratos facere; ne autem in publico facerent, honore natalium, & suo prohiberi. Tam inuerecunda verecundiæ inanis professio, Rectorem Ludouicum Gonzales grauissimè affecit; tentat nitorem lucis euanidæ quo cæcutiebant detergere, hortatur ad fluxam gloriam, gloriosè calcandam, quæ vbi frustra sunt Simonem Rodericium Lusitaniæ tunc Prouincialem, quid rerum agatur per literas admonet, quibus ita respondit Rodericius. [An isti quos sic affatus es, ad carrum per vrbem agendum sint parati, quæso iterum experire; si pergent renuere, discedant sanè, suásque sibi res habeant: ego tibi libenter sim carrucarius, & quidem propensiùs quam nunc Principis eruditor. Non eget Societas existimationis humanæ mancipiis, amandandi sunt ex nobis, cum sæculo quod gerunt, nec profanis eorum conditionibus inuidendum. Crucem Christus non clausa tantummodo in domo, sed in media, totaque vrbis luce, adeóque extra vrbem portauit: qui Christum non amat crucifixum anathema sit; Christi non est, qui crucis illius ignominiam non amat. Scripsi iam sæpius, in Societate, paucos, & vel quatuor solos, plurimis præstare; addo nunc, forte me vel vno contentum. Anathema sit qui Christum non sequitur, proficiscatur, abeat, discludatur à nobis, & sese istinc amoueat, Christum alium alibi quæsiturus; quem enim quærimus, is crucifixus est] huc vsque Rodericius, & prius illud quod indicaueram. Posterius fuit eodem in Collegio, eodémque Rectore, de Sacerdote, ac Fratribus duobus quos ob mulctam de more impositam, acerbè stomachatos, pœnitudinis vice Societatis tædium cepit triste, ac turbidum, pronumque dæmoni, ad vrgendos quo iam propenderant, quod dum inuicem versant, ne soli perirent, ad amicum scribunt Vlyssipone in Collegio agentem, quem si possent sibi adiungere, secum facerent desertorem. Carpebant iis literis non tam ipsum Rectorem, quam Societatis gubernationem, proin si verè saperet, veréque amaret, subduceret sese; sequeretúrque præeuntes; præire namque se, si modo annueret paratos, committunt literas domestico famulo negotiorum causa illuc profecturo, magnam pacti mercedem, dum ne illas nisi in manibus, & clamculum redderet: redditas, & lectas detestatus est amicus, & inuitamentum perfidorum vocem diaboli credidit, *mitte te deorsum* suggerentis, abhorruítque ab amicitia hominum qui ruinæ

socios

socios captabant: tum Epistolam detulit ad Rodericium tunc Prouincialem, totámque illam rem ipsius iudicio permisit. At is remisso Conimbricam famulo, Rectori mandauit trium illorum seditiosam Epistolam publicè legeret, statímque illos è Societate; ministrum vero perfidiæ famulum, Collegio pelleret. Quod multis suis cum lacrymis,& reorum probro, executus Rector, coram omnibus nostris in sacellum vocatis, veste quam animo proiectam, falsò adhuc gerebant, palam spoliatos eiecit. Sunt Rodericij verba quibus hæc iubebat præcipui ponderis [Christi, ait, vox est, qui non est mecum contra me est; Christi non sunt qui ab eo adscripti, signa illius non sequuntur; sub iis qui militant, vt facimus, esse illos mentis eiusdem, animíque oportet, testis mihi est Deus quantoperè doleam, non omnes inter nos eadem sentire; quia vero quorundam eò audacia processit, vt mentes sociorum ab superioribus suis diuiderent,æquum est vt Deo vindice ab nobis discindantur. Indic tribus illis discedant è Societate: ab superioribus qui sibi sic cauent, & ab iis secum alios distrahunt, ad institutum nostrum non faciunt; eorum enim consiliis quibus proficere deberent, nihil vnquam assequentur boni. Societatis præceptiones, & regulas qui parui æstimat, iure Societas hunc parui fecerit, radicibus arborum securis imminet, Christum volens sectari seipsum abneget, & crucem suam tollat. Cunctis à me palam edicito, quemcumque resciuero dedisse literas, non prius ab superiore recognitas, eiecturum me ex Societate; nec enim aut numero, aut viribus corporis, aut etiam ingenio plura quam par sit, nosse volentium, placere Deo contendimus: cui fixum non est Christi crucem, cum veta sui abiectione baiulare, huic neque Societas, nec Societati is conuenit. At forte pœna culpam videatur excedere, scias vbi culpæ? communi bono officiunt, non posse infligi mitiorem, alioqui leges ludibrio pœnè sint, & hinc procliuè sit totum Ordinem subuerti. Age quæso, ij fratres intelligant quantum interfit eiusmodi esse nos, quales Societas exigit; id nisi assequeris, facile mihi sit redire Conimbricam, & nouum illic Collegium cogere. Christum statuo de cruce pendentem, inter me ac nostros qui istic sunt, & volo te illis fucum detergere, denuntiaréque hunc esse Dominum cui adhærendum sit, procul ambagibus interpretantium, & effugiis commentationum: mihi clarè, & ipsi denuntient, an ratum habeant suas Christo animas despondere, ad seruandas Constitutiones, fidémque Christo, eiusque Vicariis à quibus reguntur debitam. Inter Indos si agerem, quò primum ferebar cum huc ab Italia nauigaui, haud mirum putarem, homines illic mihi occurrere à perfecta Christi imitatione alienos; inter nos vero nisi tales quoque offenderem, meam in hoc Regno fructuosè locasse operam ducerem. Famulum, Epistolæ tabellarium, quod eam clam omnibus tulerit, ac reddiderit expelles, nec eum deinceps in Collegij rebus vnquam occupabis.]

Pergamus

XXIII. *De coniunctione partium cum capite quam nectit Obedientia, & de vnius, quam S. Ignatius statuit gubernatione.*

Pergamus nunc alia exequi firmamenta, quibus Ignatius Societatem communiuit. Quarto igitur loco, venit illa, quam esse arctissimam voluit, vnius capitis, omniúmque membrorum consensio, apta ex omnibus quibuscumque potest excellens Obedientia, ex nutu regentium inferiores suspendere. Ad hoc Monarchicham qua regeremur formam instituit: penes Generalem Præpositum absolutam deposuit administrandi Ordinis potestatem, vni solummodo Vicario Christi obnoxiam; siue in eorum qui præficiendi sunt delectu, seu quibusvis aliis in rebus, quemlibet nostrorum spectantibus, quod tamen sic ab eo consitum, vt tam liberi iuris auctoritas, non deficeret illo bono quod aristocratiæ conferunt Optimates; iudicio scilicet, & consilio sapientum; iussit illi quatuor adesse, quorum vnus nostris in Italia & Sicilia rebus; alius in Germania & Gallia; in Hispania tertius, quartus in Lusitania & Indiis peculiarem curam adhiberet. His anno 1608. quintus additus est seiuncta nempe ab Germanis Gallia, ob Prouinciarum numerum qui tunc par erat Assistentiæ duplici conflandæ, vt prima iam olim Congregatio Generalis, Lusitaniam Indiis in Assistentiam iunxerat. Horum Assistentium munus est in eam quidem potissimum partem excubare, quæ vnicuique commissa est; sed & alia Societatis vniuersæ grauioris momenti negotia videre, perpendere, & priuato seorsim digesta, elucidatáque examine, Generali demum, iure statuenda, vt viderit fore Deo gratissimum, deferre. Præter Assistentes, præscribuntur item conuentus Generales in quos florem suorum hominum, suo lectum suffragio Prouinciæ mittunt: quicquid in iis decernitur vim habet legis, apud ipsum quoque Præpositum, nec antiquari ab eo potest, neque immutari: de illo quin etiam ius habent (si quo vnquam sæculo opus foret) cognoscendi, iudicandi, statuendi, vtrum corrigendus, an loco, & officio mouendus, imo etiam & Societate. Ad hæc suus publicè Generali datur Admonitor, cuius sit diu perspecta prudentia, & rerum nostrarum peritia. Huius est si quid vita Generalis aut gubernatio ab recto deflecteret, petita primum diuinitus ope, modestè illum, sed tamen libere admonere. Quod idem subsidium monitoris, & consultantium adiectum est singulis qui essent tum domibus, & Collegiis, tum Prouinciis præfuturi, nec possunt secluso eorum consilio quicquam momenti alicuius, vel de rebus quæ incidunt, vel de iis quos regunt decernere. Et hæc quidem Societatis administrandæ tam omni ex parte absoluta, pulchráque ratio, suo capiti membra cum mutuo habitu coaptans, suum illis nomen tuetur, & iura, efficítque vt verè partes sint; quod si semel esse desierint, tunc neque hoc corpus tàm nobile constare iis valeat, nec illæ conseruari. Haud tamen domi defuere turbulenta, rebelliáque ingenia, quæ conatus omnes, & machinas vt eam prosternerent admouerunt, ne omissis quidem secularium principum authoritatibus. Quin & ab iis quoque eo impudentiæ ventum est, vt summo Pontifici libellos, ementito totius Ordinis nomine offerrent, paucorum licet malignitate concinnatos, quibus secum Prouincias aliquot, ab Generalis

Præpositi Obedientia, moliebantur abducere, & delegato seu Commissario, siue inspectori perpetuo subdere; ad hoc Societatem proiectè scindere; vnam in plures lacerare; dissipare illam omnium nationum concordem animam, ex [illegible]ibus Societas sua non solum ingenti gloria coalescit, vt loquitur Pontifex Paulus V. sed necessario etiam fulcitur primigenij spiritus firmamento. Solemne videlicet hoc habent, qui maiora se spirant, & grandia, pusilli ac tenues; vt cum spebus iniquis exciderint, aduersus gubernationem stomachum effundant, dum enim pudet latentem ambitum prodere, si iactent se, per imprudentiam, vel siniſtros affectus eorum qui regunt prætermitti; aggrediuntur ipsam regendi rationem, ex vno aptam, solo, & perpetuo, Romæque defixo, capite, sic incognitis de rebus causisque indictis queruntur ferri iudicium; quæ cuiusque debentur meritis, vnius arbitrio dispensari; plus videre præsentes oculos, quàm longissimè absentem; decernere tutius de agendis multorum iudicia, quàm vnius, qui haud aliter quàm relatu cognoscit, cartis consignato, non vsquequaque veracibus. His plenè incommodis occurri, si cognoscendi officium, potestatémque decernendi, in multos diuidat, qui non valet solus ei sufficere; hac via, quod vni aufertur, datum iri Ordini vniuerso; æquum esse ne quantum vult valeat, qui non valet semper, id solum velle quod æquum est. Augebat priuatos ambitus, publici sui effræne studium, & vasta intolerandáque opinio, quæ huc denique exiere, vt cum pares non possent sustinere, neque aliis eminere, idcirco ab iis seiungi contenderent, vt se potius gloriarentur suos, ac sui Dominos quàm præstantissimi corporis membra esse. Hos Congregatio quinta Generalis, præuaricantes filios & degeneres appellat, turbatores quietis publicæ, nouarum [rerum molitores, ausos Ordinis vniuersi commune iudicium impugnare & [quæ profligata verecundia est] censura notare & interpolare non veritos, quod ab sanctissimo, & prouidentissimo fundatore, ad supremi splendoris claram lucem decretum fuerat, & præscriptum; quod Pontificum oraculo post cognitiones sæpius integratas pro diuino toties firmatum, sancitúmque execrationibus diris contra aduersantes. Quare sua illos secuta est merces, anathemate icti sunt; condignam sceleri sortitos pœnam, quam machinabantur in aliis facere occupauit ipsosmet discessio. Illos Societas quam professi erant euomuit, & si quos tenere coacta est, prærogatiua cuiusuis muneris semper carituros, in exemplum seruauit, quo saperent, si quos in posterum, eadem vertigo agitasset. Annis inde non multis peculiari diplomate Paulus V. tum antiquum morem confirmauit Societatis gubernandæ, qui ab Ignatio institutus, eò vsque viguerat; tum Generalis Præpositi perpetuitatem, eiusque Romæ commorationem, cum potestate amplissima Societatis vbique gentium regendæ quibuscúmque ex nationibus constaret. Quo eodem maiori diplomate, Præpositum & cæteros qui deinceps præessent, verbis grauissimis vetuit, intercessionibus aut minis Principum manus dare, vbicumque natiua Instituti nostri, incolumitas lædi, aut fuscari sanctitas videretur;

retur; si cuius autem nostrorum audaciam interciperent, rebus nouis hac in parte studere, velut Ordinis turbatorem, & offensionis architectum, iussit pœnis meritis cohercere. Sed de his nunc obiter, loco, & tempori fusius, id solum aduerto, nullam inter homines esse Communitatis vllius, tàm longè & acutè cautam, prouidámque gubernationem, quam non aliquid saltém aliquando, singulare, & inopinatum fugerit & fallat; nam sumus denique homines, non mentes de cœlo liberæ, & humana administramur intelligentia. Peruersitatis itaque intolerandæ sit, priuati alicuius incommodi impatientia, aut fortuiti leuísque erroris indignatione, vtilitates immensas spernere; suscepto congenitas gubernandi modo, moliríque mox nouum, quocumque tandem periculo id fiat, pro næuis forsitan quos sanat vulnera facturum ingentia, quorum rursus impatiens odium, nouos moueat interpolatores ad nouam regendi excogitandam rationem, alternantibus fabricandi, euertendíque perpetuis vicibus inter publici boni detrimenta, quæ solet in re tanti, nouitas improba inferre. Certus ergo diuinitus, Fundator, imperij formam quam stabilierat in Societate esse quam optimam, ad modum Obedientiæ effingendum se totum conuertit, nec inculcauit aliud grauius, nec explicuit fusius, nec experiri accuratius in nostris ad futuri exemplum sategit, nec violatum multauit seuerius. Hanc esse Societatis firmamentum, hoc robur docuit, quo se tueretur, & ageret: hanc tesseram qua tanquam gentilitia signaretur, & secerneretur ab aliis, vestitu aspero, ieiuniis, & solitudine primas sibi partes ferentibus: hanc demum parens sanctissimus tanti fecit, vt discessui proximus, in Obedientiæ commendationem, qua nihil carius haberet suprema dictata formauerit, vocatóque Ioanne Philippo Vito, Secretarij socio, scribe, inquit, nam volo norit Societas, de Obedientia postremùm quid sentiam, eique vt sequitur dictauit.

XXIV. *Dictata de Obedientia ex S. Ignatio sub vitæ exitum excepta.*

1. Ipso primum in religionem ingressu, vel statim post, prima hæc cura sit, vt me totum superiori penitus permittam.

2. Optandus mihi superior fuerit, qui iudicij mei domandis sensibus insistat.

3. Quibuscumque in rebus, culpæ nihil inerit, standum mihi est superioris arbitrio, non meo.

4. Triplex est obediendi modus. Vnus cum obedientiæ præcepto iubetur, & hic quidem est bonus. Melior alter, cum iussis simplicibus paretur. Tertius omnium optimus, cum ne iussus quidem expectatur; sed vel solus superioris nutus, & quod velle creditur, executioni mandatur.

5. Superioribus promiscuè omnibus parendum mihi est, nullo discrimine maioris, minoris, aut infimi; sed Deus cuius vices agunt, pari mihi iure in omnibus spectandus, alioqui per illorum gradus, Obedientiæ quoque vis ad infimum descendit.

6. Si rectum putauit iubere superior; mihi vero id secus absque Dei offensa fieri non posse videbitur, nisi hæc mihi sit euidens, stare me iuben-

tis imperio ac iudicio oportebit: in quo tamen si minus acquiesco, quicquid mea me cogit opinio sentire, seponendum est in duorum aut trium consilium, & eorum sententiæ inhærendum: si ne id quidem mihi satisfacit, absum planè ab ea virtute longissimè, quam religiosi status præstantia exigit.

7 Denique meus esse non debeo, sed eius à quo sum conditus, & eius cui me regendum credidit, & cuius perinde arbitrio agendum me permittere debeo, vt si totus ex cera forem, quicquid me fieri voluerit: dare aut accipere literas; hunc, illumve alloqui, aut abstinere ab eius colloquio, & eius generis alia: reponenda mihi est pietatis meæ, & prompti animi summa in capessendo quicquid mihi iniungitur.

8. Habere me pro cadauere debeo cui nec velle est, nec intelligere; pro crucifixi breui simulachro, quod sinit quaqua versum pro libito se agi; pro senis baculo, quem vbicumque commodum adhibet & reponit; ita me opus est religioni ad nutum seruire, vbicumque sibi commodare me posse censuerit.

9. Nec loca debeo, nec munerum occupationes, meo delectu ab superioribus petere. Possum quidem mentem, ac desiderium iis exponere, dumtaxat omnia velut eorum pedibus aduoluens, consultissimum habiturus, factúque optimum, quicquid à me præstandum iudicarint.

10. Leuiora tamen petere nihil vetet, quale sit, obire sacras stationes; aliquid à Deo peculiaris gratiæ flagitare; aut quidpiam simile, sed parata semper ad impetrationem aut repulsam, eadem animi æquitate.

11. Ad paupertatem quod attinet, non minus debeo ex nutu regentium pendere, hoc est re omni carendo propria, & concessis vtendo vt statua quæ spolianti se, qualibet ex causa, nihil obstat, aut queritur.

XXV. *Epistola S. Ignatij de Obedientia ab vno de Societate impugnatur.*

Etsi vero hæc vndecim de Obedientia effata sub vitæ finem dictarit Ignatius, haud tamen suos eo vsque sensus distulerat, fusiore scripto explicare, sed hoc ad communem tunc egit Societatis vniuersæ, quod ad Collegiorum quorundam eruditionem, ante annos aliquot egerat. Exarserat enim præter modum non paucorum ex nostris in Hispania, & Lusitania pietas, licere sibi crediderant in rebus animi suo ductu regi; hinc eorum nonnulli voluntariis pœnis, animosi magis quàm prudentes, valetudinem perdere; alij contemplationis illecti dulcedine, solitudines adamare, vtrique quo tenderent, quo vocati essent obliuisci. Vtrisque vt metas Ignatius figeret, paræneticas ad illos dedit, quibus manifestum iis fecit, quo se rectà ire certiùs crederent, hoc ab ea errare longius, quamdiu omissa obedientia pergebant iure suo fingi, & singulari suo arbitratu regi: repetita enim (quod Deo præcipuum, & optimum vouerant) libertate, præ illa nihili apud eum fore, quicquid postea obtulissent. Verum iis de hoc argumento, quæcumque aut sanctus Ignatius, aut quiuis forsitan alij scripsere, prolixa eminet, mirabilisque Epistola, quam ad nostros in Lusitania anno 1553. datam, Societas, & legit semper, & suspicit.

Hæc

Hæc eius virtutis gradus omnes, digestos; totámque tùm docet, tùm complanat illius absolutionem. Quare Societati Præpositus, & de more, communibus literis salutaturus nostros, & admoniturus, Franciscus Borgia, vbi de obedientia monere incidit, nihil quod S. Ignatio adderet inuenit. *Quod ad obedientiæ, virtutem attinet*, inquit, *(ad quam Societas omnia referri tanquam ad scopum, & vexillum, quæque est eius turris præipua) etsi nonnulla fortasse dicenda erant, tamen quia B. P. N. Epistolam de ea scripsit, non vtilem modo, sed omni dignam admiratione; quippe cui nec quicquam addi possit nec detrahi, ad eam vos remitto cum hac vna voce Euangelij, hoc fac & viues; hoc enim in Domino nobis polliceri possumus fore, vt si quæ in illa continentur præstiterimus, perfectæ Obedientiæ filij nominemur, & simus.* Hac porrò Epistola, Sacræ paginæ, ac Patrum testimoniis luculentis, & vi rationum ineluctabili, Obedientiam digerit in tres gradus, alium alio excellentiorem, executioni tribuit infimum; medium voluntati, non operi modo quod iussum est, sed iubentis quoque arbitrio se subdenti; tertium, ac supremum iudicio, eadem cum superiore pariter approbanti. Ad hunc apicem tam præstantem, & celsum non euadit, nisi qui iubentem non hominem cogitat, incautum prudentem; sanctum, vitiosum; sed ipsum cuius loco is iubet Christum Iesum. Nec alia fuit Obedientia quam cœnobiarchæ, religiosæ magistri disciplinæ, pugnanti in speciem, ornarunt nomenclatione, dum sapientum stultitiam, ignorantiam doctorum, consultorum imprudentiam, securum periculum, perspicaciam cæcam inscripserunt. Est enim hæc oculatissima cæcitas, in iis quæ iubentur nihil videre, sed vnum in ore iubentis Deum imperantem, acutissimo visu cernere, solumque attendere, qua sanè haud dubia persuasione, vsuque cæcitatis perspicacissimæ, quàm multi vel quondam inter veteres Monachos, vel nunc in Societate sublime fastigium magnarum virtutum attigerint, quis dicat? Sed hi cum suis quique temporibus ipso eius ab ortu claruissent, essentque notissimi, prodigio par est Iulianum quendam Vincentium, Andegauensem patria, & ipsum de Societate, vsque adeo insaniisse, vt sexcentas in eam Obedientiam comminisceretur stolidissimas accusationes, quas cum ad suprema tribunalia deferret, præfatus est sibi curiosius indaganti, fontem denique patuisse, laxitatis in vita, erroris in fide, quibus infestaretur Societas; esse vero hunc Epistolam quandam cui de Obedientia nomen fecissemus, portentosis refertam dogmatis, ex quibus magna religionis veræ detrimenta necessariò sequerentur. Quod pro suæ amentiæ genio tractatum prolixius cognitoribus obtulit, accidítque supra omnem fidem, vt cum aduersus hanc Societatis Obedientiam, non alia vomeret, quàm quæ hæretici sæpius aduersus illam edidissent; hi quidem velut animales, & sensu carentes diuinorum, damnarentur, & proscriberentur; Vincentio velut mysteria de cœlo adportanti, aures tam credulæ darentur, vt examini subderetur quod orbe toto in confesso erat, ex quo nosse perfectam Obedientiam cœperat, vt Apologia triplici validè defendit Robertus Bellar-

minus postea Cardinalis; adeò verum est religiosos ordines ficta domesticorum probitate crudelius impeti, quam professis externorum insectantium odiis. Sed hanc, vtpote suam, foro suo causam reseruarat Deus, processúque planè insperato, quod loco narrabitur, in actum vltimum eduxit, infamem scilicet Romæ Vincentij carcerem, quem proiectâ quodcumque sibi non saperet accusandi, calumniandíque libidine quæstifecit.

XXVI. *Quàm perfectam à suis Ignatius Obedientiam exigeret.*

Cæterum exigenda S. Ignatius Obedientia, haud erat alius quam in præscribenda. Lex illi fuit fixa atque immobilis ceruicosos non ferre, quibuscumque ij dotibus, aut nominibus pollerent, & eiusmodi non raro turmatim dimisit, paratus, vel Collegia integra penitus exhaurire, atque omittere, quàm in iis talium quempiam tolerare. Quare Gandiam ad nostros scholares, nonnihil in hanc partem visos deflectere, ardentes dedit longásque literas, de obsequentia qua vellet iis ipsos subiici per quos à Deo regerentur, omniáque hac clausula sanxit. [Cui desit animus ad eam quam scribo parendi regulam expeditus, siue illorum qui istic sunt, seu qui sunt ad eos accessuri; ne dempto quidem eorum Rectore; de alia sanè ineunda via, vitáque cogitet, neminem enim capit Societas, quin possit ac velit ad eam formari Obediendi normam quam his literis descripsi] fingendis vero vsu ipso ad illam nostris, iniungebat interdum otiosa; intempestiua; pugnantia; vt concionari, & procuratorem domus eodem tempore agere; philosophiam simul cum grammatica profiteri; coquum ipsum ad Theologiam docendam morigerum habere animum, ad mutandam culina scholam Theologum; accersebat quandoque Sacerdotes, ad celebrandum iam ornatos, móxque vt exuti accurrissent remittebat, vna quam poscebat celeritate Obedientiæ contentus. Quosdam assuetos in liberiores moras interpretari mandata iubentium, euocabat identidem repente, etiam dum confitentibus aurem darent, quodque ex iis vnus tantisper adesse distulisset, parum abfuit quin acciperetur seuerius. Sacerdoti ardentius vrgenti, peregrinationem quam sic efflictim deperibat negauit, & flagellationes aliquot indixit, haud quidem petitionem culpæ damnans, sed eius affectum quam Obedientiæ maiorem: huic illa respondet sat quoque insolita, quam Emerio de Bonis vixdum pœne tironi imposuit mulcta. Degebat è regione nostri templi mulier famæ haud satis honestæ, cui quotidianum erat domus purgamenta ad templi fores proiicere, indignitatem rei aliquamdiu passus Ignatius, demum Emerio iniunxit (qui vt principio nonnulli, adhuc indifferens ad domestica, & literaria, æditui munere fungebatur) iniunxit, inquam, vicinam rogaret, aptiore loco sordes deponere. Verum Emerius singulari modestia iuuenis, verecundatus cum ea loqui; quod iussus fuerat, per alium id significauit: quod vbi resciuit Ignatius, pudoris gratiam probauit, obedientiam etsi leuissimè præstrictam vltus est Emerium voluit sex menses cum tintinnabulo ad collum triclinio adesse, & quotidie has voces altè repetere *volo & nolo non habitant in hac domo.* Iam si quis sibi ad genua veniam petens aut pœnitentiam,

mox

mox vt innuisset non statim assurgeret; illum situ eodem abiens hærentem sinebat, vt moneretur demissioni illi deesse meritum, quæ ad Obedientiam restitaret. Sic adiutori laico, vt sederet, cum nutu indicasset, dum ipse interim colloqueretur cum viro nobili, & ex obseruantia vtriusque stare nihilominus adiutor pergeret; iussit scabello capiti sibi imposito tamdiu perstare, dum sat longum cum nobili, quod inchoauerat negotium peregisset. Cornelium Brughelmannum Belgam, sacri officij texendo sæpius retexendóque penso totos prope dies absumentem, & scrupulorum violentia, doctorum virorum consilia omnia coactum elidere, remedio curauit ad insolentiam morbi apposito; serio admodum imperauit vna hora recitationem officij absoluere, quicquid post fluxum clepsydræ supereset, planè omittere, ne ob periculum vertendi cerebri per se iam ab ea solutus recitatione, vltro se dementatum iret: valuit ad sanitatem medicina, & peculiaris parendi religio cum communi iuncta recitandarum precum obligatione vtrimque sic hominem vrsit, vt exinde statim occœperit definito spatio officium claudere, & tricari secum scrupulosè, capútque vexare desierit. Tam deliberata perfectæ Obedientiæ ab suis exactio sic illos priuatim rei cuiuscumque affectu nudauerat, vt incœptis etiam ad Dei gloriam tentos ingentibus, si ad se reuocaret, mox iis absisterent; & iussi munus, aut sedem mutare, falcem continuo à messe animarum, quamuis vberrima, eius ad vocem perinde amouerent, vt si Dei vocem non hominis audissent. In his Antonius Araozius Barcinone fructu incomparabili laborans, vix ab Ignatio per literas monitus, inde quantocius interiora Hispaniæ peteret, illicò paruit, nihilque aut sibi meriti, aut illi populo vtilitatum maximarum, aut summæ gloriæ ipsi Deo, suo illo discessu, periturum causatus, in hæc verba respondit [quod mandas aliò commeem Septembri ineunte, *paratus sum & non sum turbatus.* Cum bono Deo, æterno meo & optimo Domino non modo int grè, sed valdè alacriter obsequar, securus planè, ac certus, tuam, & Christi ipsius redemptoris mei vnam esse vocem, quam oues illius audiunt. Tametsi quoscumque is nuncius peruasit, plurimum querantur, tantum hinc bonorum quæ fieri cœperant auferri, & fiebant sanè; tantum enim quod agam suggerunt, vt si me velim omnibus commodare, compellar mihi ipsi deesse; quare partes mihi noctium decerpo, quibus, quod interdiu non potui, meo animo impendam. Confessionibus audiendis, & quidem haud raro de omni vita; tradendis Exercitiis spiritus, conciliandis inter primarios discordiis grauibus, ita sorbeor interdum, vix vt etiam liceat rem sacram facere. Quod ideo refero, vt te animæ meæ commiseratio capiat.] In hac tamen obtemperandi cæcitate, acutâ & lynceâ, relictis ad nutum vocantis, etiam quæ in manu essent, opulentis diuini obsequij lucris; Xauerius, vix sibi parem inueniat, promptum videlicet, conuertendi spes magnas Orientis, si moneretur negligere, seque inde in Europam referre. [Nam S. Ignatio rescribens, significas, ait, quanto mei dum in viuis sumus,

iterum

iterum videndi desiderio tenearis; novit Deus, hæc verba, quam tenerè animum meum affecerint, quantum exprimant lacrymarum quoties in mentem redeunt, consolatur me vel hoc vnum, cum id fieri posse recogito; & nihil est quod vires sanctæ obedientiæ excedat] aliis vero eo anno datis, qui vitæ vltimus illi fuit [Deus nos in cœlestium felicitate, & (si ex eius gloria futurum est) in hac vita coniungat; id enim si mihi imperetur, obedientiæ vi effici nullo negotio potest] ac nisi hæc vota mors occupasset, haberent hoc posteri, mirabilis Obedientiæ exemplum, suumque Xauerium Ignatius, milliarium octodecim millibus reducem paterno sinu excepisset, tanto parendi documento, & Iaponensis, ac Sinensis imperij Christo adiungendi spe omissa, quam parta clariorem. Euocarat enim ad se Xauerium, etiam Obedientiæ præcepto Ignatius, vt erat cum carissimis nonnunquam solitus, vel ad incrementum meriti, vel ad præuertendas intercessiones; & meditabatur, Societatis gubernatione in illum deposita, formare illum sibi successorem, sed mandati grauissimi aduentum obitus anteuertit.

XXVII. *Quantam inter suos caritatem optaret S. Ignatius.*

Commissis inter se mutuo nexu Obedientiæ illorum qui præsunt, & subsunt gradibus, videndum restat quam perfecto caritatis alternæ vinculo sic omnes, adstrinxerit, vt nec locorum longinquitas, nec graduum discrimen, nec diuersarum nationum diuersus genius, illos aut disiungeret, aut turbaret. Ad hanc rem præsidiis quam opportunis, & efficacibus nisus sit vir Sanctus, narrando fiet quam differendo apertius. [Mira res (scribit Ludouicus Strada ex sacro S. Bernardi Ordine) & incantamento cuipiam diuino similis, quam in Societatis sanctæ domibus aliquot notaui; homines non modo familia, sed linguis, & patria, diuersos, scholasticos iuuenes, magistros senes, paucis diebus, mutua caritate, inter se sic coalescere, vt in cor vnum, & vnam animam euadant, vt qui de iis aliud non norit, puter patre eodem, matréque progenitos, aut eandem naturæ temperiem sortitos] quæ externa quidem, sed visu ipso fulta auctoritas, credibilius facit quod ab vno è nostris per id tempus, & reipsa probatum, & scripto est traditum. [Nulla æquè me, ait, iucunditas afficit, vt illa quam obseruo in Societate, tot inter diuersa ingenia, voluntatum tam apta consensio; æqualitas à prærogatiuæ cuiusuis ambitu adeò aliena, inter gradus adeò inæquales; in varietate tot linguarum, & gentium, concentus animorum tam concors, & hilaris; nullum hic ponit doctrina, grauitas, opes, nobilitas; à pauperibus, obscuris, & ignorantibus discrimen. Ego illi amicus, aut is mihi; vrbanitas est hic absona; & velut de ciuilitate sæculari accita aures lædit; inuicem enim omnes amant, nemo non alteri amicus tanquam sibi. Iam in diffita cum migratur. Obedientia iubente; vel de via procul appellitur: qui & quàm alacres, & beneuoli complexus, quàm simplex intimi amoris significatio? quocumque apud nos aduenerit, domum suam venit; illic totidem frarres quot socios reperit. Agnoscamus hac in re Dei donum, idque grato animo recolamus.

Gratule

Gratulemur nobis quod hæc hodiéque fouetur in Societate caritatis tam pulchra communio, ſperemúſque tùm fore perpetuam, tùm quiſque pro virili ſua vt perpetua ſit connitamur] ſic ille ex quo id fiebat, vt in Collegiis ſuo numero inſtruendis, concionatores, magiſtri, rectores, operarij cœteri, principibus obnoxij ſæpius diuerſis, quandóque inter ſe hoſtibus mitterentur, nullo metu ſuſpicionis faciendæ; imo vt ſummam eiuſmodi cœtus, ex ſemotis regionibus collecti, afferebant vrbibus voluptatem, ita Ignatij ſummam prudentiam illuſtri docebant monumento; cum locorum vbique, velut Societatis epitome ſpectaretur, & illa Italici, Gallici, Hiſpanici, Germanici ſermonis aliorumque fere orbe toto idiomatum multitudo, vbicumque foret Societas, ſonaret, ibique naſcentis Eccleſiæ inſtauraretur miraculum, cum in multiplici diſſonantia linguarum etiam barbararum, vnus caritatis eiuſdem cordíſque vnius ſuauiſſimus ſonus audiretur. Hoc modo Meſſanæ Collegium, anno 1548. conflauere Patres duodecim, ex ſingulis ſinguli orti Prouinciis, Regnis, etiam magnam partem lingua, imperióque diſſentientibus. Quod prudens ciuitas merito admirata, videre viſa eſt quod refert de fidibus cytharæ Auguſtinus, quarũ vnicuique ſuus eſt proprius ab natura ſonus, ſed ſociarum tinnitui ſic attemperatus, vt vna pluréſve vellicentur, *fiat ſuauiſſimus concentus, ex diuerſis, ſed non inter ſe aduerſis.* Nec magis hæc affectus patrij, ad noſtros ſine cuiuſquam diſcrimine amandos expoliatio ferebatur, quàm externos perinde adiuuandos, vt ſi nobis vbique gentium ciues eſſent. Itaque principes, in legendis quibus conſcientiæ arcana crederent, promiſcuè habebant, ſuæne ij forent, aut alienæ ditionis, dum eſſent è Societate; rati ſolum omne, nobis patriam eſſe, gentem omnem nobis eſſe cognatam: inter hos Ioannes III. Luſitaniæ rex, excuſante Mirone externam originem confeſſionibus illius minimè opportunam; reſpondit nullum ſibi eſſe externum qui eſſet de Societate. *Pſ 150.*

XXVIII. *Quibus modo S. Ignatius noſtrorum concordiam ſanciuit.*

Quibus autem viis hanc aſſecutus ſit Fundator ſanctiſſimus animorum in noſtris hominibus tam neceſſariam, pulcramque concordiam ex Conſtitutionibus habetur, vnde pauca ſolum huc transfero, quæ ad hanc videntur potentiora extitiſſe. Nobis primum nihil eſſe antiquius voluit, quam vt vltro patria veluti extorres, abſtergeremus à nobis omnem illius minus expurgatum, ac religioſum ſenſum: neque id ſatis, verum & diuerſis nationibus oriundos, peculiari quodam animi flexu nobis iungeremus, aquarum in morem quæ in procliue, in plana, aut infima decurrant, velut fontem natiuum oblitæ, ire aliis obuiam videntur aliunde ſcaturientibus, & cum iis in eandem confuſæ, pereundo ſimul, ac perdendo vberius creſcere. Quo ſpectat illa æternum legenda Euerardi Mercuriani ſub diſceſſum patrum ſalutatio, Congregationi tertiæ à qua Societati Præpoſitus fuerat, hanc mentis vnius vniuerſorum concordiam inculcantis. *Obſecro vos*, inquit, *per miſericordiam Domini, vt huic quam maximè inuigiletis, alter de altero in bonitate ſemientes, vt vtrique inuicem bene ſentiamus. Omnes enim eiuſdem Vocationis, & fratres, & filij eſtis. Itaque nulla obſecro ſit Sar-*

matia, nullæ Hispaniæ, Italia nulla, nulla Germania aut Gallia, sed vna Societas, vnus in omnibus Deus, omnes in vno Domino Iesu Christo, cuius membra estis. Quod autem sermo de armis principum vario marte pugnantium, poterat affectus partium in audientes influere, partibus illis obnoxios; vetuit omnino domi talia iactari. Ad hæc cuique plurimum commendauit, Christum in aliis vnum attenderent tanquam eius spiranti expressum imagine, vt defixo in speciem tantæ pulchritudinis oculo, nullum præterea in iis possent naturæ aut morum, aut ingenij errorem discernere, & quod est consequens, auersi, aut contracti quæ inde nascuntur animi frigora deuitarent: iudiciorum item discrepantiam vehementer damnat quod consueuerint sequaces habere voluntates, vt ventorum impulsum maria: quia vero id habent priuatæ rationes, vt affectum omnem ab aliis auulsum sibi penitus vindicent, & competitores diuidit ambitus, adeoque interdum etiam committit manifesta æmulatione; vno superiorum maiorum iudicio dispensari inter nos loca, officia, ministeria gradúsque voluit, cunctáque illorum ex arbitrio suspendens, nullum ambitioni, & nundinationi locum, nihil possessioni, & præscriptioni residuum fecit. Si quibus vero innascereturquædam animi rabigo, aut offensiunculæ verborum etiam perleues, plectebat eas tam acriter, vt reum corrigeret alios terreret: sic vnius ex præcipuis patribus pœna grauissima inconsiderantiam castigauit, quod phrenetici domi ægrotantis, foris per iocum deliria retulisset. Quanto acerbius luissent si quibus excideret narrare quæ in aliorum contemptum, aut dedecus verterent. Dissidiorum denique satores, & dissensionum artifices, linguæ bicipitis venænato telo alios inuicem proritantes, vt deprehenderat, mox veluti pestes expellebat. Inter quos fuit, de quo dimittendo cum Patres duodecim conuenissent; & ne qua vbi offensio præberetur, decem ex iis retinendum, & emendandum iudicarent, duo reliqui dimittendum; vir sanctus contra morem suum pluribus adhærendi, duobus accessit, aiens Romæ nulla re grauius ciues posse offendi, quam si accepissent nos dissidiis laborare, & eorum auctores stolida patientia tolerari. Par tulit præmium alius qui vt Romam venit, de Simone Rodericio cuius fuerat viæ comes, quædam effutiit, tanti viri virtute indigna, quæ vbi accepit Ignatius expiscari ab imo rem totam ex veris certísque statuit, nihílque comperit, præter expertes culpæ omnis chimeras, & nebulas imaginosi hominis, interpretatione læua falso in crimina detortas: quare obtrectatorem ad palinodiam adactum, etsi erat vir doctus, & raræ ad concionandum facultatis inexorabilis dimisit.

XXIX. *De voto reiiciendarum dignitatum, & contentione S. Ignatij, in iis ab Soc. repellendis.*

Nexum hunc duplicem eumque grauissimum quo cum iis qui regunt Obedientia; charitate mutuò iunginur; coronat ornátque tertius Deum spectans, in eumque contendens, quem postremum ex paucis referam, quæ inter multa Societatis conseruandæ præsidia S. Ignatius tradidit. Est vero mens ab concretione fumóque humanarum rationum pura, & libera; id vnum viuendo, agendoque ardens & ambiens, vt vni placeat diuinæ bonitati,

nitati, eiusque gloriæ famuletur. Fas ergo nemini strenuè quamlibet atque magnificè Ordinis splendori,& proximi bono insudarit,mercedis quicquam admittere, vel honorarium aliquod expectare, vt per hanc animi comparationem tum Deo sanctius, tum hominibus gratius, tum nobis constantius operam locemus, quisquis enim Deo laborat vni, quicquid eximie patrauit,nihil se vnquam egisse tanto dignum munerario reputabit.In qua spei cuiusuis caducæ abdicatione primas tenet dignitatum fuga, quæ tam sanctè nobis imperatur, vt sacrilegum sit apud nos, illas ambire si domesticæ sint; si externæ, oblatas admittere, nisi præcepto summi Pontificis imponantur. Hoc enim propositum Professi omnes voto firmant, cuius formam ac modum S. Ignatius Constitutionum parte decima descripsit. Nam vt primum vix nata Societas prodiit, cum multi ex ea ad infulas, ipsamque purpuram apud Pontificem optarentur, nihilo lentius iis Principum votis Ignatius obstitit, quam si subituris in Societatem honoribus, eodem aditu exulatura esset Christi humilitas; quo facto docuit successuros sibi Præpositos in simili causa quid sequi deberent. Quod autem ad promouendas spes quæ nouæ affulserant, reuocandæ ad Rom.Ecclesiam Æthiopiæ, Iulius III. Patriarcham, & duos Episcopos, è Societate Regi Lusitaniæ concessisset; voluit sanctus perēni suo testimonio constare,nihil ab se omissum quo id ab Societate auerteret,multo longuis abfuisse,vt electioni illi blandimento illectus profecturi ex ea boni assensum præberet.Sic in decimam partem Constitutionum, *In Patriarchatu*, inquit, *& Episcopatibus Æthiopiæ admittendis, resisti non potuit.* Et aliquanto post, *resisti non potuit.* Quæ verba hoc sensu exponit Hieronymus Natalis, *resistendi* aiunt, *modus defuit voluntati & præcepto summi Pontificis; solus enim ille potest Societatem compellere.* Ac resistendi mensuram definiens quam præiuit Fundator, & iubet Institutum ab Societate adhiberi, *Omnes igitur modi* ait,*& rationes resistendi, & impediendi, sunt excipiendæ, & exercendæ, omnis lapis, vt aiunt, mouendus ne dignitas accipiatur, nec desistendum, vel animus est deponendus, donec omnis industria nos deficiat: quod nunquam esse debet nisi quando diserte obligabit sedes Apostolica ad mortale peccatum, nec admittere vllam planè excusationem volet.* Hanc Fundatoris sancti constantiam iuuat in aliquibus spectare.Claudium Iaium Tergestensi Ecclesiæ petebat dari Episcopum Rom. Rex ferdinandus, effecit primum Ignatius vt Iaius ipsemet supplici ad Paulum tertium libello potentissimis rationibus deprecaretur ab se illam dignitatem: rationibus adscripsit preces Societatis vniuersæ cum Iaio enixè flagitantis, ne qui Societati parens extiterat, vitam ei quam impertierat auferret, quod futurum omnino erat, si primigenio quo solo viueret, spiritu priuari hanc sineret. Proximo deinde post triduum, sacri Senatus suffragio cum res esset vltimùm decernenda, bonam eius partem in eam secum sententiam adduxit, vt dignitates in Societatem inuehi non probarent, omnes enim seorsum adiuit Cardinales duobus exceptis, quod esset alter in consessu de negotio relaturus, alter Episcopatum quem recu-

sauerat facti pœnitens resumpsisset : sed cum nihilominus animaduerteret, multos vtilitatibus Ecclesiæ, quam Societatis vnà & Ecclesiæ damnis plus moueri, differri negotium prudenter impetrauit, atque interea tam supplicibus, & tristibus literis, & suasionibus regem fatigauit, vt destiterit ab ea cogitatione, & laium metu, Societatem periculo liberarit. Aliquot post annis idem Ferdinandus Petrum Canisium ab Iulio tertio poscebat Viennensem creari Episcopum; sed egit tam validè, tantóque dictorum pondere apud sapientissimum Pontificem vir sanctus, vt polliceretur Pontifex inuito Ignatio non promouendum Canisium. At Iacobus Lassus regis Romæ Orator videns frustra fore si expectaretur Ignatij assensus, vrgebat vehementer præcepto Canisium adigi ad subeundum muneri delato, etiam Ignatio reluctante. Negauit præcisè Pontifex se facturum, his verbis. Haudquaquam verò, sunt enim nobis necessarij, hoc est, vt explicuit postmodum Cardinalis à S. Cruce, dissoluerctur Ordo tantæ in Ecclesiæ obsequia opportunitatis, si ambitioni panderetur in illum accessus quam dubio procul dignitates secum essent in eum illaturæ. Quod longo prospectu cauens Ignatius, prudenter illas, & fortiter à nobis arcebat, sollicitus potius, malorum ingentium quæ consecutura, processu annorum ex iis essent; quàm boni tenuis præsenti specie illectus. Iam sacram purpuram quam ab eodem Pontifice, Francisco Borgiæ Carolus V. impetrarat, quanto molimine, quo successu ab eo defenderit, clarius docebit Epistola quam ea de re ad Borgiam dedit, qui tunc Ignatio ab secretis erat. Eius Epistolæ verba sunt [Carissime in Christo Iesu mi Pater. Multiplici nobis argumento constat, Deo quantoperè cordi sit R. vestræ simplex, & vltro abiecta conditio, nunc tamen ex eo fit manifestius, quod eam grauissimo ponderi subduxit pilei, caput molestius vexantis, quam quiuis ex iis quos solet Antonius Rionus discumbentibus imponere. Decem fere, aut duodecim dies sunt, cum ex sacro consessu egressus Cardinalis Cueua, significauit Patri nostro, constitutum esse de R. vestra in Cardinalem promouenda, quod idem mihi Cardinalis Maffeus gratulabatur mirificè, cum eo ipso die illum adiissem; sed hoc apud illum cum apertè dolerem, quod esse dicerem ab Societate valde alienum, vellem, ait, Societatem vestram, Seminarium fieri Episcoporum, & Cardinalium. Postquam autem audisset ex Cardinali Cueua Pater Generalis decreti negotij quæ dictæ fuerant rationes, statuit de eo cum Pontifice agere, & egit tam prosperè, vt significaret Pontifex, nihil se ambigere, quin Romæ in Societate status præsens maioris esset ad Dei gloriam momenti, quàm si foret in Collegium Cardinalium adlecta; quin & eò venit vt diceret, R. vestræ vitam aut cuiusuis alteriùs è nostris, præoptare se suo pontificatui, quod vni scilicet attenderemus Deo, sibi nimio plura incumberent quibus cogeretur in varia distrahi, & in eo denique restetit, vt negaret missurum se ad R. V. pileum, contra ipsius voluntatem, ac nisi certò de ipsius assensu accepisset. Viderit iam R. vestra vtrum velit; Pontifici quidem à Patre nostro iam affirmatum est ipsam nolle, &

solo

solo huius rei metu frigidissima tempestate, ipsam Roma exisse, quo factum, vt Pontifex cogitationes alio verteret: actum inde ab eo etiam cum præcipuis Cardinalium; cum aliis summissi qui agerent, & cum ipso Legato Iacobo Mendoza, ménsque Pontificis omnibus explicata; ac licet extiterit nemo, quin se vehementer dignitatem illam R. vestræ velle prætulerit, multásque ad hoc rationes notarit; sed in eam demum persuasionem omnes conuenerunt, vt fatentur id non conuenire. Habetur itaque pro re conclamata, talisque tota vrbe iactatur, quòd in R. vestræ arbitrio posita fuerit, quam putem aperto ad solem, & pluuiam capite ambulaturum libentius, quàm vt eo pileo se tegat. Nunc boni nuncij gratiam ex ea peto, Sacrum pro me faciat de Spiritu sancto, vt dignetur mihi ad obsequendum sibi vberius adesse. Romæ 1. Iunij 1552. Ex commissione Patris Nostri Ignatij. Seruus in Christo, Ioannes Polancus.] Hoc porro negotium priusquam Ignatius cum Pontifice & Cardinalibus tractaret, triduum totum ardentius cum Deo tractauerat, indixerátque nostris sacrificia, & preces, quibus sibi mentem eò inflecti postularet, quod esset Deo glorioſius futurum, atque hinc tam clara in luce, Deum velle perspexit, ab Societate hunc honorem depelli, vt diceret, ne omnium quidem mortalium supplicibus studiis ab eo arcendo destiturum. Nec fuisse videtur futurus lentior, si quod instabat Lainio exitum habuisset, nempe vt is quoque inter Cardinales adscriptus fuisset à Paulo quarto, à quo vnicè amabatur; cuidam enim ex nostris Patribus in hæc verba professus fuerat suam mentem: breui fortassis Lainius, renunciandus est Cardinalis, id si euenerit, tantos in oppositum motus, excitaturus sum, vt palam intelligatur ab omnibus, honores eiusmodi, quo animo Societas ferat. Et sanè, Deo laus, multo plures de Societate Episcopatum recusarunt, ad quem expetebantur magnis suffragiis, quàm qui supremo imperio ad illum coacti sunt: vti & maiore numero fuere qui sacram purpuram Societatis panno, ac vita mutare voluerunt, quam qui ex Societate sacram purpuram induerunt. Superbiam nobis Philippica sua inter sexcentas calumnias Arnaldus, multíque hæretici, affingunt nobis minimè triuialem; hoc si quam veri præferret nebulam, nostérque ambitus, non dico macros, & tenues, sed Eminentissimos dumtaxat honores captaret, ex tam multis nostrorum, quos Reges, & Imperatores, habere conscientiæ arbitros voluerunt, profecto vel vnus aliquis, id fastigium prehendisset. At ne vni quidem id hactenus obuenit, non quod multorum egregia merita tantis præmiis paria non essent, vel apud principes summè beneuolos tantum gratia non polleret: verum alia Deo sanctè spoponderant, aliis conditionibus viuere, pro Instituto didicerant; religioso suimet contemptu & subiectione vltronea superbi.

XXX. *De exclusis ab Societate dignitatibus sapientum iudicia.*

Iam hæc dignitatum professa tam serio repulsa, semper ab sanctis, & sapientibus credita est miræ, ac necessariæ efficacitatis, qua se tueretur Societas; non ab iis modo quæ Religionis cuiusuis naturam labefactant, sed

quæ peculiari eius instituto eò insidiantur periculosius, quò esset pronior in eam quam in cæteros ordines, & damnosior eorum ingressus. Certè Pontifices alij præter duos quos ante nominaui, Societatem, & bene perspexerant, & habebant mirificè caram; nec obscurum iis erat quantum interesset ad Ecclesiarum commoda, vt ex nostris pastores iis deligerentur, viri sanctitate, & doctrina insignes: boni tamen haud paulo excellentioris, tanta est ab iis habita ratio, vt nec suis, nec principum votis id vnquam indulserint. Quin imo Gregorius XIII. qui tanto amore Societatem complexus est, eamque tantoperè in Ecclesiæ vsus adhibuit. Cardinalem Cornarum alloquens cum in hunc sermonem iuisset latius, conceptis his ad illum verbis concluſit. Aliam breui nos vitam inibimus; Vestra Dominatio, pro ætatis vigore superstes futura, meminerit nunquam committere, vt quisquam de Societate in Præfecturas Ecclesiæ proue hatur: nam si semel in eam iis detur aditus, eodem eius permitiem secum trahent. Quare Societatem Pontifex Optimus vehementer monebat, electiones eiusmodi totis viribus ab se defenderet, nisi si quà forte tot inter Sacerdotes idoneus reperiretur nemo, qui posset Ecclesiæ præfici, quod fuit perinde, vt nunquam futurum dicere. Cardinali tamen à S. Cruce (qui Iulio III. Marcelli II. nomine successit) longè tunc alia mens erat, licet Ignatio esset incredibili beneuolentia coniunctus: ad restituendam enim Christianitatem, nihil aiebat, validius & expeditius, quàm si doctis, sanctisque pastoribus, Ecclesiæ muniantur, iam si sit instituendus Ordo, cui hoc propriè incumbat, vt suos informet desiderio salutis alienæ, pietate, ac literis (quibus præcipuè dotibus munus præsulum continetur) quid Societati vel possit addi, vel detrahi vt spectare ad illum Ordinem censeatur? Cum vsque ab tyrocinio, suos sacrarum literarum, priuatæ virtutis, & iuuandi proximi studio imbuat, omníque ope, ac ministerio, animarum saluti se tradat. Fraudatur igitur adiumento grandi Ecclesia, dum illi negatur eorum opera, à quibus potissimum instaurari, conseruaríque posset. Qua de re etiam aliquando, cum Martino Olauio disputationem mouit bene longam; nec vllis eius responsionibus valuit ab ea persuasione discedere; donec postremo ad auctoritatem Ignatij redactus Olauius, intulit eum planè diuersa sentire, licet in necessaria Ecclesiæ tempora, atque obsequia totum contulisset Societatis institutum: quæ vox statim Cardinalis prudentiam aduertit, vt absque alio argumento contueretur dilucidè, ita fieri debere, & sermone retro versùm ducto, huic ego do manus, & apud me, inquit, hoc in negotio plus potest solum Ignatij nomen, quàm quicquid antea rationum mihi occurrerit, nec credibile est profecto, nos esse hac in re oculatiores, quàm fuerit, cui tam luculenter, copioséque Deus opitulatus est in Societate tam afflictis Ecclesiæ temporibus condenda. Nec simile verò est qui Societati condendæ regendæque magister Ignatio præiuit, cælasse illum quas sibi ab eo, probaret operas

ras impendi, quibus abstineri, ne ipsa salutis suæ periculo, alienæ prodesset.

XXXI. *Quanto foret Societatis damno ambitus Dignitatum.*

Sanè Ignatium in leuioribus si tanta docuit æterni luminis copia, quid Deo maximè placeret; in Præfecturis Ecclesiæ vel admittendis in Societatem, vel ab ea arcendis, ex quo tot vtrimque, tàm grauia necessario sequebantur, dubitari non potest, maior quædam vbertas diuini splendoris illustrasse. Quanquam fortassis alicui, haud ita longè præuidenti, possint quoque nonnulla suppetere, quæ persuadeant in huius rei Constitutione, Ignatium, communis prudentiæ, pietatisque regulis institisse. Nam demus imprimis, desiderio salutis alienæ; qua vna ex causa tantummodo videtur licere, vt dignitates inducantur in Societatem; si clauem aditus constanter teneat, nec ingressum cuiquam nisi meritis præbeat; damno quidem minus intolerabili id fiet: etsi graue omnino futurum sit, Ordinis florem decerpere, & optimo quoque, atque ad ministeria Ordinis eximiè instructo illum minuere, vt si ex corpore laboribus improbis destinato exsudent spiritus maximè viuaces, quibus se vegetat & agit. Vnde illud viri sapientis, verè sapiens responsum; rogatus enim Præpositus Religioni cuidam sanctissimæ, quem inter cæteros ordines, munitissimum putaret, aduersus detrimenta primigenij vigoris? Societatem nominauit, vt quæ optimum quodque retineret, nec ab se sineret in dignitates Ecclesiæ abstrahi; deterrimum quodque, ac reprobum dimissionibus laxiorum eiiceret; hoc tamen quicquid est iacturæ quæ optimi cuiusque socij fieret, si solum inesset præfecturis sacris in Societatem inuehendis, ferendum vtcumque videretur, modo; quod primitùs ardori asserendæ Christo animarum salutis datum foret, negari deinde ambitioni posset. At illa quæcumque sit in dignitates propensio, cum se intra fines meritorum arctare non valeat, meritorum profectò prærogatiuo iure careant oportet, qui eas captant quam maximè, tum quod iis minimè omnium se dignos sentiunt, qui omnium maximè reipsa digni sunt; ac si eas metu periculi non vitant, honoris saltem cupiditate non ambiunt; tum quod in cœtu, animarum saluti tot modis, laboribus, ac ministeriis curandæ integrè addicto, pastoris officium candidè, laborum illorum desiderio optari non potest, quorum in Societate quam alibi vsquam seges est maior, & operosior. Tædio igitur disciplinæ, aut libertatis illicio, ambitu, fastidio rectorum, parentum inopia, commoditatum blanditiis trahi oporteret, quotquot fere sacrarum dignitatum splendidis gradibus inhiarent; quibus tametsi potirentur pauci; non pauci tamen ad eos grassarentur. Habet enim absentis licet, boni spes longa, & volucris inemptam promulsidem, & dulce quiddam gratuitum quod sine pretio ducitur, & oblectat, videmúsque in aulis principum, si vel vnus applicuerit fortunatè, sexcentos conscendere, licet eorum in oculis nauim totidem alij fregerint. In Societate vero quæ homines habet, nobilitate, literis, & ministeriis, etiam in obsequio principum illustres, quanto forent hæc procliuiora, quæ suapte sponte ex similibus principiis decurrunt; nempe

nempe in hunc scopum ministeria legere; nullum admittere, nisi sublime, ac splendidum; obire nullum nisi nominis authoritatisque conciliatorem, cuiusmodi sane non fuerit, fidei Christianæ, & Grammaticæ rudimenta pueris tradere; nosocomia, & carceres visere, iisque confitentibus aurem dare; pagos, villas, montana, gentes extra orbem hunc, barbaras missionibus percursare. Eadem præterea ex scaturigine lutulenta, omnino flueret, aularum fores continuè terere; rixis, & aperta nonnunquam insectatione, competitoribus obstare; penetrare se in amicitias Optimatum, nundinarique illorum gratiam, geniis, & conscientiæ illorum ex vtili magis quam recto & bono adplaudendo. Magnarum ad hæc ab cognatis, & viris primoribus interceſſionum, promouendis cœptis machinas admouere, ac suos demum euanidos, fluxósque ambitus iisdem opibus vrgere, quibus voluit Deus suam vnius gloriam à nobis in Societate procurari. Quin etsi nihil inde existeret, præter vitia illa, quæ assiduitas aulica, religiosis hominibus suo contagio affricat (est vero ambientibus necessitatis primariæ regula hæc assiduitas) dici non potest quantoperè essent Societati nocitura: nam quisquis in aula nimius est, vel inde aliud præter Dei obsequium venatur; ferme plus domum reportat de aulico, quam de religioso in aulam tulerat: inde iam sui demissio, secessus, & paupertas; iam sensuum domitus, mensa pura & frugi, iam cætera religiosæ virtuti pretiosa, videri abiecta, & vilia, oculis auro & serico, seruitio, & choragio aulico assuetis; domi ægrè esse deinceps, & in proposito, foris, & extra propositum, cupidè animo, reipsa si liceat cupidius vagari, ac stare, solutæ libertatis saliuam regustare, ac si tandem sibi principum clientelam, & fauorem constabiliuerint, nulla tunc vel magis intolerabilis natio, vel à qua necesse sit indigniora tolerari; rem enim suam patroni affectibus dum semper implectunt, id assequuntur vt cunctis timendi, neminem timeant, & væ! lapidi illi qui fortè pedem illorum raserit. Disciplinæ contemptum necessitatis nomine probari volunt; pœnam eius violatæ, quia suam non audent, patroni iniuriam faciunt; eius & placitis, & verbis, minis quoque, si vsus fuerit, rem gerunt, vt metu mali grauioris, cogantur qui præsunt lacunar suspicere, sinántque illos pro impotentia quidlibet viuere. Quid linguam quoque perduellem in matrem optimam torquere? quid opinionem fidelis, & incorrupti clientis, famæ illius dispendio apud patronum cauponari? quid effræni licentia quiduis retegere? quiduis pro libidine damnare? nec priuatis, nec publico parcere? Quid improbum quemque, velut in tutelam excipere? partes sibi ex sequacibus conflare? sexcenta alia ex eadem aulæ religiosis hominibus frequentatæ virulenta radice proferri solita, quorum naturam fructúsque generatim dum noto, simul oculis subdo quæ Societatem vastatura esset calamitas, si fas illi foret præfecturas optare, illáque ex aulis principum expiscari.

XXXII. Addam hic quod experti scimus, vitæ, quam sumus Deo propitio sortiti, animam, atque ingenium, cum iis dignitatibus sic pugnare, vt ad eas supremo

premo imperio adacti, eadem operâ, quiete animi qua fruebantur exciderint, nihilque non tentarint vt eas à se abiicerent. Dicti fidem hic duo sat tutam facient, primus è Societate Patriarcha, & primus Cardinalis. Iussus Æthiopiæ Patriarcha esse Ioannes Nugnezius Barretus, omni virtutum genere insignis, ob idque S. Ignatio percarus, in Asiam transiit, Goa quæ caput Indiæ est, in suam Ecclesiam iturus, illic quendam inuenit Ioannem Belmudem, qui sibi dignitatem illam vindicabat: is Barreti aduentu commotus de illa iure asserenda illico tractare; Æthiopiam dudum ad se pertinere; illam sibi à Paulo III. creditam; eius diploma si nullum proferret, Patriarchæ quo incedebat cultum, honorémque ac nomen Patriarchæ sibi etiam in Lusitania delatum, fidem veri non dubiam facere, nec deesse illic honoris illius quos daret testes oculatos. At enim Barretus ad vincendam causam, in qua vinci optabat, nec egebat probationibus nec lite: siquidem vir sanctus, qui molestissimo honoris illius pondere premebatur, fœlicem se sorte tam bona credidit, hominis qui onus sub quo ipse plurimum gemebat, vltro sibi assertum vellet. Dat ergo confestim lætissimas ad Ignatium literas, rogat enixè Pontificem adeat, contendátque ex eo quantùm valet, missionem sibi ab eo munere exorare, immunitatémque à quauis alia cuiusuis Ecclesiæ præfectura: id si non impetret, in procinctu se stare ad relegendum mare, Romam versus, proiectúmque ad pedes Pontificis deprecaturum se tot lacrymis, & questubus id munus, vt speraret haudquaquam se denuo, animæ suæ periculo, in curam animarum iactandum. Sed Patriarchatum legitimum iure optimo cum teneret, non valuit ab se illud excutere. Ac Æthiopiam etsi ei adire non licuit, Imperatore obnittente, & spes datas, Romanam amplectendi fidem indignè frustrante, sed egit interea in Collegio Goano, hoc vno ab aliis differens, quod eorum nemo pauperior, & obedientiæ, suique abiiciendi amantior. Quod autem Ignatio in Societate gubernanda iam succesisset Iacobus Lainius, scripsit item ad illum ardentissimas literas, quibus illi magnis cum precibus dignitatis suæ abdicationem committebat, vt à Pontifice ratam haberi obtineret; quod si præstitisset, prolixè operam deferebat, vt in egentissimo Societatis collegio coqui munere fungeretur: & hic quidem sensus primi ex nostris Patriarchæ. Cardinalem vero Franciscum Toletum primum, Societas habuit; pari virum doctrinæ, pietatísque gloria illustrem: in edito illo eminentissimi honoris fastigio, quàm molestum sibi, & inquietum gereret animum, quantumque contenderit illam exuere purpuram, suomet certius exponet stylo, quam possit ex meo intelligi. Erat tamen Clementi octauo gratissimus; adlectus ab eo in Sacrum Collegium fuerat; amabatur ab eo tantoperè, vt ei diceret aliquando, habere se illum, duobus suis nepotibus cariorem: non deerant quibus ingenti Ecclesiæ bono se largè commodaret occupationes magnæ, & nobiles: ad illum siquidem deferebatur magna pars gubernationis. Verum ille instinctus ab dignitatibus abhorrens, primæ vocationi primitùs innatus, nunquam de-

stitit animum lancinare, inquieto possessi splendoris odio, & acerrimo desiderio, securam in veteri statione quietem honoris illius abiectione repetendi. Anno igitur necdum euoluto, ex quo cooptatus in Sacrum Senatum fuerat; infimis precibus supplex Pontifici accidit ad impetrandam purpuræ abdicationem, deditque ad hoc quam ex autographo hic reddo Epistolam.

BEATISSIME PATER.

Ne velit obsecro S. V. leuitati, præcipitantiæ, aut cuiuis alteri perturbationi quod scribo assignare; multos enim iam menses mecum id verso, ac delibero; multis, & meis, & seruorum Dei precibus, Deo, & Matri Virgini commendaui. Post quæ fixum apud me ratúmque est, quoad me attinet, abdicare me purpura, rebúsque cæteris, & in solitario secessu, tantillum hoc vitæ quod restat exigere. Eò me summatim quatuor vehementer inducunt. Vnum tam exilis in dignitate hac virtutum progressus, vt mihi potius regredi videar, & retrocedere quàm vlteriùs tendere. Alterum diuini amoris quem rebus omnibus antepono, frigus quoddam quod experior mihi ex occasione, tot impedimentis, interpellationibus, distractionibus sensim obrepere Tertium ardor quem mihi diuina bonitas suggerit, eius amore spernendi omnia, quæ velim ad hoc multo plura esse, vt possim plura relinquere. Quæ tria breui comprehensa vsum continent tam multiplicem, & vastum, vt libro integro vix satis explicentur; & hæc, coram Deo loquor, continua me inquietudine, ac mœrore suspendunt (quem interdum occulto, sæpius dissimulare non valeo) mihíque caduca hæc omnia in fastidium vertunt. Quartum leuius, & aduentitium, valetudo corporis imbecilla, quæ tot officiis Congregationum, consultationum, conuentuum obeundis, valdè atteritur; meo quidem sat magno cruciatu, tenui licet in Dei honorem pretio. Verba deficiunt quibus pro grauitate hæc exprimam, sed possunt ex eo vtcumque intelligi quod singulari mea voluptate ab iis me abstrahunt, quibus solent mortales tantoperè affici. Supplex obtestor S. V. quàm possum infimis precibus per Christum D. N. qui tantùm nostra causa fecit, *qui cum diues esset, propter nos egenus factus est*, ac per sacratissimam eius Matrem, quam S. V. tanto studio veneratur, & cuius amore hæc omnia moueo, ratam velit habere hanc meam pilei, pensionis & meæ cuiusuis alterius rei abdicationem, sinátque tranquillo in angulo mori, vt tam pridem optaui, & tantoperè nunc opto. Quo meo discessu S. V. iacturam fecerit aut certè perleuem, aut nullam. Nec V. S. prius mihi quod peto negandum statuat, quam Christum, eiusque Matrem sanctissimam precando consulat, vt lucem affundant, in qua cernat quid fieri deceat, Deóque placeat; hac enim de causa *in scriptis* hæc dedi Cogitet autem, quod contendo, aliud coram Deo viuente non spectare præter ipsius obsequium, & meæ animæ salutem, virtutísque perfectæ

pérfectæ officia, quæ Deo, & Matri sanctissimæ debeo. Quare iterum supplex, & intimis, & infimis precibus S.V. accido, vt quo me hactenus tot annos tot modis dignata est, amorem hic etiam exerat; nec inde obsecro argumentum ducat animi erga se parum grati, parumque memoris beneficiorum quæ in me contulit; nouit omnium iudex Deus esse me ab hac nota maximè alienum: nam si me donis S.V.iis tantum ornasset quibus deserendis Deum valeo promereri, hæc me nexu æterno constringerent ad S. V. diligendam. Quanto magis cum & beneficia, & amor quo in me congesta sunt, tùm per se magna sint, tùm potentissima vt S. vestræ me totum deuinciant. Adsit semper S. V. Deus, eamque bonis omnibus cumulet. Expecto S. V. imperium, vbi commodum fuerit id mihi indicare. 3. Septemb. 1594.

Abiectissimus, & deuinctissimus seruus

C. TOLETVS.

Vir imeritum auxit Epistola hæc, absque imminutione dignitatis; dum se putat Deum, & Pontificem exorasse, iamque animo sibi procul ab aula secessum metatur, quatriduo post à Pontifice reuocatur, & hoc insperato responso excipitur (quod ipse postea in tabulas retulit.) Auctoritatis nostræ toto pondere iubemus, vt omnem in posterum abdicandi pilei cogitationem deponas, nec sunt nostra hæc iussa, sed eius qui ori nostro hæc inserit. Petebas tua Epistola rem Deo à nobis commendari, factum vti petieras, & hoc tibi edicimus, mox vt ad precándum genua fleximus, auditam nobis veluti quandam vocem quæ sic admoneret, tua omni in illum vtere potestate, & iubeto illum cogitationem omnem abiicere: quod ergo vos facere iubemus ab eo nobis inditum est, qui per nos vobis indici hoc voluit. Quæ vbi dixisset, ad quædam alia transiit; tum assurgens Toletúmque complexus, volo, inquit subridens, simul in desertum secedamus. Hæc ego credidi, hos duos Ecclesiæ præsides ex vocationis pristinæ instinctu potius, quam ex religiosæ demissionis hausisse modestia; & potui ex paucis de Societate, in gradus similes euectis, non paucos memorare, quos eiusdem sensus teneritas affecit. Nec mirum, quos virtus Instituto cognata, in proposito educat ab dignitatibus auerso; ad eas protrusos, in iis non acquiescere, nec illud spirare animi serænum quod solent alij, quos nunquam sibi vota contraria manciparunt. Facit enim voti religio sanctè Deo obstricta, quàm libera sui abiectio ab iis honoribus alieniorem; abundat tamen etiam istis Ecclesia, qui syluis se abdere, sepelire cauernis maluerunt, quam in has incidere præfecturas quæ suas infulas condecorare tàm claris capitibus quærebant, nec alij desunt complures violenta quadam populorum veneratione, in eas coniecti, qui exacto cum iis tenerentur mœsti animi tormento, mox vt exeundi species interluxit, proripuere se in cœnobia,

bia, & solitudines hinc illud Nazianzeni *Vale vale cathedra inuidiosum & periculosum fastigium*, & alia quibus assumpta magis quam petita veria decedendi, suam, iam deinceps non suam Constantinopolim, Synodum, Templum Imperat. Clerum, Virgines Sacras, Auditores, familias in se beneficas, omnes denique salutauit, *Non enim*, subdit, *Dei quoque iacturam faciunt, qui thronis cesserint, sed suprema cathedram habebunt, his multo sublimiorem, & tutiorem.*

Professi dignitates admittere coacti ex voto debent Generalis consilia audire. Quod votum contra diplomata Pontificum, & contra veritatem impugnatum est.

Sic ergo Ignatius malis vna duobus occurrit, ambitum ab Societate, ab Ecclesia excludens ambituros. Si quando tamen incideret, vt Christi Vicarius, penes quem solum id iuris est, homines de Societate, pœna diuinæ offensæ adigeret ad Ecclesiæ præfecturas; prouidentissimo consilio tunc cauit, vt esset earum administratio & iis tuta & publico vtilis. Voto enim ligari Professos constituit, si forte præficerentur Ecclesiis, audituros consilia Societatis Præpositi, aut cui suas vices ille committeret; consiliis vero huiusmodi ita se semper parituros, si ea meliora esse, quam quæ sibi in mentem venissent iudicarent. In quo sunt quædam necessariò indicanda 1. primùm biennio quam viuis abiret, Ignatius voti eius edendi legem Constitutione ab eo sancitam; nec sat habuisse, quod de illa cum Deo transegisset, sed Patrum iudicio, vt ipsi mos erat, subiecisse. Seruatur in tabulario nostro Romæ, consultationis huius autographum, capitibus, iudiciis, & chirographis Theologorum qui interfuerant distinctè consignatum, quale verbatim huc transfero. *Communi omnium Patrum qui Congregati sunt consensu conclusum est, primo, licere vouere voto simplici; quòd si quis ex Societate assumatur ad Prælationem, audiet consilium Generalis Societatis Iesu, vel eius in hoc commissarij, & exequetur quod ei consultum fuerit, modo prælatus iudicauerit id quòd consulitur melius esse. Non tamen videbitur licitum ita Obedientiam dicto Generali vouere, vt is per hoc constituatur superior Episcopo 2. hoc votum expedire 3. Licere, & expedire Constitutionem de hoc facere, modo ita explicetur, vt nullus merito offendi possit. 4. non expedire mentionem facere de scrupulis, vel aliis huiusmodi. Conclusa sunt prædicta omnia Romæ in domo Societatis Iesu. 17. Sept. anno Domini 1454.* Primus subscripserat Iacobus Lainius, quem vnum facilè multis anteponas; inde Andreas Quiedus qui fuit postea Æthiopiæ Patriarcha; Melchior Carneus Niceæ Episcopus; Martinus Olauius Doctor Sorbonicus; Benedictus Palmius; Petrus Ribadeneira; Cornelius Vischauenus, & alij prudentes, & docti: decreto constitutionibus inserto recognitæ sunt constitutiones seuero examine, iussu Pauli IV. à Cardinalibus quatuor Alexandrino, qui Pij V. nomine, Pontifex deinde creatus est, ingens dominicanæ familiæ ornamentum; Moniliano seu Aræ cœli Franciscano; Scoto Theatino; Suauio Episcopo, qui eas ne apice quidem mutato vel adiuncto laudarunt; multis inde diplomatis, multi Pontifices non modo vniuersas, verum etiam seorsum singulas, & particulatim vnamquamque, ita comprobarunt, vt eos diris execrationibus subderent, quorum temeritas in iis aliquid auderet arguere, vel exagitare disputando, quæ à me idcirco lectori obiter necesse fuit hic repeti, vt facilius

statuat,

statuat, qua mente ictus sit, qua scientia præditus, qui votum hoc irritum, ac nullum docere voluit; & qua potuit arte, imminutæ Hierarchiæ suspectum facere; quasi præsulum thronos, & infulas religioso panno subiiceret. Igitur in re Ecclesiæ tam graui, parum profecto viderant Paulus IV. Gregorius XIII. XIV, & Paulus V. (præter quos dixi quatuor Cardinales) qui dum suprema potestate Societatis institutum, eiusque particulas singulas confirmarent, huic impugnatori, scilicet acutiùs videnti, delendum reliquerunt illud *Ex certa scientia* quod suis inserebant diplomatis, nec enim id poterat adiunctum, cum rei approbatæ ignoratione consistere, qua rem approbari cognitam prorsus non licebat. Fuerit præterea religiosus ordo, aliàs nec illiteratus nec improbus, hoc vno in capite tam rudis, vt sacrilegium non discerneret à voto? aut probe discretum, & cognitum, pro voto eligeret? quæ sanè iudicia semicæcum illum videntur sapere, qui homines videbat velut arborum truncos ambulantes. Licet ergo id votum; & sanctè conceptum est; cum & bono ingenti nos alliget; nec celso splendori sacrorum antistitum officiat, nec enim consulens, respondenti propterea subditur; neque respondens, vllo modo fit consulente superior; & consilij audiendi religio (multo quidem melior quàm petendi) nullum ius danti consilium tribuit in accipientem, nec est hominis priuati ius illud tribuere: religiosa quoque obligatio exequendi, quod optimum factu videbitur consulenti, ne vmbrã quidem potestatis in suggerentem attribuit; sed suæipsius conscientiæ potiùs iubentis, quàm suggerentis consilio, tanquam proponentis hominem permittit. Hanc porro fuisse viri sancti mentem ipsemet explicat. *Non quod habeat*, inquit, *qui Prælatus est aliquem de Societate Superioris loco, sed quod sponte in Dei conspectu, vult ad id faciendum obligari, quod ad diuinum obsequium melius esse intellexerit, quodque placeat esse aliquem, qui sibi cum caritate, ac libertate Christiana ad gloriam Dei, & Domini nostri id proponat.* Hinc si quem deesse huic promissioni contigerit, is Deo fidem, non homini fregerit, nec possit ad eam vlla vi humana, etiam obliqua compelli. Denique spondere quæ non sunt præstanda, nisi postquam qui spondet, Obedientiæ vinculo solutus fuerit, non est gradum præsentem defunctæ iam Obedientiæ subdere, vt nec Cardinales ex diplomate Pij V supremam dignitatem inferiori subiiciunt, cum iurati negant, se ditiones Ecclesiæ mancipaturos iure beneficiario si Pontifices creentur. Editi olim à præsule in Societate voti expletio, nec regulæ debetur, nec auctoritati quam retinuerit in eum Societas; sed voto ipsi ad eam obstringenti; Potuerit licet dum Ordini suberat, ab eo adigi ad vouendum, qui Apostolicam ad hoc gerebat potestatem. Cumque votum à voti adimpletione plurimum differat, diuersisque vtrumque ex Principiis oriantur; nihil vetat, votum vi Obedientiæ nuncupari, idemque extra Obedientiam expleri. Iam cui videatur Gregorius XIII. quatuor memorans professorum vota, quintum tacendo improbasse, quo facti præsules, iidem tenerentur; næ ille difficile imprudentiam excuset: quamuis illud opponat.

Part. 10. constit. §. 6.

Bulla Ascendente.

Exceptione regulam in contrarium firmavi. Imprimis enim diploma, vt patet eius proœmium legenti, eò solùm Gregorius condidit quo Societatis natiuum institutum ita stabiliret, ne cuius audacia illud in posterum impugnaret. Qui possit igitur, contra ius omne, atque officium, quod in rei vnius gratiam factum est, prorsus contrarium agere, partémque illius instituti euertere, cuius integrè confirmandi causa, suisque speciatim cum partibus sanciendi, corroborandíque concessum est? belle nimirum hic exitus paternæ curæ respondeat, qua se Pontifex Optimus, diserté, Deo laus, permotum explicuit, ad condendam illam constitutionem. *Nos*, inquit, *vniuersalis Ecclesiæ vtilitati, quam ex inuiolato, & inconcusso dictæ Societatis Instituto, & religiosæ sobolis educatione sentimus, & maiorem in dies speramus, prospicientes, & præterea eiusdem Societatis indemnitati, paci, quieti, & incremento consulere volentes, &c.* Legatur vbi votorum meminit de quibus nunc agitur, tantum abest à vero vt simplicia quatuor à professis concipi solita, excludat Pontifex eo loco ab ea confirmatione, ex quo sequatur quintum hoc excludi; vt ne illa quidem verbo vllo confirmet, sed narret tantummodo quæ seruari à nobis consuerunt pro instituti nostri, iam constabiliti, confirmatíque ratione, & est effatum iurisperitorum, verbis narrantibus nihil decerni. At vbi ventum est ad stabiliendas Societatis institutiones, non modo nullam ex iis partem demit, sed post nouas earum approbationes, quas quidam temerè sugillarãt, omnes de integro, & peculiariter singulas, iisdem quibus iam antea fuerant, formulis, & sanctionibus iterum confirmat, & roborat, cunctis quæ fingi animo poterant, iuris aut facti erroribus occurrens. Quin & verba, ipsius diplomatis, quibus quatuor fit votorum mentio, per se nuda seclusis aliis, causam taciti quinti tam clarè explicant, vt mirum sit ad hoc desiderari interpretem. *Post emissam Professionem*, ait, *siue quatuor, siue trium votorum, Professi ad Paupertatis quæ regularis Instituti murus est, & propugnaculum, perfectionem tuendam; omnemque ambitionis occasionem excludendam nonnulla alia simplicia vota emittunt, &c.* Vbi enim voto dicuntur promittere stringendam arctius ab se paupertatem si quæ fiat vnquam in ea mutatio; vouere item se procul futuros ab dignitatibus quærendis, & delaturos ad Præpositum eius nomen, si quem eius labis reum didicerint; certè non potuit nisi perabsurdè, & stolidè voti eorum mentio fieri, qui eligerentur in præsides, de audiendis consiliis Generalis, & (si viderentur propriis sanctiora) in opus conferendis. Quæ huius ab S. Ignatio sapienter sanctéque positæ Constitutionis, auctoritate iam Apostolica sat tuto armatæ, explicationi magis quam defensioni dicta velim.

XXXIV. *Ignatius exemplar suis optimæ Gubernationis.*

Designato nobis in hunc modum solo, Fundator sanctus, substruxerat lapides, quibus vitam, & sibi & aliis inædificaret Societas, Christiana virtute perfectam; sed cum primordia vim magnam progressibus imprimant, & perennaturam; plurimum illi ad integritatem defuisset, nisi quam partem grauissimam, summéque tractatu difficilem, suis de gubernatione regulis

gulis delinearat Ignatius vsu ipso per sese docuisset. Quare hoc item gratificatus est Societati Deus, vt posset ex eo adhuc superstite, regendi exempla, pro regula sumere, nec possum aliò quam ad singularem pro Societate Dei curam referre, quòd nullis conatibus inflectere socios valuit, vt alium vel sibi præficerent, vel substituerent postea plurimum flagitanti: in quo Deus publici magis boni, quam priuatæ ipsius modestiæ rationibus consultum voluit, vt qui Societati parens erat, idem foret illius magister, & monitor. In religiosis enim familiis, in quibus ciuilis administratio partem minimam tenet gubernationis, nimis verè Nazianzenus dixit. Benè regendi artem, artium artem esse, & scientiarum scientiam, ob intractabilem materiæ quam tractat naturam, medendi scientia longe multúmque difficiliorem; hæc enim partes affecti corporis sanandas, & contemperandos humores, quales reipsa, sunt inspicit; nec secum pugnat ingenium ægroti corporis, nec arti molitur insidias; è contrario ista mens, & hic nostri amor, vinci nescius, premíque impatiens, grandi nobis ad virtutem impedimento sunt, nosque aduersus salutis nostræ curatores miserè obarmant, & quantum deberet à nobis satagi ad retegendos illis animi nostri morbos; tantum satagimus ad curationem illorum deuitandam, in vtilitate nostra impugnanda fortes, & in perniciem eruditi. Hæc S. Gregorius Nazianzenus. Cum ergo Ignatio communi sapientum iudicio, quos habuit sæculum aut illi coæuos, aut proximos, ægrè vllus extiterit siue in formanda bene regendi ratione, quod suis Constitutionibus perfecit, quas propterea censebat Lainius vel Orbi restituendo posse sufficere; siue ipso in vsu, & præceptionum quas constituerat executione; iuuerit non parum succincta eorum narratio, regendi officio functuros, ad exprimendum in seipsis ex Archetypo tam illustri Apographum. Atque vtinam ab iis id obseruaretur quod ab se fieri Oliuerius Manareus olim dictitabat dum Collegia, & Prouincias regeret. Sibi nempe visam Ignatij mentem in rebus agendis assistere, quòd aliquid deliberaturus animum in illo defigeret, & quod illum si præsens adesset coniiciebat facturum fuisse, id ipse fidenter perageret. Esto enim illum cum Manareo non viderint, nec suis oculis eius vestigia notarint; sed habent quæ assideat eius mentem, institituto impressam, motémque gubernandi quem hic breuiter pono. Ex his pronam in promptu habituri sunt coniecturam, hoc, & illo loco quid facturus esset Ignatius? dissimulaturus? quod præludium est dissoluendæ legis, an reperiturus audenter, & fortiter accuratam eorum executionem quæ Deo potius quam se auctore statuerat, & pluribus lacrymis quam caracteribus scripserat? vtrum difficultatibus cessurus disciplinam paulatim laxaturis, nomen sibi captando prudentis, amabilis, suauis & pacifici Rectoris? quæ obseruatio vt in cassum ab eo expectetur, qui ex S. Gregorio constitutus, *vt aliorum culpas corrigat, quod vesecare debuit ipse committit*; ita & ab iis qui prudentiæ legibus non insistunt, quam S. Ignatius nostrorum præsidibus, sanctitate ipsa nihilo censuit minus vtilem, & necessariam. Sed cum hæc admodum

rara

rara sit, potest tamen vtcumque suppleri de excellentia præstantis in ea prudentiæ exemplaris. Ad hoc qualem Ignatium finxerit, libri huius residuum narrabit.

XXXV. *Mira Ignatij in regendo prudentia & fiducia diuina consensio.*

Atque illa imprimis quæ negotiis præmittebat, diligenter attendere, longum meditari, maturè prospicere, expendere singula, diu consulere; argumenta sunt hominis solius prudentiæ dictata consectantis: rei naturam examine serio introspiciebat, explorabat eorum genium quibuscum tractanda incidisset; temporis opportunitatem, præsidia, offendicula, etiam remota & dubiat: adnotabat sub noctem quotidie, quæ essent postridie præstanda; quibus vero eorum demandabat curam, suggerebat iisdem rei promouendæ, magno numero, adiumenta, atque consilia: apud se tamen grauiora quæque diu prius multúmque versabat, quàm ad aliorum examen referret. Nec ferre poterat, quos erat solitus Decretalistas vocitare, qui de quacumque re poneretur, pede in vno mox pronuntiarent in vtramque partem. Ipse rerum euenta potius quam initia spectare; in deliberandis, quid boni maliue essent allaturæ; in deliberatis quas? vnde? quàm graues, aut superabiles passuræ essent impugnationes, idque tam longinquo prospectu cernere, vt ex montis altissimi edito, longe latéque ipse iacentia; alij quamuis exquisitè prudentes, & cauendo docti, ex æquo tantum circumspicere viderentur: quàm ob rem Lainius illum vehementissimè optarat interesse Patribus Tridentinis, vt qua pollebat in cœlo, gratiam, & sapientiam consulendi, ad tantæ molis negotia conferret, quanta in Synodo mouebantur, futurúmque fuisse incredibili in iis auxilio. Mos illi non fuit quæ multum intererant, vbi essent decreta confestim operi mandare, nisi necessitas, aut occasionis articulus aliud cogeret: sinebat de iis iudicium dies aliquot interquiescceret, dehinc ad examen reducebatur ab ipso denuo, haud quidem tam illa quæ deliberarat, quam facta illorum deliberatio, de qua vt absque priuati affectus suspicione iudicaret, quasi rem suscipiebat alienam censuræ suæ expositam. Quas autem de ea scribebat Epistolas, non dabat, nisi ter quater ad limam resumptas. Hic vsus consulendi, ac ista præcipuè futuri, tàm longè perspicax, & veri præsaga præsensio, ad ea interdum iisque auxiliis suscipienda inducebat, quæ abhorrentem à sensu communi præferrent speciem, & minus oculatis cum recto pugnare viderentur; verum ex iis quæ consequebantur contra omnem illorum expectationem, palam fiebat, ab eo qui vellet ex sapientiæ præscriptis agere, haud aliter consuli debuisse. Iam cum hac agendi tàm consulta prouidentíque ratione, prodigij instar est tantam sui diffidentiam copulasse, animumque sic Deo subiectum, vt cum sua solius industria & diligentia niti videretur, perinde se tamen Deo committeret, vt si nihil ipse penitus cogitando, atque agitando conferre ad negotium valeret. Quicquid enim iam fixum animo haberet, non ante in opus edere, quam multis precibus Deo commendasset; communicata cum suis, & decreta iam re, solitus addere, noctem vltimum consilium daturam, hoc est,

esse

esse cum Deo tractandam; conficiendi præsidia quamlibet secura, & valida non prius adhibere, quam optati à Deo exitus fidem concepisset. Quare lætos successus quibus obtinendis, nihil opis humanæ omiserat velut ab ea penderent toti, habebat tamen, è cœlo gratuitos. Causis quin etiam momenti ad Dei obsequium maximi mouendis, principem censebat primámque prudentiam, ab humanæ prudentiæ timida, incertáque amussi, auertere aciem, & in iis nunquam fœliciùs quam auris reflantibus nauigari, qua mentis persuasione ingentia opera, nulla humanitùs spe fretus suscepit, & per aduersarios, & infestissimos incursus in portum deduxit.

XXXVI. *Animi sui motibus quà perfecte Ignatius imperaret.*

Accedebat his summum, in animi sui motus imperium, amorem potissimum, & iracundiam; quibus quicquid inest seuerum, & come, ex nutu dispensabat meditatæ ad vnguem rationis, eo verborum, actionúmque pondere, ac modo, quem rerum, & temporis; locorùm, & hominum momenta poscebant. Seræna, vt erat fronte, & animo cum Patribus colloquens, non rarò contigit acciri ab eo aliquem obiurgatione seria emendandum, quo comparente totus ab eo qui erat iam alius, vultus grauitate, verborúmque aculeis, videri ardere penitùs, culpæ quam carpebat detestatione & odio; recedente mox reo, placidum oris resumere, & in ea quam sepposuerat, intermissi sermonis tranquillitate pergere, detracta sibi quam sibi prætenderat, irati specie, tanquam larua, quæ vultus varios, immoto eidémque animo obducebat. Hinc illa etiam verborum moderatio, tam digesta & decens, vt ne in summo quidem reprehensionis acerbissimæ calore, indignantis extaret vlla vox, sed ex æquo, & bono singula pendentis. Nunquam illi quempiam excidit, quantumuis exlegem; incompositum, immodestium, obliuiosum compellare, aut quod affine contemptui, & iniuriæ sonaret: tota erat reprehendendi vis, in deformitate admissi erroris, ad viuum oculis obiectanda, exaggerandáque capitibus ex Dei, peccantis, aliorúmque offensa depromptis. Quare nolebat in iis qui præerant, animi motus, iræ potissimum, extinctos, planéque mortuos, sed probè domitos: quibus enim in domibus sola vel naturæ vel arte quæsita dominatur, immota semper, & suda tranquillitas, illic dubio procul vitia nidulantur, vt iacente in mari Alcyones, sic Oliuerium Manareum de abdicando Rom. Collegio cogitantem, quod in eo regendo moueretur sæpius indignatione, quam priuatus extinctam putarat; docuit haudquaquam ira omni carendum, sed eam, & alios eius adminiculo regendos. Eos tamen aut notæ probatæque virtutis; aut reos errati non leuis esse oportebat, quos ea quam dixi seueritate obiurgandos, censeret Ignatius: de cætero enim rectores plurimum admonebat, cauerent ab asperitate qua suos ab se, aut facerent alieniores, aut iis suspecti fierent. Quasi forent personis potius quam earum lapsibus infensi: proin asperitatem, maximè in eos, qui essent imbecillæ virtutis, & suspicioſi, minimè adhiberent, nisi hanc publici exempli aut necessitatis iuberet ratio, ne mali multo

plus nascitura inde diffidentia procrearet, quam expectaretur de reprehensione acerba boni. Quod fere tunc euenit cum & ingenium magis impatiens, quam disciplinæ cupidum, arguit castigatio iusto frequentior; & seueritas nimia obiurgandi, comprimi nescium perturbari animi tumorem manifestat. Quos tamen robusto pectore, & virtute mascula solidos, probarat, habebátque propterea percaros; etiam exilibus de næuis castigare verbis durioribus consuerat, inter quos præcipuè Hieronymum Natalem & Ioannem Polancum fuisse video, raræ vtrumque bonitatis, ipsique vnicè dilectos; in quo hæc ab tali homine qualem ipsum sciebant, labeculatum vituperatio, virtutis pabulum, iis suppeditabat, quos norat profectus heroici auidos, & capaces; debilioribus autem contemnendi sui, & tolerantiæ documenta, si quando fieret, vt simili aliaue ex causa perstringerentur, aliqua exprobratione. Verum huic, si fas nominare, artificiosæ præstantium hominum increpationi hunc ponebat modum, ne quid de illorum egregia fama detraheret, crebritate illa morosæ reprehensionis; è conspectu enim cum abirent, laudabat eos adstantibus, & virtutis gradu quàm excelso starent indicabat, ita iis & sua conseruabatur auctoritas, & admiratio conciliabatur infracti roboris, & ab ictu priuatæ publicæque opprobrationis assiduo maiores animos virésque ducentis.

XXXVII. *Mira dexteritas Ignatij accommodandi se singulis.*

Suspiciebatur in eo præterea, illa sagacissimæ prudentiæ cautio, quæ se singulorum naturæ ac genio sic attemperabat, vt se omnibus non vnum, sed de se vno Rectorum totidem repræsentaret ingenia, & formas, quot essent diuersæ illorum quibus præerat formæ, & indoles. Solerti enim velut anatome, ita singulorum dissecabat, & scrutabatur animum, procliuitates, morem, affectuum impetus, & procursus; vt introspiceret eos clare ac penitus, & eorum nemo sibi esset notior quam ipsi. Modum inde cum iis agendi fingebat, seuerum, affabilem; mitem vel tetricum; contractiorem, aut fiducia explicatum, aut demum cuique aptiorem, magísque profuturum, & adhibebat illum facilitate tam prona, & simplici, vt ei & solus, & esse ingenitus videretur: vnde orta quorumdam addubitatio, quorum suppressior oculus non satis peruidebat; cur eadem in causa, cum aliis aliter, imo interdum cum eodem diuersè ageret, pro varia eorum opportunitate; ex euentis tamen intelligebatur, quod sanctus admouisset dissimulando, indulgendo, turbando, omnino fieri decuisse. Quòd autem, mirum quantum interfit, ad religiosam gubernationem, inferiores Præpositis esse intimè perspectos, si quem Roma aliò mitteret, eius loci Rectorem docebat per literas quibus esset dotibus præditus, & quomodo affectus. Atque hanc eandem in aliis ad virtutem ducendis tenebat, explorandi pernoscendíque viam. Nam etsi constabat vitæ illius tenor ex omnium experientia quæcumque possunt sanctum effingere, diuexandi sui, precandi, peregrinandi, patiendi assiduitate; voluptatibus diuinis, tentationum incursibus, scrupulis, fastidiis, & visis rerum cœlestium, magnísque in aliorum salutem laboribus; quibus in virum euaserat adeo perfectum atque absolutum

lutum nihil, vt approbaret, vel repudiaret, nisi ex liquida, puráque ratione; tantus tamen cum esset, nunquam de se alios mensus est, sed eos semper multum improbauit, qui esse aliis pro lege decretoria id volunt quod experti sunt sibi salutare, putántque omnes exerrare, qui diuersam ab ea viam terunt, qua ipsi profecerunt. Quasi ciuitas sancta ex vna surgeret, margaritæ vnius, tantum vena, nec ad Dei currum bos, homo, aquila, & leo aptè iungerentur, licet tam indole quam vultu discrepent. Vt ergo aiebat sæpius, oportere hominem in agendo, coaptare se negotiis, non sibi negotia; sic in dirigendis ad pietatis culmen suorum animis, ita se partiebatur in singulos, vt ab iis non aliò tendere, quàm quisque illorum crederetur, modo ne contra Institutum irent: quod ei omnium emerebatur fiduciam, ad euoluendos animi sinus omnes, cum nihil ambigerent, quod laudabile, ac bonum reperisset, excultum iri ab eo diligenter, haud tamen reuellendum, studio satus melioris, quem forte nec ipsi cuperent, nec Deus ab ipsis minus ad illum idoneis poscceret. Suos igitur in huius aut illius præcipuè virtutis consectatione, provt cuique conferret promouens, nunquam tamen tepori cuiusquam fauebat, nec sinebat vllum probitate vulgari contentum viuere, quæ dissimulato magnæ vocationis nexu atque imperio; anhelare ad illam ob difficultatem, descriptorum sibi itinerum, ignaua negligit. Quare his instabat continuo, monens, dirigens, carpens, pœnas, examina, exercitia meditationum, & interiorum affectuum coërcitionem, iniungens, nec sibi quicquam reliquum faciens quod elaborandæ, perficiendæque illorum sanctimoniæ prodesset, sed ea moderatione, ne quid supra vires à quoquam exigeret. Cumque ab robore adhuc puerili gigantis virtutem scitè discerneret, inde modum petebat oneris imponendi; & placidum, austerum; summum ius, & indulgentiam ex præuiso illorum profectu dimetiebatur. Homines itaque perspectæ, duratæque patientiæ in ardua & difficilia, liberaliter conicere; mittere in longa, & molesta itinera, & graues Apostolicæ operæ labores; extremæ inopiæ, & aduersantium petitionibus obiectare. Imbecillis contra, & fere nouitiis, ne abiectioris animi fierent, leuiora semper quàm ferre possent committere; sed eo quandoque indicio quo intelligerent haberi se delicatæ virtutis, & teneræ, ac vel ipso pudore, maiores Spiritus ad grandia sumerent, virisque perfectis digniora. Sic enim Bernardo Iaponi, quem in Europam, sacro fonte ablutum Xauerius miserat, quamuis plurimum roganti, laboriosum munus haud lege alia permisit, quam data fide, si molestum sensisset, aut onerosius, id se illico manifestaturum, nempe adhuc is tiro non solum in Societate sed in Christi fide, cautione hac indigebat. Nec dissimili moderatione, pedo, aut fistula, castigandis ouibus vtebatur, in quo interdum animaduersus est, aspectu solo infirmiores corrigere; doctus quod vellet, oculis eloqui, & quod de Christo respiciente Petrum Chrysostomus, *vocem per ipsum intuitum emittens.* Imo eosdem aliquando etiam laudibus emendabat; vt nouitium quendam, mobilibus oculis ægrè imperan-

rantem beneuolè compellans, cur tu mi frater Dominice: quam tibi Deus largitus est modesti animi compositionem non etiam in oculo geris? At multum diuersè Oliuerium Manareum, diu iam in Societate, & virtute eximia versatum. Amabat is Ignatium vt Patrem, venerabatur vt sanctum, Roma vero Lauretum abiens nouum illic Collegium recturus, faustam eius adprecationem sub discessum, dum petit, fixos perpetuo in eius faciem oculos tenuit, veritus ne tunc eius salutandi postremo officio fungeretur, nec esset illum deinceps in terris aspecturus. Quod ab Ignatio notari tunc quidem minimè visum est. Verum iam domo exeuntem Polancus eius notarius reuocat, monet displicuisse non parum viro sancto, illam fixi obtutus, parum modestam libertatem, cupere ab eo emendari; ad hoc quotidie admoueri examen singulare; in admissi expirationem, & cautionem in posterum, pensum precum certarum quotidie exsolui; de vtroque ad eum dari quot hebdomadis literas: fecit quod mandatum fuerat Manareus quindecim totos menses, demumque tunc cessare permissus.

XXXVIII *Quomodo tirones exerceret, maximè si forent auctoritatis alicuius.*

Tirones præsertim iuniores: velut insitiuas teneritatis primæ plantas quibus multum adhæret de natiuo solo, dexteritate mitissima tractabat, vtque illis Deus cœlestium nectare voluptatum, caducarum fastidium inducit, & dulcibus lacrymis, pisque solatiis debiles sustentat, quæ postquam coaluerint firmius, retrahit, parciúsque largitur; sic mitem se fere, atque affabilem iis exhibebat Ignatius, illósque miserans, non aliud ab iis exigebat, quàm quod repræsentare tunc poterant, dum id quamuis exile, fructus non vulgares virtutis egregiæ spondere videretur. Admissus fuerat in tyrocinium ad domestica opera iuuenis, cui erat satis copiosa & commoda res; Christi effigiem de cruce pendentis & extantis in basi Deiparæ, secum is tulerat, magni vtramque pretij, & qua mirificè afficiebatur, tùm propter excellentiam operis, tum ob sensum priuatæ pietatis. Hanc penes se haberet, indulsit vir sanctus, nec vllo indicio innuit vel id parum decere religiosam paupertatem, vel aliquando ab eo auferendum. Creuit adolescentis virtus etiam supra veteranos valido præsertim suimet domitu, & contemptione. Quod vbi aduertit Ignatius, bene est ait, iam quando integrè non modo ab sæculo est liber, verum etiam à seipso, potest Christi effigies quam mente nunc gerit, illius è manibus detrahi. Factúmque ita est iuuene vltro etiam cedente absque vllo prorsus difficultatis sensu: Sed mirabilior patientia viri sancti fuit leuitatibus perferendis Petri Ribadeneiræ admodum iuuenis, cuius tunc viuacior indoles, ægrè virtutum interioribus studiis animum applicabat, nec pati poterat tenacem tot regularum disciplinam; quare Ignatio suadebant Patres, eum dimitteret, at is sagaci præsagio, de soli natura, prouentus diuinans magnos, & nobiles; magísque adolescentulum, ætatis quam animi vitio errare, semper illi patrocinatus est, interea tolerans, & pueriles eius emendans papulas, adeò vt illum, aut inflictis offensum pœnis, aut vitæ genus tam triste pertæsum, vrgentémque identidem dimitti, solerti semper amabilitate restituerit in

gradu,

gradu, & sustinuerit tamdiu, quoad transformasset in virum denique, à quo Societas, vt post videbitur, decus ingens accepit. Homines pariter nobilitate, aut literis insignes, sed ab sæculo nouos, haudquaquam promiscuè habebat. Sed honorificè compellans, ne Excellentiæ quidem Dominationis, Doctoris, & istiusmodi quibus insueuerant parcebat titulis, donec possent iam illos spernere; vel puderet honore tam dispari, inter pares ab eo affici, rogarentque iis deinceps omissis communi iure, ac modo haberi. Verumenimvero, vbi iam altis niti radicibus vidisset, ac tutam sibi virtutis arduæ ab iis extundendæ præbere materiam, nullos æquè acriter experiebatur, nullos exagitabat impensius, doctissimum quemque, crebrius pudore suffundere, nullos magis dedita opera, quam illustrissimum quemque abiicere, tamdiúque in eo pergere, dum aut desinerent sui meminisse, aut se perinde cum aliis gererent, vt si præ illis docti, & nobiles non forent. Ad hoc autem haud vna ratione moueri se aiebat, sed ea quidem vt intelligerent cæteri, fluxas illas, & euanidas seculi ampullas flocci apud nos, & nihili esse præ supellectili pietatis, & diuitiis virtutum; neque hic illum continuo, qui illic antea, magnum esse; sed qui Christi amore infra omnes sese abiiceret. Deinde vero, quòd talium hominum secundos aut læuos exitus nunquam iactura mediocris, aut lucrum sequitur, monétque vsus constantis experientiæ, religiosis ordinibus, nusquam aliunde plus vel incrementi, vel damni accedere, quam ab hominibus, aut insigniter doctis, aut gentis splendore illustribus. Postremo vbi vulgo conspicui, ex instituto, spe, & sententia Ordinis non succedunt, cogitúrque iacturam facere oneris, non modo inutilis, sed periculosi, tanto inde probrosius læditur, quantò erat eorum olim auctoritas clatior. Quapropter vt iis admittendis suspenso gressu, & considerato procedendum, sic periclitandis postquam excepti essent, nullam debere nimis sollicitam diligentiam videri. Horum vnus fuit Gaspar Loartius, Hispania tota Theologus celebris, à M. Ioanne Auila viro sancto, cum aliquot aliis, ad Ignatium transmissus, qui vbi iam parem ferendo malleo perspexit, Ludouico Gonzales ministro domus poliendum commisit, dato negotio, tundendo, scalpendo, pungendo ne parceret; sed experimenti progressum simul obseruaret. Ipse interea velut horum ignorans, miris modis tironem omni beneuolentia recreabat; quod erat illi cum iis vsitatum, quorum tentabat constantiam, ne vndequaque pressi molestiùs, perseuerantiam desperarent; nimirum curare ex duobus qui solent domibus præesse, nunquam non alter, beneuolentiam, & facilitatem præferret: accedebat quod experiundum Ministro mancipans, apud illum multa de ministri laudibus dicebat, aiens recte illum suo munere perfungi, procúlque affectibus minus sedatis, & integris (vt erat re ipsa) vno disciplinæ communis, & priuati cuiusque profectus studio, si quid esset peccatum corrigere, gratúmque illi propterea animum debere omnes profiteri. Porrò ars ista duplex exercendi alternis, atque consolandi) feliciter adeò in Loartio cessit, vt interro-

gatus aliquando à ministro, de Ignatio quid sentiret, fontem sibi ait videri oleo profluum, hoc est melleum totum ac suauem; de me vero, intulit minister quid tibi visum est, tu, inquit tranquillè admodum asperitatem significans, fons mihi videre aceto profluus, quæ viri responsio valde exhilarauit Ignatium, qui tamen exinde ministrum iussit mitius cum illo agere.

XXXIX. *Ignatij cautio in suis occupandis.*

Iam seipsum, & sua quærere, propriáque in causa, velle suum, ac nolle, tueri sollicitè; multo magis, animo destinatum, efflectim captare, & persequi; tàcita quædam apud Ignatium fuere præludia Societatis deserendæ, incipiente se iam inde anima Obedientiæ, cui se deuouerat suffurari, suos ita seipsis nudatos volebat, & ad superiorum arbitria dociles, vt est argilla in manu figuli, duci, prompta, & fingi quicquid libuerit; sic æquè volebat ad Theologiam vt ad ianuæ claues; ad nauigandum in alium orbem, vti ad domum perpetuo seruandam, paratos, & faciles, imo ab eo qui præesset, diuersa in aliquo sentire, censebat alterum solum pedem in Societate retinere. Quod erat tritum illius monitum, indici ab eo nouitiis solitum quos exciperet in Societatem, monebat siquidem domum ingressuros ipso in limine, velut confinio religionis & sæculi, non fore illic perpetuam, & quietam iis sedem, nisi pede coniunctim vtroque, voluntate nimirum, & iudicio limen transilirent, expediti ad omnes illiorum nutus, quoscumque illis, Deus præficeret. Eius nihilominus in iubendo modus, de rogante magis, quàm de imperante sapiebat, & sicubi auctoritatis specie opus esset, non aliam à paterna edebat, nempe cum quadam fiduciæ, & amoris libertate coniunctam: quin & iussis haud raro, vel inexpectatis, vel difficilibus, subdebat vltro iubendi rationes, quo certè nihil fuit procliuius homini, nisi ratione nihil prorsus mouenti, eaque non humanæ solum ex prudentiæ dictatis, sed caritatis diuinæ hausta, & in suscipiendis rebus summum semper Dei obsequium, tum primo intuitu spectare solita, tum in eo postremum desinere. In adhibendis præterea ad ministeria nostris hominibus, quà cuiusque natura inclinaret diligentissimè attendebat, vt quoad fieri posset non cuiusque tantum facultati, & dotibus (quorum est interpres ea propensio) sed saliuæ quoque gustatuique occurreret, nihil enim violentum durabile, atque illa solum, ferè optimum sortiri finem, ad quæ non imperiosè raptatur voluntas, sed per se libenter, & sponte naturæ procurrit. In assignandis igitur munerum partibus sectabatur hunc morem. Tria cuique proponebat, de quibus ante coram Deo expensis responderent. 1. an essent in omnibus quæ demandarentur obtemperaturi? 2. hoc magis, an illo afficerentur officio? 3. his aut illis rerum conditionibus, vtrum alteri essent prælaturi & præoptaturi? vbi autem in eos incideret, quibus ad ea quæ proposuerat capita nullum suppeteret responsum, aut desiderium, præterquam solius Obedientiæ; tum vero repertis quales maximè optabat, magnoperè iis recreabatur. Inter eos inuenit Oliuerium Manareum, ex quo exculpi non potuit, tribus ex locis quorum ei

dabatur

dabatur optio, vter magis placeret, sed hoc tantum, si mori iuberetur, obediendo libenter morituram. Huic non absimilis in simili causa Hieronymus Natalis, aliò negauit propendere, nisi vt nullam in partem propenderet.

XL.

Ignatij magna de sua opinio, & in eos amor.

Præter illam suorum affectuum dominam potestatem, & claram sibi subiectorum perspicientiam; Ignatij gubernationem, duo alia mirè amabilem, & iucundam præstabant, magna de suis Opinio; magnus in illos amor, non personatus, & arte confictus, sed sincerus, & intimè fidus. Nouum prorsus & mirum! persuasisse sibi vnumquemque, in eius beneuolentia primas sibi ab eo tribui, vsque adeò scienter singulis, paternum amorem eiusque argumenta, nulla communis imminutione diuidebat: Nostrorum vero apud illum existimatio, credi vix potest ex illius ore quanta audiretur, de iis enim agebat tanquam hominibus aut metam virtutis eximiæ assecutis, aut incitato ad eam tendentibus: nec dissidebat à lingua mens, sed concors sermoni, sic planè sentiebat: quam opinionem de suis præclaram fouebat caritas à suspicacitate aliena, nec aurem credulam delationibus aduersis commodans. Contra illam quam malè prudentes politici suadent, suspicionem semper in peius arrectã, auresque patulas quiduis de quolibet garrienti; quod vtcumque ad scopum collineet, quem spectant illorum gubernationes, at si semel in religiosas familias subire cœperit, cessurum profecto est in summam earum pernitiem. Præter quam quod enim, datur aditus ingens perperam affectis calumniandi sæpius, quam iure accusandi; eæ saltem vmbræ, & minus purgatæ criminationes, suspendunt animum audientis aduersus illos quos ante magnificiebant, plurimúmque amabant prius quam eas de ipsis accepissent: ex quo fit, vt omnis postea beneuolentiæ prioris, laudisque significatio, machinamentum videatur arte concinnatum, haud vnquam vero tam simile, quin serius ocyus id tandem deprehendant qui suis in rebus sunt toti oculei. Hinc suspecta videre omnia, in mentis abstrusa sese recipere, auersum premere ab superioribus animum, quo deterius nihil potest inferioribus euenire. Hæc de Ignatio scribens Ludouicus Gonzales; ne Polanco quidem, addit, facile credidisse, sinistri aliquid de aliis referenti, licet pari vir æquitate ac iudicio foret, quam difficultatem malè de aliis opinandi sapientissimam fuisse B. Bernardi sententia ostendit, *Est item vitium*, inquit, Eugenium alloquens, *cuius si te immunem senis, inter omnes quos noui, ex his qui cathedras ascenderunt sedebis me iudice solitarius, quia veraciter, singulariterque leuasti te super te, iuxta prophetam, facilitas credulitatis hæc est, cuius callidissimæ vulpeculæ magnorum neminem comperi satis cauisse versutias. Inde eis ipsis pro nihilo iræ multæ, inde innocentium frequens addictio, inde præiudicia in absentes.* Verum quia tam potest gubernationi obesse, si nulla penitus excipiatur delatio, quam si quælibet indiscriminatim vndeuis admittatur, iubebat frequenter Ignatius, qui ad se aliquid de aliorum erroribus deferrent, quæ scitu & remedio egere crederent, scripto dare; tunc vero maximè si vehementius

L. 2. de consid.

mentius narrando commotiorem animum præferrent, & recti studio vltra modum flagrantem; verba enim, vt stylo quam lingua lentius, sic & consideratius deduci; & sub oculorum censura scribi, non autem efferri. De absentibus vero, procúlque agentibus quos locorum longinquitas, & ignoratio eorum quæ de se scriberentur, à depulsione arcebat accusationum, multo iudicabat morosius, præsertim si essent pœna aliqua corrigendi; & fuit cum Roma in Corsicam Sacerdotem è nostris, cautum in paucis, & sagacem transmisit, vt dissimulata persona quasi aliud agens certò indagaret, quæ Patri cuipiam, mira illic ad Dei gloriam patranti, à mentientibus Catholicum nomen hæreticis obiiciebantur; deformabatur enim eorum literis turbulentus, & seditiosus; quicquid porrò de illo boni, aut secus pernouisset, publicis ad se Primorum auctoritatibus firmatum, referri mandauit. Vsque eo in hac re circumspectus, vt emendandas filiorum, aut plectendas culpas, commissurus aliorum consilio, nollet fieri plures earum conscios, quàm qui necessarij ad hoc essent. Itaque duobus leue aliquid erratum cum aperuisset, cui vnus sat esse potuerat; non tulit prius ad aram accedere, quam eam maculam confessione ablueret. Quòd autem alterum, tametsi promeritum, præferre alteri, obnoxium vulgo est inuidiolæ offensionibus, & quorum interest, pro contemptu id dolent; sollicitè cauit, ne quo suo vel dicto vel facto, alterum alteri, doctrinæ, prudentiæ, sanctimoniæ nomine anteponere videretur. Petrum Fabrum singulariter amabat, suum in Christo natu primum, habebátque illum in opinione tantæ sanctitatis, & sapientiæ, quantam poscebat administratio Societatis vniuersæ; vbi tamen fuit in vnum conferenda, ab eo, & quouis alio Sociorum, suffragium suum abstinuit, testatus solum, se illum eligere, in quem, vno se dempto, plurium vota concurrissent. Marcello etiam secundo petente duos è Societate qui sibi in palatio adessent, ad cleri quam meditabatur statuendam reformationem, ipse eum delectum deliberationi multorum credidit. Ne tamen supplenda officia magnis eorum subsidiis priuaret, quæ percipienda ex iis videbantur, quos ad ea censebat idoneos, conditiones fere ponebat in medio, quas inesse iis oportebat qui postularentur ad tractandum quod vertebatur negotium; erántque omnino eæ solæ quas rei natura exigebat. Quo item ex alia parte consultoribus obliquè eius indicium fiebat, qui esset iis conditionum auxiliis præditus, & tacitè significabatur, optimè consulturos, si nequaquam ab eo in electione discederent. Quamobrem delectus eiusmodi, etsi non decernebat Ignatius, eius tamen opus idcirco erant quod toti ab eo proficiscerentur, secluso tantum querimoniarum amarore, quem parit in filiis, patris nomen commune, inæquali iure inter æquales gestum, dum eorum vnus palam cæteris rectior, melior, laudabilior habetur.

XLI. *Ignatij intimus erga suos amor.*

Opinionem hanc suorum præclaram, sequebatur non dispar erga illos amor, quod est alterum è duobus quæ dicebam valdè illustria in Ignatio fuisse,

fuisse, quodque in tegendis religiosis hominibus, singulariter nostris, omnino est necessarium. [Societas Iesu, scribit quadam sua Epistola Franciscus Xauerius, Societas amoris, & concordiæ est, à qua omnis inclementia, & seruilis metus, quàm longissimè exulant] dixerat vero paulò ante, Rectorem timeri magis cupidum, quàm amari, & asperitate domina potius, quam paterna teneritudine regnantem, paucos conscicturum Societati tirones, plurimos desertores. Quanta splenderet mirabilitate in Ignatio hoc decus plus satis affirmant quæ nonnulli ex primis Patribus diu experti scripsere, totum nempe fuisse ex caritate & amore concretum; occursantibus nostris eam explicuisse frontem, ea verba dixisse, vt excipere illos intra pectoris sinum videretur; Patrem filiis, quàm Ignatium suis, cariorem vnquam fuisse neminem: neminem in Societate, iam tum late diffusa extitisse, præter vnum (mihi prorsus ignotum) qui non totis visceribus afficeretur erga illum; neminem quin sibi quidlibet tolerabilius duceret, quàm longè ab eo disiungi. Nec ista in nostros paterni amoris testificatio ad præsentes solum, & domi agentes pertinebat, sed æquè ad longè dissitos, & vno complexu, filiorum cuique parem affectum diuidebat, de iis eius sermo patrem spirabat amantissimum; illorum ærumnis, inopia, laborum molestiis, vexationibus frangebatur; commendabat illos Deo assiduis precibus, & multa profusione lacrymarum; solabatur etiam quandoque beneuolis, & paræneticis literis, quibus nullum iis iucundius poterat perpessionum præmium venire. Sic anno 1555. nostrorum in Gallia nonnullos, insectatione clericorum acerrima laborantes solatus est, tantumque iis addidit animorum, vt mori præoptarint, quàm statione abscedere in qua proximorum saluti militabant. Dedit quoque ad Salmeronem consolatorias ex nimia fatigatione Patauij ægrotum, quibus maiorem in modum recreatus, vt primum potuit, responsum hoc reddidit [Ex R. V. literis perspexi, quo animi sensu ex hac mea ægrotatione affecta sit agnosco reipsa, paterni pectoris amorem & viscera, quibus altè inscriptos nos gerit, certóque mihi hoc persuadeo, eius potissimum impetratu factum quod neque medici, nec eorum pharmaca confecissent. Addat gratiæ huic Deus, in pauperes suos semper beneficus, vt tanto amori non parcè respondeam quo R.V. nostrûm omnium verus pater, consolatur nos omnes & subleuat.]

XLIII. *Suis cura ingenti præsertim ægrotis Ignatius prospicit.*

Sedenim fructus paternæ in suos caritatis, minime omnium placidi aspectus sterili specie; aut vna verborum, & Epistolarum comitate circumscribebat Ignatius, vbicumque spes affulgeret posse illis humana diligentia succuri, nihil omittebat quo illis adesset, eamque ob causam, sanus ægrotusve quis foret, nolebat quenquam sibi vllo modo esse sollicitum, & siue tuendæ, seu refocillandæ valetudini aliunde, quàm à se subsidia quærere, quæ profusissima accuratione omnibus suggerebat; haudquaquam expectans dum ea peterentur, sed petendi pudorem prouisione, ac liberalitate anteuertens. Ne quà vero, mente exciderent, adnotabat ea

diligenter,obseruatúsque est cum ad discutiendam negotiorum turbam,quibus Præpositi officium premitur, aliis alia crederet, quod suorum necessariis deesset, hoc solum peculiariter animo tenuisse, priórque vltro ministris vti prouiderent in memoriam reuocasse. Nemo itineri se dabat, quin pridie quam domo exiret, illi se sisteret, vbi coram minutim perlustrabat, ecquid ei deesset recularum, quæ viatori pauperi conducunt. Nemo discrimen incurrebat, quin præsens vel abiens sollicita opera opitularetur laboranti. Romam ex Creta vbi Philosophiam docuerat, vocatus ab sancto nauigabat Ioannes Guttanus natione Gallus, vir doctus, & pius. Hunc fera tempestas in oras Siciliæ proiecit, inde Saraceni captum in Africam deportarunt, quod eo dolore sanctum patrem confixit, vt captiuum optaret sui venditione redimere: Siciliæ proregem sui peramantem, statim supplicibus literis conuenit; Patribus illic degentibus mandauit, ne cui aut operæ, aut sumptibus parcerent ad restituendam captiuo libertatem; ac ne quid eorum prætermitteretur, quod censebat ab ipsis præstari oportere, Messanensi, & Panormitano Rectoribus religione Obedientiæ præcepit, in hebdomadas ad se perscriberent quicquid in eo negotio egissent. Sed Deo visum compendiosius, coronare patientiam boni Patris, quàm consolari mœrorem S. Ignatij, prius enim catena seruitutis, simul & corporis, est exemptus quam transigeretur de illo redimendo.Sed hæc in filios communis Ignatij caritas,præcipua fuit aduersus ægrotos. Voluit in die moneri sæpius qui haberent;quicquid à medicis quantumlibet minimum iis præscriberetur, ab curatoribus valetudinis exegit an esset ad vnguem, plenéque seruatum, nec impunè iis esse passus est si quid neglectius curassent. Inter alia minister domus, & valetudinarij custos, obliti cum essent, medicum ægroto per tempus accersere, vtrumque de media nocte iussit medicum quærere, nec domum nisi cum medico redire, quem cum horæ importunitate prohiberentur inuenire, coacti sunt quod noctis supererat in nosocomio subsistere. Ad ea vero quibus opus esset, nullam duxit sumptuum rationem. Laici adiutores duo Gallus alter, & alter Hispanus, vix tyrocinium intrarant, cum morbo vterque correptus est, ægrotabant domi alij complures, & iacentibus cubicula deerant; præter rem adeò angustam vt tam multos ægerrimè aleret; hic fuit qui sancto suggereret de iis duobus in nosocomium, dum conualescerent mittendis. Hoc vero, minime gentium, respondit, nec sinat Deus domi nostræ iis locum deesse, qui se propter Deum, domo, & mundo abdicarunt. Conquirantur omnino iis necessaria, Deus vice versa, nobis quoque per ipsos necessaria videbit: alium quoque adiutorem cibo instaurandum edixerat medicus paulo cariore, tres Ignatio iulios, protulit dispensator, quos vnos haberet ad victum illius diei toti domui coëmendum. At ille, conferantur sanè infirmo refouendo, nos qui rectè valemus, puro pane facilè defungemur. Alias eandem ob causam, quod aliundè argentum deesset, catillos stanneos vendi iussit, & partem suppellectilis domesticæ tenuis; cuidam etiam atra bili

ex

ex morbi insolentia consternato iussit interdum adesse nouitios, qui musicè norant, eumque piis cantibus recreare. Sed præter hanc erga ægrotos caritatem effusam, & sedulam, quæ illorum non modo corporibus, sed maximè animis incredibile fuit morbi, & ægritudinis leuament; aderat iis ipse per sese, ac dulci de rebus diuinis alloquio iucundè solabatur; valetudo si ingrauesceret, aut missus esset sanguis, noctu bis, terue tacitè inuisebat, ne solutis motu fasciolis vena sanguini laxaretur, aut quid aliud triste incideret. Demum afflicta sanitate, viribúsque prostratis, Præpositi onus, & publicas curas cum omnes in Vicarium transferret, vnam sibi pro ægrotis sepositi, sæpenumero professus, multum se Deo propterea debere, quod se multiplicis miseriæ perpessionibus docuisset alios miserari, & ex incommodis propriis, dediciſſet mederi alienis. Vt autem valentes omni officio adesse iacentibus omníque beneuolentia volebat; sic istos patientiæ documenta, subiectíque Deo animi de seipsis præbere; ac si quem sui nimium amantem, fastidia querula abalienarent à medico, & obsequiis curatoris, dissimulare tunc quidem lentius, & blanda partim admonitione, partim indulgendo commotum sedare: at postquam bellè iam conualuisset, demum partes æquare rationum, & pro culpæ modo pœnam iniungere. Verum si quem nauseabundi ingenij, & communi grauem, morbus Dei satelles inuaderet, crudiores affectus domiturus, vt cicurantur fustibus animantes; futuri boni spem præsenti labori anteferens, aliquanto quàm consueuisset in alios, suam in illum caritatem cunctantius depromebat, & hoc sacri vatis Deo pro ipsis iterabat, *Contere brachium peccatoris.*

XLIII. *Ignatij caritas in curandis suorum animis.*

Hanc Ignatius suorum corporibus ægrotantium tribuebat curam; sequitur qua ille animos, quam efficaci atque industriâ, quanto prudentiæ, & amoris temperamento, tum sanos tueretur, tum ægros sanaret; nullum enim amauit ita delicatè, vt indulgeret aliquid roganti, si longè prouidus nociturum ipsi prospiceret, vel exemplo aliis non bono futurum. Scimus, Bobadilla vnus ex nouem ipsius sociis, repulsam cuiusmodi ab eo tulerit. Petebat angustum cubiculum, ampliori mutare, & commodiori; id quia cæteris viam quandam sternebat ad eludenda paupertatis incommoda, significari illi iussit Ignatius, quin imo eius cubiculi quod sibi dicebat angustius, in partem vnam secederet, locúmque duobus relinqueret quos illi quamprimum contubernales dare decreuisset. Libenter facturum Bobadilla respondit, & religiosè dicto stetit. Quibus tamen virtutis nondum esset supellex valde ampla, repulsam ita condiebat, vt negatis, potius quàm si forent concessa gauderent: tantum aberat ex ea vt amaritiæ aliquid referrent: nempe sicca non erat, magísque ad potestatis specimen, quàm ad necessitatem iniuncti muneris comparata, qualem incauti perperam vsurpant. Dabat rei negatæ rationes tam explicitas, & apertas, vt intercessores, persuasi omnino se contra rem illorum agere à quibus adhibiti fuerant, suam culparent incogitantiam, & conuersis in illos rationibus viri

sancti euincerent non potuisse quod expetierant, nisi damno illorum concedi. Si cui vidisset literarum studia obesse, quod se inde efferret iactantius, vel nouarum chimeris opinionum adhæreret, quamlibet sublimi, ac subtili foret ingenio eum amouebat, addens non esse ad scientias natum, ad quem appositæ non essent scientiæ. In emaculandis priuatorum næuis, artes norat mirè opportunas. Quibusdam incompositi oris, & habitus tradebat ad interpretandum modestiæ regulas, ab se scriptas, iubebátque de illis cohortationes domesticas habere, quibus alios docendo, seipsos docerent, iisdémque argumentis ad earum obseruationem, eadem opera se & illos mouerent. Cui vero ex vita seculari inueteratum aliquid extraneum ab religione, monitorem ponebat caritate prudentem, qui eum obseruaret, & quicquid in eo notasset, quotidie scripto ei fideliter traderet, cuius tanquam speculi consulto illud emendaret. Quanquam hic vsus valde fructuosus mutuæ admonitionis communis tunc inter nostros fuit; certa enim lege id inualuerat, vt veneris diebus omnes conuenirent recogniturí errores suos, qui ab designatis monitoribus quatuor palam narrabantur, & quidem in Collegio Rom. censuræ huius initium à Martino Olauio ducebatur viro apud omnes eximio. Nonnulli vero Ignatio sub serum quotidie indicabant quoties in eo lapsi essent, quod eo authore debellandum sibi susceperant, isque dies coram diebus componens, quantum processissent; vel contra; iis obiiciebat, quo vtrimque animos sumerent, vel ad promouendum, vel ad denuo inchoandum. Quandóque etiam grauiore aliquo munere perfunctum ad censuram publicam vocabat, priusquam aliud ei committeret; tradit enim Hieronymus Natalis, se post depositum Rectoris officium, patrum quadraginta permissum examini, & qua vsus in suos fuerat minus consideratam duritiem, & acerbitatem acriter ab Ignatio reprehensam.

XLVI. *Quanta vi & sapientia tentatos in proposito confirmarit.*

Sed nulla æquè re se effudit paternus Ignatij animus vt occupandis præsenti remedio suorum periculis, quos religiosę perseuerantiæ desperatione aut tædio dæmon in Ægyptum prolectabat: in iis fuit quem vt impetraret, triduo apud Deum lacrymis, precibus, afflictationibus institit, omni plane cibo se abstinens. Alium noctis silentio, multarum horarum iterata impugnatione, denique expugnauit, consolando, terrendo, rationibus, qua valebat efficacia, configendo, quoad ille in voces, & fletus præ metu, & praui consilij detestatione prorumperet. Ita quoque prolixa concertatione, obfirmatam molliuit vnius duritiem, vt quàm impotenter paulo ante dimitti voluerat, tàm supplex ad pedes se illi abiceret, rogans, & flagitans retineri, pœnam quamlibet paratus subire suæ illius titubationis. At sanctus arctè illum complexus, sit, inquit, hæc eius pœnæ pars, ne te vnquam deinceps Deo seruire pœniteat, alteram eius partem quam commeritus es, ex soluam ipsemet, cum ad me stomachi dolores redierint. Inter hæc pro ea qua pollebat perspicacitate, ad detegendas motuum radices, si desertionis impulsum coniiceret scelere aliquo incitari, tacita conscientia malè presso; morbi focum aggressus, exstimulabat illos ad confessionem culparum fidelem,

lem, & candidam, gnarus periculi malignitate perpurgata, desituros lethales illius paroxismos. Ad eam vero confessionem obeundam, si videbantur difficile inflecti, arte vtebatur quam sibi olim expertus fuerat felicem; explicabat iis vitam, perditè, vt aiebat, in sæculo actam, quicquid vnquam illic grauius peccallet, veraci quidem velut Christo præsenti, narratione referebat, sed cum eo dolore iisque lacrymis, vt emollirentur infelices, & edomaretur eorum cæcus pudor. Quos ad sinceram confessionem iam dociles, nulla interposita mora iubebat expiari, adeò vt etiam aliquando de media nocte confessarium domesticum exciret ad huiusmodi aliquem audiendum. Nec sua illum fallebat coniectura, mox enim ad se à confessario redibant supplices, veniámque poscebant volubilitatis, Deo exinde, ac Societati, fidi & stabiles futuri. Harum porro curationum occultam vim quandam ex ipso aliæ ducebant, ad infringendas voluntates mirabilem; alias patrabat maior humana sagacitas excogitandis remediis ad sanationes morborum repentinas, cum sanationis expertes crederentur. Ribadeneiram de quo modo aiebã suasisse multos vt dimitteretur ab Societate, quòd nimis absurdum putarent in cœtu virorum grauium ac pietate præstantium, puerilitates deuorari in quas identidem erumpebat; magno nisu vrgebant dæmones vt desertione præcipiti, dimissionem præuerteret quam ei Ignatius negabat, nec validiore ad eam machina impellere iuuenem potuere, quam indignati animi auersione quadam ab Ignatio adeo abhorrente, vt non dicam cum eo, more quo prius domestico agere refugeret: sed ne oculis quidem eum sustineret, frustra huic bona verba, frontis alacritas, & affabilitas blandientis, qua prope adhuc pueri placantur. Dissimulauit tamen patientissimè bonus pater, quasi nihil horum aduerteret; nec alteram ei propterea aut agendi speciem, aut oris, vnquam exhibuit. Hunc irati horrorem excepit deliberatum consilium, subducendi se Ignatij oculis, & iuri; repetendíque quamprimum sæculi. Quod diuino ab iis fauori mox attributum est, qui, & parum in futurum videbant, & illum pridem domi ferebant ægerrimè: doluit è contrario vehementer Ignatius, qui vt aliis ipsum pernorat oculis, sic alia amabat caritate: ergo ad se vocatum modis omnibus, & rationibus quibus flecti posset illa ætas, conatur à prauo consilio dimouere: sed idcirco in cassum cadebant quod Ignatij odio omnia in peius acciperet. Quare humanam hic opem desperans, multis à Deo precibus contendit Ignatius eam sibi animam donari, factúsque conscius impetrati, accersit iuuenem, & verbis tribus ita frangit, vt exclamaret vbertim flens, faciam Pater, faciam, agebatúrque de Exercitiis ad quæ non potuerat antea ab Ignatio induci; sentiebam enim (ait idem iuratus) vim mihi tantam interius fieri, vt facere aliud non valerem. Exercitia inierat. & confessionis piaculo vitam omnem apud Ignatium purgare voluit, totúmque se illi magna fiducia credere. Auditum, placidè, paucis tantum his verbis Ignatius monuit, Rogo Petre, ne velis esse erga Deum ingratus à quo tot bonis ornatus es. Ad quæ (Pergit Ribadeneira) visæ deradi ab oculis

squamæ, obfirmatique pectus in religioso proposito, gradu tam stabili vt per annos duos & quinquaginta ex quo id contigit, hoc est 1543. ne aura quidem me leuis hactenus afflârit Societatis dimittendæ: nihilo minori efficacitate vacillantis pariter tironis iactationem stabiliuit. Erat is Balduinus de Angelo qui Societatem anno 1551. vix ingressus, retro mox cœpit respectare: retrahebat hominem pellax nescio quæ erga filium fratris teneritas, vbique is animo, vbique oculis recursabat, velut barbariem exprobrans, quod cum patris loco sibi esse deberet, esset tamen ab eo crudeliter destitutus, ita suum illum in Societatem ingressum cogitans impietatis, apud Deum, & homines reum, in procinctu erat vtregrederetur, actúmque iam erat, nisi plus pro illo Ignatius, quam contra illum dæmon potuisset. Lucratus illum est primum supplicibus apud Deum votis, simplici deinde narratiuncula quæ totum negotium peregit. Vocat enim nihil minus opinantem, iubet comiter sibi assideat, & quasi cum eo fabulari aggressus, Ego, inquit, Deo me olim cum traderem, essémque, vt nunc es, in Dei obsequio nouus, appetitus sum insultu dæmonis permolesto, at quàm ridiculè, te quæso aduerte, quámque mirabili commeatu doctus sim à Deo, vincere. Recitabam quotidie ex libello psalmos B. Virginis, inter icones libello adpictas, erat in qua cognatam, ad viuum expressam videbar cernere. Quoties igitur in eam picturam incidissem toties animus examen fundebat innumerabile profanarum cogitationum, & stolidæ erga propinquos, & affines teneritudinis: hac vt absoluerer importunitate, iam constitueram, ab eo genere pietatis erga virginem abstinere, malebámque mali vitare periculum, quam boni aliquid lucrari: verum deinde, callidiùs consulens, animaduerti plus nimio gaudij me hosti daturum, si eo nitente, tam sancti operis merito abstitissem. Impugnabat me puerili iaculo, & marte puerili; & ipse clypeo, ictus eius ludendos putaui. Carta iconem obduxi glutinata, vnaque hac arte & eam oculis, & quam ingerebat cognatæ speciem animo subduxi. Quibus dictis surrexit, & mœstum tironem magna, vt in talibus semper beneuolentiæ significatione complexus, & humanissime consolatus, ex cubiculo remisit. Quo vero animo, quàm supra necessarium mutato, testantur verba iureiurando ipsius affirmata [protinus, inquit, totus cœpi in lacrymas fluere, iisque piorum sensuum, & cœlestis affectus voluptatibus perfundi, vt quicquid amoris in consanguineos ante contuleram, in Deum cõuerterem nec fratris filium postea nisi velut ignotum, & extraneum cogitaui.] Sed habet quod sequitur paterni amoris inuentum prudens, magistræ artis eo mirabilius specimen, quo videtur minus artificiosum. Obstinauerat germanus quidam nouitius, ad regustandos Ægypti cacabos; rationibus æternis hominem quatere, haud erat aliud quam phreneticum erudire; quò amabilius, & ambitiosius tenebatur, eo ad discessum incendebatur ardentius. Dat ergo Ignatius effræni habenas, quibus imperare non poterat, eique liberum relinquit, manere vellet an abire; vnam modo ab se impetrari sineret, tot mensium quos

domi

domi egisset, mercedem, aut gratiam; vt in quartum diem discessum differret, sed omni planè Obedientiæ, regularum, & disciplinæ morositate absolutus; hospes, more hospitum ederet, dormiret, laxaret animum, & confabularetur, vtcumque ipsi volupe vertisset. Ludum putauit ludi nouitius, & quamuis morarum impotens, conditiones reiicere adeo commodas, & comes in tempus tam breue erubuit. Hic vero cuinam venire in mentem potuit, extinctum iri hoc ipso ardorem repetendi sæculi vesanum, quo videbatur acrius inflammandus, facultate nimirum suo arbitrio viuendi, quasi licentiæ mundanæ promulside? Biduum egerat hac lege, vt exlex ageret, cum animaduertit, ad nocturnam quietem se recipienti mentem sibi mœrore amaro contrahi, qui ad suauitatem comparatus quam cœlo anteà hauriebat, illuminauit caligantem, & conscium culpæ suæ fecit, sanctioris vitæ in religione, solutioris in sæculo, obiecto discrimine; illam enim, vt stultis deliciarum ludibriis careat, alit tamen verax & solida voluptas, ex conscientia vitæ innocentis, diuinæ adoptionis, & gratiæ, speique æternùm beaturæ; hanc vnis carunculæ huius, & sensuum affixam illecebris pauci claudunt vel anni vel dies, cum immenso dolore, ream supplicij sempiterni, atque his affatim reuictus, confusúsque nouitius sapuit. Quatriduanæ inducíæ nondum effluxerant, cum ad viri sancti genua prouolutus, suámque incusans stultitiam, iterum se illi fide perpetua mancipauit. Magisterium quoque fuit solertis consilij quo Sacerdotem Belgam Andream nomine tenere conatus est, si vti beneficio miser voluisset, reti enim illi quodammodo expanso iter medium intercluſit, quo implicitus denuo, illam denuo perderet, qua se perditum ibat stolidam libertatem. Misit qui rogarent, suum in patriam reditum Laureto dirigeret; illic in adorabili Sacello per aliquod tempus collecto animo versaret, quid & quantùm Deus intra sacros illos parietes sua causa fecisset? tum ex se quæreret, vnde? quo, quamobrem pergeret? ac si lateres ipsos exprobrantes sibi ingratum animum audiret, denuntiantes periculum in quod præceps ruebat, adspirantésque meliora; rediret sane intra brachia præstolantis, securus discessionem illam, haud alio ipsi quam peregrinationis piæ nomine futuram, ipsúmque nihilo quam antea minus carum: se vero interea supplicaturum Parenti virgini, errantem quem ad eam mittebat, & cui retinendo nec industriæ satis, nec meriti habuisset, non ferret sibi de manibus eripi, nec frustra illic salutem quæsisse, vbi omnes mortales eam inuenissent, Societati misellum, & per hanc filio redderet. Viatici ad hæc non plus iuliis tribus dari illi iussit: quæ parsimonia in tam longum iter, domesticæ quidem egestatis pauperies fuit, sed & exquisitæ prudentiæ acumen, quod pecuniam mutuari, ad commodiorem renuit hominis discessum, etsi ab nostris etiam rogaretur, aiens dissentaneum fore itineris improbi fomitem illi ministrari, qui regressurus sperabatur. Sed in alterius frangenda duritie operosius insudauit. Senensis adolescens, quadrimestris tiro, virtutem monstrabat emeritam, dum se nihil ipsi opposuit. Missus ab

Ludouico

Ludouico Gonzales, ministro domus, ad mendicandum per vrbem ostiatim, suum quendam cognatum obuiam habuit, qui probrosum familiæ ratus, quod est apud Deum maximè decorum, vultu, verbisque indignè iuuenem accepit; num puderet illius & vitæ, & conditionis? an excidisset animo pater? an generis color? ecquem scisset vnquam ex eo mendicum egisse? adeóne alius orbe toto, vel modus, vel locus defuisset, honorificè, atque vtiliter Deo seruiendi absque suorum dedecore? saperet denique meliora hoc eius admonitu, à quo tanquam consanguineus amaretur; domum manticam referret & pannosum centonem, reuerteretur ad se quantocyus, curaturum se illi eiusmodi Sacerdotium quod esset eleemosynæ tribuendæ suffecturum, nedum exempturum ab ea turpiter corroganda. Dicentis linguam mouerat Diabolus, & huic aurem imbecillus, imparque malleo adiecit; domum reuertitur nec lætus, nec ille qui modo exierat: cuique illic prius visa erant ridere omnia; nunc è contrario omnia displicere, tædio omnia, & horrori esse, morderi ipse pœnitudine occulta conditionis despicatæ, qua suis etiam inuisus fieret, quanto magis vulgo, & externis? cumque atro mœrori se permittens haud alio egeat malorum consiliario dæmone, inde ille quamprimum decreuit, genus id vitæ abiicere, in qua sibi dolores statuebat fore perpetuos. Comperta tironis agitatione, causáque illius sanctus pater, & præcipiens animo, Hieronymo Natali sua vice domum tunc administranti, curationem illam fore difficilem, quòd totum iuuenem absorbens tristitia, non esset communibus remediis cessura, tria hæc ab se iis addi voluit, præsenti malo maximè opportuna. Primum ne vnquam solitarius maneret, sed continuo adessent qui boni aliquid cum eo loquerentur, vt si à multis impugnabatur dæmonibus, multos etiam Dei famulos haberet auxiliarios; cum autem nocturno omnium rerum silentio, tenebrosus hostis plurimum vtatur vt ausus præcipites, & inopinatam insaniam atra bile affectis suadeat, iussit contubernalem ei dari, quem quoties ipse expergiscereturr, statim excitaret, & cum eo aliquid fermocinaretur, ad tenacitatem dissipandam tristium cogitationum; adhæc promittere iussus est, si fixum haberet mundo magis, quàm Christo militare, nobis tamen dierum quindecim concessurum moras, quibus omni planè solutus vinculo regularum, pergeret nobiscum degere. Postremo hæc si parum iuuissent ad conceptum errorem deponendum, coactis patribus quotquot domi tunc erant, sedatè coram, suum iis animum super eo discessu, eiusque rationibus explicaret, audirétque de illo quæ foret cuiusque sententia: sperabat videlicet illa sui manifestatione tam demissa vel salubriter confundendum, vel patrum cuipiam, datum iri à Deo, quod periclitantem conseruaret: tot præsidiis, dæmonum rabies par esse non potuit, eorum ex vnguibus extorta quidem tunc præda est, & tuto reddita: quanquam postea infelix, denuo gratiam seque vnà miserè perdidit. Claudo quibus prudentem in filios, turbine aliquo iactatos probare statueram Patris optimi caritatem, sapientissima illius erga nouitium cautione. Ducebatur

cebatur humilis paries, quo discluderetur à vico publico domus nostra, & adhibebatur ad hoc tironum opera; eorum modestiâ, feruore, suique contemptu generoso, prætereuntes magnoperè afficiebantur, vitróque ad eos per otium spectandos ex primoribus quoque ventitabant. Erat tunc in tyrocinio ex nobilitate primaria, apprimè notus, eaque forsitan ex causa præ cæteris spectantium oculos, & admirationem curiosius trahebat, licet ipse de se cogitari ab iis longè alia reputaret, sibique id pudori verteret, ex quo se alius glorioſulum duxisset. Domo itaque non ausus se condere, & verecundatus oculos, pertranseuntium, hærebat ab iis quam longissimè poterat, obuersísque fere in publicum humeris. Descendebat subinde Ignatius non tam opus, quam operas visurus, contigítque vt circumspiciens, & tironem seorsum ab reliquis videns, pudorem in ore illius, in mente superbiam legeret, quæ illum in vultu pudorem expirabat, & quò, nisi maturè inhiberentur desitura hæc essent prospiciens, accito Bernardo Oliuerio, qui operi præerat; non vides ait, fratrem illum segregantem se procul ab aliis, perperam tentari? expectas videlicet dum se proripiat, & adeo nihili, cius tibi est salus? excusauit minister quod sibi mandatum fuerat, de nouitiis omnibus illic occupandis. Scilicet, infert sanctus, cum id ego mandabam, vetabam te prudentia, & caritate vti? Ac post breuem in obseruandis operariis morulam, tironi velut fortuito occurrit, vultúque ac verbis placidè compellans, & tu etiam ad hoc opus? inquit, abi quæso te domum, neque hic præterea compare, non facit ad tuam valetudinem hic labor. Sic semianimum excitauit, & captata ex debilitate corporis medicina, animum sanauit. Iam enim tiro alias meditabatur sedes, vt ipse postmodum narrauit, & vitam priorem mentè designabat. Hæc tamen, vt dixi suorum commiseratio, haud æquè in omnes fundebatur. Illorum erat ferme tantummodo, quorum satus recens in Societate, nondum securas radices egerat [Parens noster, scribit Ludouicus Gonzales, tirones ex tentatione titubantes solet magna suauitate consolari; cæteros vice versa, quos decet tot annis in Societate magnas opes parasse robustæ pietatis, tergiuersantes præsertim ad iussa obedientiæ, ac priuato iudicio affixos.

XLV. *De studio religiosæ disciplinæ etiam in amicissimos vindicanda. Orat. 1.*

Hinc satis appositè attingam aliqua de studio religiosæ disciplinæ quo in errantium emendatione, pœnísque vsus est sanctus pater, quodque arduum valde est ita moderari, vt correctione peccati alicuius non fiat peccans deterior. [Nam quemadmodum, non eadem medicamenta, inquit Gregorius Nazianzenus, nec eadem alimenta corporibus quibusuis adhibentur, sed alia aliis, habitâ videlicet, vel sanitatis eorum, vel aduersæ valetudinis ratione, eodem quoque modo animæ diuersa ratione, ac disciplina curantur: Ij porrò curationis testes sunt, qui morbis huiusmodi vexantur. Alios sermo ducit, alij exemplo componuntur: Alij calcaribus opus habent, alij fræno: Nam qui segnes sunt atque ad bonum ægrè impelluntur, hi verborum stimulis excitandi sunt; qui vero spiritu, quam par sit, feruentiore sunt, atque effrænato quodam animorum impetu feruntur, velut equilei

procul à meta currentes, hos vtique Orationis fræno coërcere, ac cohibere præstiterit. Aliis laudatio vtilitati fuit, aliis reprehensio, vtraque videlicet tempestiuè adhibita; aut contrà detrimento, non tempestiuè, & ratione adhibita. Alios cohortatio ad officium dirigit, alios obiurgatio: atque hæc rursus alios, si palam arguantur, alios, remotis arbitris si admoneantur: Sunt enim qui priuatas admonitiones contemnant, publica autem reprehensione ad officium reuocentur: Sunt rursus qui liberius reprehensi pudorem omnem abstergant, contraque occulta obiurgatione, meliores reddantur, iisque quos vicem suam dolere perspiciunt, hoc muneris vicissim rependant, vt eorum admonitionibus pareant. Quidam etiam, ad minima vsque ac leuissima obseruandi sunt, nimirum qui, eo quod peccata sua obscura, & incognita esse putant (quandoquidem id moliuntur) tanquam sapientiores animis inflantur:) in quibusdam rursum ad nonnulla conniuere satius fuerit ita vt videntes non videamus, & audientes non audiamus, quemadmodum dici solet) ne alioqui eos nimis crebris obiurgationibus, tanquam fluctibus obruentes, ad desperationem incitemus, ac dissoluto tandem pudore, quod persuasionis pharmacum est, ad quoduis facinus audaciores reddamus. Quin etiam, cum nonnullis ita agendum est, vt non irascentes irascamur; non contemnentes contemnamus; non desperantes desperemus: quatenus videlicet eorum natura id requirit. Alij rursus, lenitate curandi sunt, atque alacri animo vna cum illis meliorem spem induendo. Alios vincere, ab aliis vinci plerunque vtilius fuerit, atque aliorum opes, & potentiam, aliorum inopiam, & calamitatem, vel laudare, vel deprecari. Neque enim, quemadmodum in virtute, ac vitio res se habet, vt illa quidem semper pulcherrima, & omnibus vtilissima sit, hoc autem turpissimum, & pernicioſissimum sit: eodem modo medicinæ quoque nostræ ratio ea est, vt vnum idemque medicamentum iisdem semper, vel saluberrimum sit, vel periculosissimum v. g. acerbitas, aut elementia, aut vnumquodque eorum quæ modo à nobis enumerata sunt. Verùm aliis hoc medicinæ genus bonum atque vtile fuerit, aliis autem rursum contrarium medendi genus provt opinor, vel res, vel occasio tulerit, vel ægrotantium denique mores admiserint. Videtúrque hactenus sanctus doctor, morem Ignatij modúmque descripsisse in curatione variis suorum affectionibus, & temporibus aptanda, quod viis quam variis, fuerit ab eo cumulatissimè præstitum, ex iis partim quæ dicta sunt, partim ex sequentibus colligetur. Iniungendis pœnis, quod dictitabat identidem, id suo exemplo sanciebat, oportere scilicet rectorem in iis esse liberalem: volebat itaque liberum esse superioribus, illas iis quoque dono dare, qui culpæ nomine non essent commeriti; quod tamen nisi in leuibus, minimè vsurpabat, quæ ad refricandam magis disciplinæ memoriam pertinent, quam ad puniendam violationem: alioqui si foret alicuius momenti transgressio, vel exempli ratio poscceret, reum ad se vocabat, maximè si esset virtutis adhuc imbecillæ; deinc illum suæ gnarum culpæ, ac intelligentem faciebat, non quæsitis ad exaggerandum,

randum, aut sententiis, aut verbis; sed tranquilla, & graui summæ totius æstimatione, suis ex vero ponderibus censa, cuiusmodi semper loquendi forma illi fuit, simplex, & ingenui coloris, sed qui pertunderet animum audientis. Nec rescitum est quenquam reprehendenti subiratum ab eo vnquam recessisse; sed vni tantum sibi, & culpæ quam is damnauerat: delicto nonunquam, vti explicui ob oculos posito, mulctæ loco id solum addebat, vt ore ad seueritatem composito diceret, Abi: atque hoc fere cum iis tantum quos intimè amabat, qui nihil sibi hac voce ducebant molestius: quandoque reo, suimet iudicium permittens, iubebat ferre sententiam, quid & quantum pœnarum deberet: qua haud sanè vulgari prudentia, ex quibusdam nimium delicatis, aliquanto plus eliciebat, quam sineret iis ipsorum debilitas imponi; ex aliis vero absolutæ virtutis hominibus, rara captabat formandæ in cæteris humilitatis religiosæ, & subiecti animi documenta. Ex his duo hic modo referam exempli ad posteros singularis. Dicebat Romæ ad populum Hieronymus Ottellius, quærendarum animarum auiditate flagrans, & in iis ad Christum reducendis non minus industrius, quem vt in Siciliam mitteretur, ereptum sibi sic Roma doluit, vt Ignatio ad aram facienti, ad illud, *Mea maxima culpa*, succlamaret à tergo vetula, tunde, tunde sis pater Ignati, & culpam agnosce, qui Romam viro sancto, & summè vtili orbasti. Hunc pro concione, ardore solito aduersus effrænem peccandi licentiam abreptum, eò impetus tulit vt diceret, quando illam neque Dei amor, nec metus æterni supplitij sisteret, intentandas esse à Pontifice pœnas; ab eo ex loco sancto abigendos flagello sceleratos. Sub concionem à S. Ignatio aduocatus interrogatúsque quot essent in orbe Pontifices, cum respondisset, vnum qui Romæ esset. Audes ergo, subinfert vir sanctus, nominatim non designare solum priuatos è pulpito, sed ipsum Pontificem, neque id tantum, sed iis etiam gubernandi dictare regulas, quasi aut ipsis plus sapias; aut si plus sapias, & plura videas, de iis è pulpito illos commonefacere liceat? abi nunc, & tete collige, vt coram Deo recogites quid commeritus sis; & hoc ante noctem huc ad me referas. Tristis admodum, & supra quam possit conturbatus recessit Ottellius, ac suum errorem subtili diu examinatione perscrutatus, ad pedes Ignatio procidens cartam ei tradit, qua partem eorum describerat quæ sibi ob culpam deberi statuisset, nempe aliquot dies publica per vrbem verberatione se ipse cæderet; nudis pedibus peregrinaretur Hierusalem; annos aliquot ieiunans pane solo & aqua transigeret, & quod his adiiciendum pœnis superiori videretur. Verum Ignatius hac dependendi tam ampla voluntate vel supra debitum, ei imputata, in aliorum eruditionem certum ei tantum præscripsit numerum flagellorum, quæ priuatim esset obiturus. Mirabilior est & grauior pœna, qua se item Iacobus Lainius, leuiori ex causa damnauerat. Prouincialis munere in Italia fungebatur, & optimum quemque, euocari Romam ab Ignatio cernens, vt cui pluris semper communes Societatis rationes, quam priuatæ essent, paulo ini-

quius accepit, vnam domum professam tot Collegiorum spoliatione ditescere, deditque ad illum hac de re literas quibus id quidē apud illum, sed tamen reuerenter dolebat. His cum nihil egisset, alteras addidit, quibus Ignatius nihil æquè expetens quam domandi ad maiorum nutus iudicij monumenta Societati relinquere, seriam reddidit, & valde cordatam Epistolam; caueret dum partes superioris boni implere nititur, ne subiecti probi partibus deesset; motus eius radicem scrutaretur, quo nisi intra iudicium proprium non sinebatur quiescere; videret ex mero diuini obsequij studio, an ex cuiuspiam philautiæ tacito alueo duceretur; & vbi reum se deprehendisset, quâ pœnâ se putaret plectendum ad se perscriberet. Hic Lainius apertis oculis, & videre, & flere largiter quod ipse damnandum iam reputans, in lucro ponebat ab Ignatio damnari: respondens igitur, humilitatis sanctæ incredibili sensu millies veniam petere, rogare in pœnam, abrogari tunc sibi administrandæ prouinciæ officium, deinceps vero abdicari se ab omni regendi & concionandi munere, vsuque literarum; Romam mendicato venire: illic in culina, hortove operam ponere, ad hanc si vires deficerent, in schola grammatices quod vitæ restabat absumere, neglectum, aspernandum, ex hominum recordatione, & oculis pro re vilissima proiectum, quæ si forte neganda putarentur, flagella, ieiunia, & quoduis aliud asperitatis genus libenter subiturum. Quorum nihil ei ratum fecit Ignatius, & exsoluendæ pœnæ voluntatem, culpæ debito censuit largiorem. At hinc facilè patet, tentata cuiusque arteria, quam callidè ad cuiusque vires remedia sic moderaretur, vt ipsi suos, & agnoscerent næuos, & de magnis ipsorum exemplis discerent imbecilli, leuiores pœnas grauiorum noxarum, æquo, & silenti animo amplecti. Accommodabat etiam interdum has pœnas, non eluendæ solum culpæ, sed erudiendo in illa reo. Sic enim cuidam, magisterium animorum ante pæne aggressò quam probè discipulum egisset, ex quo damni multum in eos redierat, quos susceperat dirigendos, huic inquam, publicas indixit verberationes, sed alis duabus sursum versus, ad humeros ligatis, ponè quopiam inclamante; ne vellet implumis ad volatum eniti. Alium vero cuius versa susdéque, mixtímque perspersa in cubiculo suppellex, consarcinare totam in saccum iussit, libros, lanea, linea, scripta, denique omnia confusè, nulloque ordine, congeri, & circumferre tota domo saccum, culpam incompositæ negligentiæ subinde repetendo. Sed lepidum illud, quo puerulum castigauit, domi à patre recens ex Iudæis Christiano, nobis commendatum, irascens aliquando puer, carcinoma seu cancrum nescio cui fuerat imprecatus; eius vocis horrorem vt ei iniiceret, cancrum emi curauit Ignatius ex grandioribus, vocatóque puero scin tu, ait, quid hoc animantis sit, is cancer quem imprecatus es? nunc vide sis illum, atque experire, iussisque reduci in tergum manibus, collo cancrum appendi fecit, quem vt vidit puer pectori adrepentem, & distentis chelarum volsellis minantem, vt lut illico lacerandus eiulare, flere, spondere, si vnquam postea; sic aliquandiu detentus,

tentus, solutus tandem est, colloque detracta bestia. Is vero multo post ex S. Dominici Ordine, ac demum Episcopus Foroliuiensis, narrabat sæpius iucundè id factum, Ignatium laudans qui mulcta ætati, culpæque tam congrua sic illum penitus imprecandi morem à se abstulisset, vt nunquam postea in buccam veniret. Accedebat æqualis erga omnes vigor, nec erat qui eius peculiaris beneuolentiæ securus, quicquam sibi vel minimum licere crederet aduersus communem disciplinam, aut fore impunè errorem tametsi perleuem. Caros quidem in paucis habuit Martinum Olauium, Petrum Ribadeneiram, Ludouicum Gonzales; quod tamen Episcopos è Societate duos, in Æthiopiam destinatos, dum extra vrbem deducerent, incautè issent vlterius, quam horæ breuitas ferebat, vt ante noctem domi se sisterent: præter ieiunium quod illis imperauit, Ludouicum excepit tam acri obiurgatione, vt etiam diceret, quid obstet nescio quominus tàm procul te amittam, vt me nunquam præterea videas, quo prorsus nihil ei poterat minari acerbius à quo, patre carius amabatur: & hoc tamen ipsi ex parte inflixit, ipsa enim hora quæ tunc erat iam noctis altera, recipere sese in Collegium iussit, ex quo domum ab eo non est reuocatus, nisi diebus aliquot exactis. Fuit quoque Ignatio mirificè carus Iacobus Equia quo pridem confessario vtebatur, & quem Petrus Faber ob sanctimoniæ præstantiam, Patrem sanctum Iacobum semper nominabat; imò Ignatius, tantis nobis, aiebat, spatiis Iacobus in cœlo eminebit, vt ægrè illum simus agniturí: hic tamen ab eo vetitus de animi rebus, quas ipsi credebat, quicquam aliis efferre; nec silentij, nec linguæ sat potens, erumpebat identidem, exclamans, sanctum esse Ignatium, & sancto maiorem, aliaque, vltra modum communem tam grandia, vt agi extra se simplicitate magis quam admiratione videretur: nec defuit qui offenderetur hæc audiens; quod vt primum cognouit Ignatius, alium sibi mox à confessionibus delegit, cum acerbissimo boni senis dolore: tum se ipse flagellis per triduum, tamdiu sub vesperum cæderet, dum tres quot diebus recitarentur psalmi, intermonente singulis aliquo, meminisset deinceps esse in verbis considerator, nec offensionis præberet ansam infirmioribus, qui eam facilè, etiã non datã arriperet.

XLVI. *Quanti esset regente Ignatio, violatio communis disciplinæ.*

Iam ipsis ex pœnis, vt intelligatur gubernante Ignatio, quam caro staret disciplinæ religiosæ violatio, earum aliquas memorabo, ad aliorum institutionem. Laicos adiutores duos notauit aliquando nouis rebus narrandis otium fallere, accersitos iussit aceruum fortuitorum lapidum in domus area iacentem, in supremam ædium transferre partem, quasi ad præsens opus tunc necessarium, & quoties illos eundem ludum ludere deprehendit, toties eosdem lapides sursum deorsum transferre imperauit, dum tandem perciperent, non esse illam necessitatem operis, sed desidiæ castigationem, sibique quibus occuparentur vtiliter, ipsimet requirerent. Alij duo inter ministeria culinæ immodestè iocando, aquam mutuo in ora iactauerant, indignitatem ioci, longa suimet verberatione imprimis eluerunt, damnati sunt ad sumendum aliquot diebus in stabulo cibum, ad iactan-

dam inuicem, inspectantibus cæteris, vti fecerant aquam, sed sordidam; ad audiendam qua excepti sunt publicè acerbissimam obiurgationem, iis denique si vellent, abire permissum. Nam si post decem inquit, aut duodecim annos in Societate iam positos, tam indecora nondum posuerunt; quis neget illos de religioso, præter exteriorem cultum nihil tenere. Mitius habuit Laurentium Tristanum structorem lapidarium, egregium sui domitorem, precationi addictissimum, adeoque silentij tenacem, vt de illo Ignatius diceret, plures ab eo poni lapides quàm verba: huic interiorem domus porticum sternenti, sinu excidit pomum, quod ad sitim mulcendam datum seruauerat, id animaduersum ab Ignatio præsente suspicatus, erubuit scilicet, seque aliò obuertens, pomum à tergo quasi id minimè cerneret omisit: at sanctus baculo; quo semper dum vixit crus ægrum sustinuit; tacens, & velut aliud cogitans, in pomo ludebat, reuoluebátque illi ob oculos, quos frater quoties præ pudore auertit, toties vir sanctus, pomum illi baculo in conspectum reuoluit, dum hac eius sat longa verecundia contentus abscessit, ne verbo quidem testatus rem displicuisse. Iunioris magistri qui Venetiis docebat, inconsulta verba, longè diuersa appendens trutina, docuit pariter lanci prius fuisse quam linguæ committenda; quod enim iis apud aliquem imprudentius offendisset, peregrinatum missus est pedes, & mendicans solido trimestri. Sed fratrem valetudinarij curatorem, cæteroqui bonum, & erga ægrotos, caritate, ac patientia insignem, mandauit quantocyus dimitti; quod præterquam ferret exquisitissimæ honestatis, & verecundiæ ratio iocatus esset liberius: abeundúmque illi erat, nisi patres quotquot domi tunc erant, interessores accessissent, eiusque integritatem morum, puritatémque præcipuam vno consensu, ac testimonio confirmassent. Amandatus est tamen extra Italiam, habitu sæculari, vltra leucas trecentas, pedes, nullo nisi corrogandæ stipis viatico. Dimissionem similiter comminatus est Ioanni Baptistæ Borellio, quo tamen vsus diu fuerat vitæ priuatæ administro, quod exscriniolo viri sancti piacularem globulum furtim sublegisset paulo venustiorem, substituto in eius locum minus eleganti, quem ipse à sancto habuerat: fratris causam adiuuit, quòd is tale tunc primum peccasset; & vltrorem fassus, acerrima correptus reprehensione lacrymas dedisset. Sed non potuit ille, olim mihi narratus Soldouilleus precibus vllis aut lacrymis eiectionem ab se defendere, qua propter spiritus peregrinitatem damnatus fuerat, quanquam autem deinde post diuturnum admissi dolorem, & minimè dubia, emendati ingenij argumenta Societatem iterum impetrarit; verum haud prius domi exceptus est, quam totos quinque menses in abiectissimis muneribus nosocomio operam dedisset. Hoc item moris Ignatio fuit, vt domo quandoque ad tempus expelleret, vel eos domi pro hospitibus teneret, quorum adhuc esset emendatio obscura, & dignus fuerat, ea pœna lapsus: ita Cornelium Visshauenum quo die Romam è Belgio venerat, recepto viatorio scipione, misit per vrbem mendicatum, quoad tantum pecuniæ collegisset, quanto erat opus

ad

ad exemptionem quandam, quam se Romana in curia obtenturum, in consideratè spoponderat. Sacerdotem quoque alium Belgam ad se ex Gallia idcirco transmissum, vt sua de regni cuiusdam exitio visa explicaret, quæ sibi persuaserat diuinitus obiecta, haud alio domum quam extranei nomine ritúque admisit, donec somnia illa sex doctissimis patribus inspicienda commisisset, explorandúmque num esset paratus illorum iudicio tàm ea damnare, quàm pro bonis habere: ac fœliciter quidem vir bonus sibi consuluit, erat enim de cœtero pius, & satis cordatus; sensitque cum illis sibi esse illusum falsa specie vaticiniorum, & illa pro nugis habuit; haud tamen impunè suam illam tulit pertinaciam priorem, quâ sibi superioribus in Gallia se durum præbuerat. In nosocomio Romæ ægrotis ministrauit, nec inde totis sex mensibus pedem vnquam tulit, tum domi cum adiutoribus laicis quotidiana officia obiuit aliquamdiu, vbique vero ita se omnibus probauit, vt Collegij Rector demum in Galliam redierit. Fœlicitate haud multum absimili fugam infelicem clausit Antonius Monizius nobilis Lusitanus: Hunc post magnam quam principio mouebat præclaræ virtutis expectationem, cepit tædium quoddam eius vitæ, quam sibi eatenus experiebatur periucundam: accessit mox tædio, animi ab ea, æqualis alienatio, & quod consequens est negligentia disciplinæ, & conditionis alterius cupido, in qua illi aut Deus, aut mundus saperet; ac tandem deliberata mens è statione discedendi. Pungebatur quidem holocausti rapina, quod de se Deo obtulerat, & sacrilegij exterrebatur facinore: tamdiu tamen perrexit secum perplexari, vt conscientiam mordentem ad suum arbitrium finxerit: decernens videlicet, vitæ genus sectari, esto probum, & sanctum, sed iuris sui, nullique subiectum. Illud enim de suo, ne seipsum quidem retinere, nec esse vel gressûs promouendi Dominum vel mouendi, tabes ei quædam videbatur, & lenta mors. Optauit igitur peregrini vitam perpetuo ducere, à qua nolens vi vlla verbísque dimoueri, ex Conimbriensi Collegio aufugit, quò ad Petrum Fabrum, missus Valentia fuerat, si quà posset curandus. Prima eius peregrinatio ad S. Iacobi in Gallœciam fuit, quam pedes, & solus exegit; si tamen solus, cui iam comes, at sera, obiurgatrix admissi pœnitudo. Sequutus est nihilominus suum iter Monserratum versus, vbi iam impar conscientiæ flagellanti, tristitiæ, ac perpessionibus itineris frigidissimi, egentissimíque; sed miseratione potissimum Beatissimæ Virginis adiutus, Romæ suos errores sistere decreuit, proiectúsque ad pedes Ignatij bonum reposcere, quod nisi perditum nescisset suo pretio æstimare. Sic desertione parentis, pannosa inopia, & ærumnis, prodigo similis, eius quoque in voces erumpens *surgam*, inquit, *& ibo ad patrem meum*, Romamque iter arripuit. Quod piè animo conceptum, morbus altiùs defixit, quo Auenione in nosocomio bimestri conflictatus, tantumnon priusviuendi, quam peregrinandi finem fecit. Verum vtcumque restitutus, corpus ægrè trahens inualidum, Romam tandem peruenit: illic non ausus in conspectum Ignatij se dare, nisi petitione veniæ mitigatum, ex

Lusitanorum

Lusitanorum pauperum hospitali domo quo se receperat, dedit ad eum literas doloris, & lacrymarum plenas, quibus ad misericordiam inflexus, educendum curauit Ignatius in alias ædes, vt illic pergeret, infamis fugæ sacrilegium expiare, priusquam coram compareret. At is interea, moræ illius piaculo minimè contentus, nudus zona tenus in publicum erupit, crudè in seipsum flagellis sæuiens, & luce palam Deo ac Societati vltroneum culpæ supplicium dependens, de quo ad iuuenis affinem, principem feminam scripsit Ignatius, stationum sacrarum quas obibat vias, multo sanguine notasse. Eratque illam iteraturus sibi pœnam, nisi ab eodem fuisset inhibitus; à quo breui postea vocatus, ea teneritate beneuolentiæ exceptus est, vt qui se pudore, & lacrymis confusus ad eius pedes iactauerat, præ interiori gaudio temperare à flectuo non posset, visus sibi quodámodo renasci, & nouam denuo vitam inchoare. Certè quidem hinc cœpit tanta religiosi laboris, & sanctimoniæ strenuitate agere, vt præsagire animo videretur breue sibi spatium ad metam superesse: nam aliquanto post lenta febri affectus, cruciatu longo contabuit. Ad extremum aduerto subiectorum lapsus, in iis qui præerant, quandoque Ignatium puniuisse, si vel eos cautè non anteuerterent, vel compertos, ipsi non punirent. Duos adiutores cum forte obuios habuisset, minùs composito, & modesto incessu, viuaci admodum reprehensione iussit ministri incogitantiam perstringi, in duobus iungendis, quorum neuter posset, incitamento modestiæ, vel exemplo comiti suo esse. Quod idem præstitit aduersus Sebastianum Romeum Collegij Rectorem, cum templa septem indulgentiæ causa adituros, passus esset aliquid panis, & vini secum in prandium deferre; nec probauit excusationem moris ab eo minimè inducti; culpam enim fuisse respondit, quod non sustulisset iam inductum; cum peius erretur quoties in vium longiorem, error fortuitus transire sinitur.

XLVII

S. Ignatius alienus ab statuendis legibus ob priuatos errores, & ab rebus nouis admittendis.

Obseruo nihilominus, etsi promptam manum iniiceret, primis laxandæ regulæ occasionibus succidendis, sed ab lege vniuersis condenda, ad priuati vnius emendandam culpam fuisse alienissimum; nec vnius ebrij scelere vites omnes ferro, & igni, sed aquæ liberalis correctione condemnasse. Tiro ille quem dixi, corroganda per vrbem stipe pudefactum, desertionem cogitasse; haudquaquã illum ad legem impulit, qua vetaret omnes in perpetuum nouitios ab eo piæ humilitatis munere amoueri; sed qua ij tantum ad hoc mitterentur, quos virtutis illorum securus mittendos iudicasset. Nec enim decere virtuti multorum campum claudi, quod vnus aliquis in eo cespitarit. Nec esse magnanimi pectoris, vt sibi quidam blandiuntur, sed debilis potius, & ignaui, idcirco benignam virtutis materiam subtrahere omnibus, quòd ea non nemo malignè vsus sit; id enim decretum nisi verbis tribus scribendis dictandisve non constat; peccantis autem quam velle debent iusta correctio, obnoxia est iis quæ ipsi deuitant obstaculis, querimoniis, & molestiis, quæ magni demum est pectoris superare, & coquere; Inde legum illa vix tolerabilis multitudo, paucitate semper apud sapientes

deterior

deterior habita; nam possunt quà opus est ferri; semel latæ, violari si cœperint, vnà & mali remedium vel perit, vel per magnas difficultates ægrè inuenitur. Nouitates porro tametsi pertenues, non patiebatur à quoquam inuehi; nec enim vnquam illic quiescere vbi nouandi principium fecerunt, sed vnius finem, gradum esse ad aliquid grauius. Quare Martinum Olauium Collegij tunc Romani primarium, Ribadeneiram, & alios, seuerè arguit, quod rure dum nostri feriarentur ab literis, ludum excogitassent quendam nouum, mali nempe aurati in orbem iactandi, ea lege, vt cui excideret, salutationem Deiparæ statim de genibus recitaret. Quid fuisset in illos decreturus qui opiniones in scholam nouas ausi essent intrudere, cum frequens in ore id illi fuerit, si sexcentos annos vitam produceret, reclamaturum se constanter, procul nouandi libertas, in Theologicis, Philosophicis, Logicis, adeoque etiam & in Grammaticis, nec boni vllius blandimento ad eam probandam adduci valuerit. Abstinentiam illam à consueta cœna quam diebus veneris tenemus, volebant nonnulli, legitimo mutari ieiunio; id quamuis exile attamen reiecit; Andream Galuanellum Venetiis Rectorem audiuit, allocutionem ad suos, profestis diebus per horam, festis vero per duas, habere: iis licet multi proficerent, censuit quibusque hebdomadis vnam sufficere. Eundem multauit Olauium, quod supra mensam librum intulisset; probum quidem, & quem legi exinde non abnuit, sed tunc nondum vsu nostro probatum. Ita bono suo nec commune fraudauit, nec dissimulauit, quod priuatus malè vsurparat. Bonæ mentis ardor, sed nimius, Hieronymo Natali pluris stetit, nam post inspectam illius mandato Hispaniam, semel & iterum vehementiùs quam decebat euincere ex illo conatus est, vt produceretur tempus quod nostris dum student ad orandum præscribit regula: hunc tam inquieto calentem feruore animum, & increpauit acerrimè, & magnam regendæ Societatis partem aliquanto prius in eum depositam, ei abrogauit. Intellexit vir sanctus non alios esse Ordinis dissipandi aditus proniores, quam si alicunde incipias: quantum enim tibi arridet illa mutatio; duplo tantum aliis aliæ placebunt, videbuntúrque necessariæ; sic illam veluti annulatim instituti catenam dissolui necesse fuerit, quæ nisi nexu constare non potest, cum nisi ex mutua partium ratione, & habitudine non coaluerit. In quo nihil mirum priuatos sæpius cæcutire, vt quibus deest is oculis, quem in fundatoribus Ordinum sol sapientiæ accendit: adde quod perperam omnino humanis regulis loco cedere iubentur diuinæ, per fundatores diuinitus traditæ. Quæ causa fuit Ignatio prouidentiæ exquisitioris, & prope scrupulosæ in rebus quoque leuissimis, circumscribendis modo stabili, ac firmo, ne vlli è posteris nouandi aliquid relinqueretur occasio, tametsi pro ea quã nactus esset potestate id cuperet: eandémque ob causam in summa rei egestate, compulsum se ait, emere Romano Collegio prædium ad reficiendos nostros à labore morborum, & literarij studij; vt ex eius prædij modo, atque vsu discerent alij quo pacto vti similibus deberent. Fuitque hæc fama dum viueret vnum esse in Societate vniuersa Recto-

rem, quod esset vbique tam sibi eadem consentiénsque gubernatio, vt ab vno geri non à pluribus videretur.

XLVIII. *Societatis famam quàtopere tuta tus sit.*

Denique certo persuasus Societatem, non suam sed Dei rem esse, (fuit enim hic eius sensus perpetuus, (nihil eorum omisit quæ ad conseruandam illius sanctitatem, auctoritatémque, & tuendam aduersus impugnantes famam præstari valerent: nulli ante fas erat ad concionandum, vel docendum prodire, quam ipsi & aliis quos secum assumpserat in eo genere versatis, experimentum dedisset suæ facultatis. Quibus à summo Pontifice, missiones, & grauis momenti negotia mandabantur, vti & cæteris quos ipse adhiberet, coram, & scripto tradebat monita, quæ in rem maximè facerent accommodata loco, & tempori. His Ioannem Nugnezium Barretum Æthiopiæ patriarcham, ad suam Ecclesiam è Lusitania discessurum muniuit; his Lainium, & Natalem, Cardinali Moroni ab Iulio III. ad comitia Augustana à consiliis datos; Pascasium, & Salmeronem à Paulo III. in Hiberniam nuncios; Iacobum Mironum, Lusitaniæ Regis obsequio destinatum instituit; suas etiam Manareo, cum gubernatore Laureti versaturo; suas Pelletario, duci Ferrariæ Herculi operam nauaturo; suas Pontificis ad tridentinum consessum Theologis Iacobo Lainio, & Salmeroni; suas quibusque aliis cautiones, & sanctimoniæ, ac sapientiæ præcepta tradidit, quorum causas, & mentem longum hic fuerit explicatius narrare, & commodior alias seruatur iis locus. Iam in Societate defendenda, primum hoc tenuit, ne qua re omnino aut nouos sibi aduersarios crearet, aut exasperaret acrius veteres. Quare vi nulla induci potuit, vt refelli ardentius censuram pateretur, qua Academici Sorbonæ Societatem crudè perstrinxerant; vel tumultuosè in eam aliquid moueri. Quod cum domi nonnullos ferre iniquiùs cerneret, nec illam amplecti nimiam placabilitatem, nec acquiescere satisfacienti sæpius illis Christi verbis, *pacem meam do vobis, pacem meam relinquo vobis*; publicam ad eos addidit cohortationem, qua vehementius contendit, nec esse religiosis mentibus liberum, tametsi grauiter offensis indignari, aut concipere aliquid vindictæ, sub defensione necessaria sæpius latitantis; nec pati prudentiam vt æternas, aduersus communitatem, præsertim illustrem, susciperemus inimicitias: ob hoc item Martinum Olauium redire ad theses noluit ab religiosis quibusdam in conuentu totius Ordinis positas, quod ex iis aliquas, sic exàgitasset, vt responsionem propugnanti omnem eriperet. Quippe illi splendor non placuit, quo obscurarentur alij; nec emendam vnius gloriam maleuolentia multorum, qui, vt nimis procliuè, offusum pudorem interpretaturi erant iniuriam. Eundem quoque Olauium rogauit vt ex positionibus Theologicis quas erat editurus, eam vellet delere, qua male affici poterant qui consueuissent diuersa sentire. In querendis quin etiam Deo cœlóque hominibus, in quo vires omnes optabat à nobis exeri; ea tamen id agi moderatione, & solertia cauendi cupiebat, ne cui iusta daretur offensionis occasio. Duo nimirum in Societate operarum feruentium dicere genera solebat, alios qui ædificarent, nunquam destruerent,

destruerent, qui suum ardorem ea caritatis, & prudentiæ æqualite temperarent, vt dum cunctis prodessent, nocerent nemini; qui sibi licere quicquid possent nequaquam crederent; sed hoc solum se posse quod liceret atque expediret: qui vbicumque periculum, aut etiam metus offensionum minaretur ex alienandis virorum, maximè principum, animis, religiosæ suæ modestiæ, humilitatíque id imputarent, quod summæ suæ ad iuuandos mortáles voluntati, aliena culpa non possent imputare: alios è contrario aiebat, ædificare vna, & destruere, telámque hinc simul retexere quam inde contexunt; ardere sed parum cauere; agi perturbatione magis & impetu, quàm bene cordata ratione; non attendere ex bono quod facere ambiunt, quid & quantum secuturum sit mali; ac modò quem volunt lucrentur vnum, ad decem quos interim perdunt ne quidem aduertere; velle, si quid ñs controuertitur, rem lite iuridica ad viuum dirimi, tumultu-, & turbis omnia implere, auersa etiam plærúmque ab Societate illorum beneuolentia, quorum fauore carere non potest ad liberam diuinæ gloriæ procurationem. Hoc genus, difficile dictu est, quantùm auersaretur Ignatius, vtpote vbique demissionis Christianæ, pacísque percupidus; ergo huiusmodi si quem reperisset in cuius impetu sanioribus mõitis frænado parũ felix fuisset; ligabat operatio illli manus, eumque à publicis ministeriis amouebat. Verum calumnia, & suspectæ doctrinæ, aut consuetudinis accusatio, si eam impeterent Societatis famam quæ ad salutem mortalium confidenter iuuandam necessaria est; assurgebat tunc scilicet in defensionem, vrgebátque rem omnibus machinis quoad de illa supremum pronuntiaretur, haud quidem aduersariis infensus, sed iustus depulsor probrosi nominis quo infamabatur opera conuersioni hominum destinata. Hunc stylum tenuerat aduersus fœderatos hæretici monachi, de quo liber proximus narrauit; hunc aduersus quendam postea tenuit Mattheum à Sancto Cassiano, Romæ veredariis præfectum, qui subtracta suæ libidini vel ab Ignatio, vel alio è nostris meliorem in vitam femina, in rabiem actus tota vrbe Ignatium, & suos, & S. Marthæ cœnobium (qui erat illarum miserarum ad pœnitentiam receptus) turpissimorum criminum latè traduxerat, vnde mox nonnulla gliscceret inculcante tam passim calumniatore, suspicionis fides; inde quod creditum fuerat præstantissimæ caritatis, timeri iam ne occultum foret flagitiorum commercium; inde multi tam sancto ab opere manum restringere, quam in subsidium illius cœnobij expanderant antea liberalem. Ergo Ignatius, Dei causam acturus, non suam, ad tribunal iudicum prouocauit; illic tam certis, & euidentibus veritatis patrociniis, innocentiam defendit, vt calumniator imminente Dei, & hominum vindicta exterritus, ad palinodiam publicam in campo Floræ, & professionem sui mendacij se nostris offerret. Sedenim sæua in Societatem, coorta Salmanticæ tempestas, totamque inde peruadẽs Hispaniã, fuit carminibus aliis dissipanda: patientia prùm constanti, & lenta; cui frustra diu adhibitæ, iuris præsidium efficax denique successit. Mouerat hos fluctus Theologus Monachus, clientelis suorum, & fama tàm potens, prope vt totum in eosdem conatus toto

illo regno Ordinem suum secum immiserit. Furendi causam haud aliam habuit, præter doctrinæ, & sanctimoniæ clarum nomen quod illic Deus Societati iam fecerat, ex quo ille cum suis, falso illam religiosi Ordinis titulo se iactare; fallaci doctrina illudere; vitam ducere peruersitate morum sceleratam; quæ vti sentire obstinarant, ita populo inculcabant, vt iam è pulpitis audiretur nihil, nisi Societatem Anti-christorum esse cœtum, quos multiplici parallelo nobiscum minutè componebant. Huic se turbini permittens Ignatius, ferendo, tacendo, Dei opem quærendo, experiebatur an valeret illum mansuetudine lentare: sed irrumpente illo ferocius quod nullius obiectu tardaretur, Petrum imitatus iactatæ nauiculæ metuentem, Christum excitauit, rogato enixe Christi Vicario, vt turbulentis illis comminaretur ventis, & fluctus impios coherceret. Annuit Pontifex; & dira execratione, pœnisque aliis eorum deuouit audaciam, qui auctoritatem summæ sedis aut spernerent, aut imprudentiæ carperent, in approbando Instituto, quod ipsi non satis probarent. Ne cui tamen hæc appellatio attribueretur prætérquam necessitati, diuinæ gloriæ vindicandæ, consilium suum probauit per literas P. M. Ioanni Auilæ sibi amicissimo, vt vbi res poscceret, posset vir tota Hispania, & talis & tantus, dicto scriptóque errorem iis demere, quibus forte hæc prouocatio minus patiens videretur. Contendit ergo iis literis, asseritque testimoniis tum patrum veterum, tum Theologiæ principum, propriæ famæ propugnationem necessariò cuique incumbere, cum eius neglectus in boni publici detrimentum euadit. Hoc vno se motum ad propellendum probrum quo bona, & innocens suorum, inurebatur existimatio; quod tamen aiebat præstiturum se quàm placidissimè, & qua maximè posset obseruantia, & suauitate, quibus si nihil promoueret, iturum se via opposita, quam necessaria defensionis religio suasisset.

XLIX. *Ratio bonos formandi superiores. Iacobus Miron.*

Duas egit has partes primarias gubernatio S. Ignatij, quibus debere Societatem regi, quidam ex antiquis illius patribus tradidit; quæ priuatum cum publico bonum ita consociant, vt suam vtrique mensuram modúmque conseruent. Hac vero duplici continentur voce. *Fortiter, & Suauiter. Fortiter, vt cum omni rectitudine sit ratio gubernandi efficax atque immobilis in vniuersum, & qua cum fine constanter, atque magnanimiter coniungatur. Suauiter, vt in particularibus, & rerum vsu adhibeatur moderatio, longanimitas, & sustinentia vt expedire videbitur.* Nunc post enarratam in formandis ad summam virtutem inferioribus, illius sanctitatem, cum pari prudentia coniunctam, superest demum, iisdem præsidiis, superiores quo pacto fingeret videamus, quæve illis præcepta magisterij huius impeditissimi scriberet. In quo excellentem eius peritiam edoctus Xauerius præsensione quadam sui post annum è vitâ discessus, magnoperè ab eo petiit Rectorem Goano Collegio, quem coram, sua ipse manu, ac voce formasset [Te per Dei amorem, & obsequium rogo (ait Cocino scribens) quod te sanctis pedibus tuis aduolutus, ex te si præsens istic essem, rogarem, mittas huc

huc qui Goæ Collegium regat, hominem caritati tuæ penitus perſpectum] & paucis poſt menſibus Goa iterum ſcribens [Per Chriſti amorẽ obteſtor, & obſecro huc deſtines, qui Goæ Collegio præſit, ſed tua ipſius manu lect s, vt enim ipſi doctrinæ ſuppellex non multa ſit, verum ad felicem, & Goæ, & tota India Societatis gubernationem, hoc ſolo abundè ſuffecerit, ſi tuo delectu probatus fuerit, Patres omnes Fratréſque huius Collegij nihil æque deſiderant, ac ſuperiorem, qui tecum diu verſatus fuerit] Parandis itaque ad curam aliorum idoneis, primam habebat delectus rationem, *Diu truti-nandus eſt*, inquit Caſſiodorus, *cui traduntur examina.* Hæc ſuis poſtremum negotia mandabat, & hac ad vltimum inſtituebat diſciplina, vt & Pithagoram apud S. Auguſtinum refert Varro, ſuprema documenta, de adminiſtratione reip. tradidiſſe; *tantos enim ibi fluctus videbat, vt eis nollet committere niſi virum, qui & in regendo, pænè diuinè ſcopulos euitaret, & ſi omnia defeciſſent, ipſe illis fluctibus quaſi ſcopulus fieret.* Porrò in talium delectu magnam quidem ducebat prudentis iudicij rationem, & decori grauitatiſque in moribus: verum adeo iis non acquieſcebat, vt ciuilem magis quam religioſum ornari rectorem iis intelligeret, niſi acceſſiſſent virtutes aliæ quibus ſolidius gubernatio fulcitur; nempe domitos habere animi ſui motus, qui fructus eſt reportatæ aſſiduo de ſe victoriæ; experimentum ſui diuturnum præbuiſſe in obſeruatione regularum etiam minimarum; in cauſa, & obſequio Dei fortem eſſe; paternum animum fouere; & eſſe ad obtemperandum ſemper expeditum. His auctos dotibus elaborabat Ignatius in ſuperiores, ac principio quidem periclitabatur illos in rebus impeditis, néve vſum regendi, ſuorum damno ſeriùs diſcerent, docebat illum nihil minus aduertentes: accerſebat non raro ad quotidianam conſultationem quæ vltra horam nec proferebatur; nec deliberabat niſi de vno tantum ex iis quæ tunc occurriſſent negotio: commendabat illis ſi quos haberet difficiles, & in religioſo propoſito nutantes; tractanda illis committebat peculiaria nonnulla, viamque monſtrabat, ea feliciter extricandi; integram illis interea permittens executionis libertatem, non quaſi rei ab ſe demandatæ, ſed propriæ, & cuius ipſi auctores eſſent; ſic enim ingenium ſubtilius acui, induſtriámque pertinaciùs operi inſtare. Confectis autem quæ præſtari ab iis optauerat, reuocare illos ad calculum; quærere ecquid ipſi ſibi feciſſent ſatis; laudare prudentiam vbi commodè exiſſet; vbi vero minus, indicare quánam potuiſſet fortunatiùs exire. Sic paulatim iis & oculos, & animos dabat, ad res ſuis auſpiciis gerendas, aquilæ in morem, pullos extra nidum experiundis alis, propiore giro prouocantis. Poſtquam autem ſatis perſpexerat poſſe tutò ſe illis confidere, tunc tandem gubernaculis admotos, per ſeſe illos volebat rem agere, ac ſi quando ambigui quid iuberet, quid auctor eſſet requirerent, reſponſum ex eo aliud non ferebant, niſi vt ſuo officio fungerentur. Neque vllo modo probare poterat, ſuperuacaneam, & ſæpè moleſtam Prouincialium quorundam agitationem, qui Rectorum ſibi ſubiectorum exercent

L. 5. ep. 40.

L. 2. de Ordine c. vlt.

gubernationes; vt neque Rectoris qui se in Collegij sui ministros singulos transformat, omniumque personas vnus vult agere, velut superior administratio cœterarum inferiorum peritiam, sui excellentia contineret. Legimus hac de re fragmentum Epistolæ quàm scripsit in Lusitaniam ad Prouincialem, qui nimius erat in rebus ex suo ingenio versandis, quas siue officij ratione, seu rationis officio, præstabat aliis permitti: verba sunt aurea, & ad eiusmodi omnigerorum hominum censuram omnino adnotanda. [*Non est*, inquit, *Prouincialis, neque Generalis priuata negotia curare, ac licet forent omnium capaces, & ad omnia habiles, securius tamen curanda hæc aliis relinquent, à quibus deinde ad Prouincialem, quid in iis actum sit referatur, eiusque postrema deliberatio petatur: præstat quin etiam conficiendæ rei facultatem omnem, ei concredere à quo tractata est, si valet eam absoluere; idque tum in negotiis animorum, tum maximè in temporariis. Equidem ad me quod attinet hoc seruo, magnúmque ex eo oneris leuamen, & tranquillæ consolationis fructum percipio, tibi verò cum pro officij munere constituendum sit, quicquid facit ad Prouinciæ totius vniuersum bonum, quantum ad hoc conducit optimi cuiusque à te sententiam audiri, tantò vtilius fuerit, executione singulorum tute abstineas. Motus quidem priuatos velut eorum auctor, & impulsor, certis definies regulis; at hoc satis habeto. Sic plura, & melius, & quæ gradus tui sint magis propria, non aliter perages, ac si per te ipse illa conficeres. Ac si quando ministros labi contigerit, tolerabilius fuerit à te illos erigi, quam te ab illis corrigi si forte laberis; quod certe haud rarò futurum est, si velis curam superfluam ad priuatorum munera conferre.* Hæc ille omnino sapienter. Tandem quos præesse aliis iusserat, si communi obessent disciplinæ, seu naturæ vitio, seu virtutis imbecillitate, loco illos constanter mouebat, vt duos ex illis, nouem primis instituti sociis amouit, Neapoli alterum, alterum in Lusitania; quod etsi vitæ, mentisque optimæ viri essent, parùm tamen secundos euentus haberent in interiori suorum gubernatione.

LIBER

LIBER QVARTVS

LIBRI SYNOPSIS.

NARRANTVR S. Ignatij virtutes trifariam diuisæ, quæ illum erga se, proximum, & Deum omni ex parte perfecerunt: Inde obitus ipsius: Apud viros magnos existimatio: Sententiæ, & dicta memoratu digna. Merita & honores eiusdem in sanctorum numerum relati.

I.
Difficilius est virtutes sanctorum scribere quàm alia ad eos spectantia.

SANCTITATIS Apographum de beati alicuius animo ducturus, expressúrúsque virtutum decora, ex quibus existit tota sanctorum pulchritudo, prope est in illam incidat pictorum inopiam, quorum ars summa id solum assequitur, vt eam speciem repræsentet, quæ sub oculum cadit; si nempe quod vnum in sanctorum vita exterius se prodit narrasse contentus, putet nihil sibi præterea memorandum, terræque diuitias, & fœcunditatem, viriditate ac floribus definiens, metalla, & venas marmorum, ac margaritarum quas claudit prætereat. Id habet innatum sanctitas vt animi opes occultet quàm maximè, & quò fit diuinis numeribus auctior, hoc ne proferant sese diligentius caueat; eum ferè in modum, quo cœlestia corpora, quantò ad solem accedunt propius, & illuminantur copiosius eius luce, tanto nobis videntur obscurius; eo vsque interdum vt nostros planè oculos fugiant. De sanctis igitur scribendo, non id modo latendi studium, exponi oporteret, premendíque virtutes, & dona humanis maiora (quod fuit in illis excellens meritum humilitatis Christianæ) sed hac ipsa illorum suimet occultatione deceret vti sagaciter, ad retegenda quæ ipsi absconderant; vt ex rudi conjectu veli, Mosis faciem inumbrantis, si posset in tabulam transcribi conformatio & decor latens à familiari Dei consuetudine in eum effusus, & imparibus mortalium oculis ad tempus subductus. Huc facit quod S. Ignatius cum quodam ex carissimis filiis colloquens aliquando dixit, partem bonorum cœlestium minimam quibus sanctos suos locupletauit Deus, illam esse quam nobis historia reliquit; cum enim auctores scribant ea tantum quæ nosse potuerunt, intactis cæteris; idem faciunt quod qui oceanum de vna illius superficie metiuntur, quæ vt immensum porrigatur denique velum est, quo obnubitur potius indeprehensa in profundum altitudo illius, quam nudatur:

nudatur : quæ ita de sanctis Ignatius protulit , excellentia scilicet illorum merita, quæ exterioris vitæ innocentia, & laude continentur , sanctitatis illorum tenuissimam esse partem ; vt ex eo quod illi excidit aliena laudanti, intelligeremus eum nihil minus cogitantem , sed Deo volente , sua extulisse ac manifestasse : misericordias scilicet diuinæ erga se bonitatis , haudquaquam iis omnibus se permutaturum quæcumque historici posteris de sanctorum gestis vitáque consignassent. Nam quod esset in iis summè præstans , maximéque diuinum , curiosè ab sanctis in mentis recessu absconditum premi, nec posse de eo nisi fallax edi iudicium , si ex iis solum quæ foris apparent æstimetur , vt is ridiculè erraret , qui thesauros aquarum inexhaustos illa metiretur particula, quam terra in omnium oculis per angustos meatus fontium dispensat : huius effati vis , si quà posset in legentium animos altè descendere , expleſſe me partes hoc libro susceptas arbitrarer, scribendarum S. Ignatij virtutum. At enim fuit in iis cælandis nimium solers, & diligens , vt erat sui contemptor eximius ; nec de interioris vitæ diuitiis emicare aliquid passus est , ex quo posset illius sanctitatis non dicam imago exprimi , sed vel vmbra describi. Ac nisi quæ pauca velut humi strati de illo suspicimus tanquam fastigia montium , altissimæque sanctitatis , ipse pro leuibus , & triuialibus habuisset , proinde nec secreto dignis ; multo etiam pauciora nobis ad scribendum suppeterent. Quanquam vtinam vel ad illud quod exiguum suppetit explicandum , argumento par facultas me iuuaret. Sed video in eo enarrando , præsertim sub finem illam emensuro caritatis illius erga Deum amplitudinem augustam;idem mihi futurum,quod circuitus illos stellarum errantium immensos repræsentaturis , quos in tenui puluere, palmaribus circulis circumscribunt. Ponam igitur primo loco qualis ipse secum ; dein cum proximis ; vltimo in Deum extiterit.

II. Ac primum quod attinet , sæpe auditus est licere gradum ad excelsa , & ardua molienti , nihil esse antiquius debere , quam vt ad infima descendat: nam summæ virtutis apicem ab imo assurgere , nec posse altioribus spatiis attolli quam quibus se ad ima depresserit : cuius documenti prius in seipso formam ediderat ; in eam etenim deiectionem sui , sanctimoniæ construendæ fundamenta misit, vt inde se illi religionem moturos sperauerint homines simul , & dæmones , firmitatem illius rationibus aggressi , ex mundana Philosophia repetitis : violari ab eo propinquorum iura , dignitatem familiæ deteri ; ne naturæ quidem officiis parci ; Dei quam gerebat imaginem iniurioſius habendo , seque non iam vt hominum postremum , sed veluti canem omni genere contumeliarum,& ignominiæ deturpando. Et hi erant prouentus , ex profunda illa sui cognitione progeniti , & prima quam altè imbiberat nihili sui æstimatione , ad quam graduum istorum præclaro ascensu ita descenderat , vt se cum hominibus vniuersis , cum angelis ipsóque cum Deo comparans , quam esset abiectus , vilisque per sese colligeret, quantò vilior ob admissa in Deum peccata, quæ quò nos longius à Deo semouent , eò concludebat ab omni se bono abesse longinquius , dignúmque

omni

omni execratione. [*Cogitabo* (ait in Excrcitiis quibus animi sui sensus speciemque impressit) *cogitabo meipsum quisnam aut qualis sim, additis exemplis quæ me in maiorem mei contemptum trahant, vt si mecum reputem quantulus sim ad omnium hominum cœtum comparatus: quid deinde sit vniuersa multitudo mortalium, si cum Angelis beatisque omnibus conferatur: post hæc attendendum est quid rei sit tandem quicquid est creatum præ ipso Deo creatore: iam quid homuncio ego vnus esse possum? Demum inspiciam corruptionem mei totius, prauitatem animæ, atque corporis fœditatem, ac me tanquam vlcus siue apostema esse ducam ex quo tanta sanies peccatorum, tantáque vitiorum lues defluxerit.*] Hunc ille præbuit aliis, cognoscendi sui archetypum, ex quo sui ipsius apud se typum formauerat. Ad hoc aliam item admouit regulam, quæ paucis totam complectitur religiosæ humilitatis scientiam; eamque vnum ex primariis patribus docuit, qui ad reficiendas animi vires, ex diuturna missione se Romam receperat. Magno siquidem is flagrans perfectæ illius humilitatis desiderio, ex eo rogauit si quam viam teneret ad hoc breuissimam. Hanc inquit, Ignatius accipe, maximè compendiariam, more scilicet, ac modo viuas mundanis hominibus planè oppositò; ab iis nimirum abhorreas quæ ipsi ambiunt, ambias vero à quibus abhorrent. Quod interioris hominis arcanum non communicauit tantum cum omnibus quicumque Societatem expeterent, sed illius simul vsum demonstrauit, ex Christi depromptum imitatione, quem his, planè diuinis, explicuit verbis, perpetuam daturis meditãdi, agendíque materiam, Societatis hominibus, humilitatis absolutæ, professionísque amplitudinẽ implere volentibus. [Præterea, inquit, diligenter animaduertant oportet qui examinantur, magnifaciendo, (summíque momenti id esse ducendo in conspectu Creatoris ac Domini nostri) quantoperè iuuet ac conferat; ad vitæ spiritualis profectum, omnino, & non ex parte, abhorrere ab omnibus, quæ mundus amat, & amplectitur; & admittere & concupiscere totis viribus, quicquid Christus Dominus noster amauit, & amplexus est. Quemadmodum enim mundani homines, qui ea quæ mundi sunt sequuntur, diligunt & quærunt magna cum diligentia, honores, famam, magni nominis existimationem in terra sicut mundus eos edocet; sic qui procedunt in spiritu, & seriò Christum Dominum nostrum sequuntur; amant & ardenter exoptant quæ iis omnino contraria sunt; indui nimirum eadem veste, & insignibus Domini sui pro ipsius amore ac reuerentia; adeo vt si sine offensione vlla diuinæ maiestatis, & absque proximi peccato foret, vellent contumelias, falsa testimonia, & iniurias pati, ac stulti haberi, & existimari (nulla tamen ad id per eos data occasione) eo quòd exoptant assimilari, ac imitari aliquo modo creatorem ac Dominum nostrum Iesum Christum, eiusque vestibus, & insignibus indui: quandoquidem illa ipse propter maiorem profectum nostrum Spiritualem induit, nobísque exemplum dedit, vt in omnibus, quoad eius fieri poterit, diuina gratia aspirante, eum imitari ac sequi (cum vera sit via quæ ducit homines ad vitam) velimus. Igitur interrogentur

Const. in Exa. c. 4. §. 44.

rogentur an huiusmodi desideria tam salutaria, & ad perfectionem animarum suarum tam fructuosa, in se sentiant] Debemus huic Ignatij experientiæ, incitamentis, & ad imitandum posito ob oculos exemplo, modum & regulã tantumdem agendi, quæ tam heroico & excelso in gradu locata est vt sui contemptor egregius Lainius fateatur, post auditam ex Ignatio quandoque de suiipsius cognitione, & contemptu hanc Philosophiam, abiecisse se animum atque ingenue professum, sibi nec alas ad tam sublimia tentanda suppetere, nec ad capienda intelligentiam, esseque hinc sibi, magnam despiciendi sui causam, quod ne sciret quidem seipsum despicere. Nec erat hæc tamen Ignatij meta, ad virtutis huius supremam gloriam anhelantis: eò enim suas in ea contentiones prouexit vnde *plus vltra* non liceat, cum tres distinxit classes humilitatis Christianæ, alteram altera celsiorem. [Primus, ait humilitatis modus. Hic est ad salutem necessarius, vt me penitus subdam diuinæ legi obseruandæ, vtque ne mundi quidem totius oblato mihi Domino, vel extremo vitæ discrimine obiecto, transgrediar ex deliberato, mandatum vllum diuinum aut humanum, quod quidem peccati mortalis vinculo nos obliget. Secundus maioris est perfectionis, vt fixo animo, ad diuitias, paupertatem, honorem, ignominiam, breuitatem vitæ, ac longitudinem æque sim propensus, vbi æqualis, est diuinæ laudis, & salutis meæ occasio, vtque nulla vel humanæ quantæcunque felicitatis, vel propriæ mortis conditione proposita, adducar vnquam, vt culpam, licet venialem tantùm decernam admittere. Tertius est est modus humilitatis absolutissimæ, vt priores duos iam adeptus, etiamsi nullo superaddito, laus Dei par foret, ad maiorem tamen imitationem Christi, eligam potius cum eo paupere, spreto, & illuso, pauperiem, contemptum, & insipientiæ titulum amplecti; quam opes, honores, & sapientiæ æstimationem.]

III. *Exere. pagin. 64.*

Ad hanc humilitatis Christianæ absolutissimam amussim, iam inde à primo repudiati sæculi anno se finxit Ignatius, eique condignis actibus respondit; rusticitatis, stultitiæ, ac stoliditatis opinionem ambire; sua palam vulgare peccata, & acerba illorum sibi improperia curare; pannosum incedere, spretum, nudipedem, squalore obsitum; inter sordes nosocomiorum cum mendicis, mendicorum modo vsuque degere, ad captandum nomen mendicæ originis, & virtutis laudem, necessitatis specie eludendam; stipem palam ostiatim rogare, quà scommatum messis, quam panis erat profusior; subsistere ad fruendam insolentiam conuitiantium; obtrectantibus gratiam, beneficia damnis reponere, vitare nobilitatis suæ conscios, & æstimatores sanctitatis; mendicantis cultu, victúque in patriæ luce, & propinquorum nobilium oculis viuere, hospitali pauperum domo, lætum, & alacrem, quasi vt Gregorius Theologus loquitur, præter mundi aspernationem, nihil sibi de mundo reliquum feciſſet. Ad hæc assimulatæ sanctitatis, maleficij, & fraudulentiæ accusationibus gaudere; iactatum per tribunalia, patrociniis vti nolle; in catena, & carcere gestire; & de illa catena, eiusque

pro

pro Christo susceptæ gloria, philosophari tam sublimi, & ignoto mortalibus stylo, vt mentis potius deiectæ, quàm criminis reus teneri catena videretur. Atque hi tot fructus humilitatis generosæ, ac solidæ, rudimenta fuere tantum eorum, quos ab initio spectarat: creuere siquidem iustis accessionibus, nec fuere ab tantis primitiis progressus degeneres. Etsi enim Ordo quem ex illo Deus tanquam parente formauerat; tanquam exemplari absoluebat, his illum vilibus publicè vsurpandis, vel inuitum arceret; haud tamen illa quoties licuit, omisit; desiderauit autem quamdiu & quoties grauioribus de causis licere sibi non credidit. Ardebat Romam obire seminudus, cœno, & cornibus deformatus ad præferendam insaniam, vertendáque in se vulgi ludibria. Patauium Venetiis dum transit in rusticulum incidit pastorem, cui tam nouus, & insolens viatoris egeni, vilis habitus visus est, vt in risum, & sannas effusus procaciſſimè insultaret; gradum hic pressit Ignatius, & seræno vultu spectandum se illi affatim præbuit, nec dimoueri ab Lainio itineris comite valuit, vrgente licet, & secum in viam trahente; negans puerum illum, exigua quam de se illi obtulerat fraudandum recreatione. Monitus vero ab Ribadeneira, annorum vix quindecim puero, iam Societati præpositus, quædam publicè dicenti excidere, nec valde hispanica, nec Italica satis; & gratissimum habuit, & institui ab eo ac discere quid emendare deberet, voluit. Sed hæc fortassis leuiora, illud magnum profecto præpositi munere, tamdiu se indignum censuisse, tamdiu constanter illud reiecisse, vt nec Lainio acquiesceret, hoc licet grauiter nec absque stomacho contestanti, dissiparetur sanè Societas, quantum ad se spectabat, si recusare pergeret eius caput esse, qui parens illius extitisset, fuit imperio confessarij res agenda, post commissam illi vitæ totius anteactæ confessionem accuratam, cum ampliſſima potestate ex iis, quæ audisset iudicandi, profitendique apud socios, illum Generalis officio indignum. Coactus denique oneri subire, nihil prius habuit quàm vt qui præerat omnibus, ministro se subderet omnium infimo, eadem accuratione, obedientia, & humilitate coquo dans operam, ac si vice mutata in coquum ipsemet, coquus in Generalem transiuisset: inde pueris fidei rudimenta, dies sex supra quadraginta tradidit. Post in eo regendi munere velut omnium seruus versatus est, repudiatis quæcumque exinde honorificum aliquid olerent, vt sunt Paternitatis, & Reuerentiæ tituli, nec aliud vocari sustinens quàm nudè Ignatius, communi cum aliis appellatione. Decennium fluxerat, iamque ad optimam gubernationem erudierat non paucos, cum sibi visus, deinceps nec necessarius, sed neque par muneri, quo se ob nouas suas suimet censuras, nunquam minus dignum fuisse sentiebat, abdicare se illo decreuit, vocatisque Romam quoscumque potuit primariis Patribus modestissima Epistola suam illis mentem ita exposuit. [Carissimis in Christo fratribus è Societate Iesu. Quod complurium mensium, & annorum consideratione nullo siue interioris, siue exterioris commotionis impulsu, ad maiorem laudem, & gloriam diuinæ Maiestatis consequi, & intelligere

intelligere potui, id nunc in conspectu Procreatoris, ac Domini mei, qui me in æternum iudicaturus est, exponam vere, & omni remota perturbatione. In me multa delicta, multáque vitia, & multas animi, corporísque infirmitates intuens, sæpè in eam penitus veni sententiam, mihi infinitis prope partibus deesse vires necessarias sustinendo oneri huic Societatis, quod in præsentia inductu, & impositu eius sustineo. Opto itaque in Domino rem diligenter expendi, & alterum deligi, qui melius, vel certè non ita malè regendæ Societatis munere fungatur, & hoc ad eum munus deferri: nec modo si meliùs aut minus malè, sed etiam si pari gesturus sit. Quamobrem in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti vnius Dei & Creatoris mei ego simpliciter, & absolutè quicquid muneris gero, depono, & abdico, quæsóque, ac toto animo precor in Domino tum Professos, tum quos illis ad hanc deliberationem assumere visum erit, vt hanc oblationem meam, adeò coram diuina Maiestate iustam, accipiant; sique inter eos, qui futuri sunt arbitri, forte non conueniret, per caritatem, ac reuerentiam Dei Domini nostri oro, vt impensè rem eius diuinæ Maiestati, commendent; vt omni ex parte voluntas illius perficiatur, ad maiorem eius gloriam, & commune maius bonum animarum, totiúsque Societatis, accipiente ipso omnia in maiorem suam laudem & gloriam æternam.] Et hæc quidem ad illos Ignatius. Verum Patres ad eam iacturam adduci non poterant, quam vix ipsa mortis suprema necessitas factura iis esset sat tolerabilem. Certè Hieronymus Natalis Roma in Germaniam profecturus anno 1555. Ludouico Gonzalez nihil ita iniunxit, vt sancti patris conseruationem, & valetudinem, ne ductu illius Societas destitueretur. Tam procul vniuersi ab scisscenda illius abdicatione abierunt, vt fuerit nemo præter Andream Ouiedum quin asseruerit; nulli se superstite Ignatio passurum Societatis clauum tradi. Ouiedum porro virum simplicissimi candoris, vt assentiendum Ignatio diceret, summa in eundem veneratio induxit; rogatus enim cur vnus ex omnibus tam diuersa sentiret; respondit, quòd Ignatius vir sanctus faciendum suaderet, cuius perspicaciori iudicio, suum ab se putaret subiici oportere; deceptus nimirum ea modestia, qua viri sancti longè se alios sibi obiiciunt, quàm ipsi re vera per se sint. Ita Ignatius suorum arbitrio stare coactus est, donec morbis afflictus grauissimis, illósque suæ prætexens modestiæ, concessum sibi putauit diuinitus quod fuerat ab hominibus negatum: tunc enim totum Præpositi onus in Hieronymum Natalem deposuit, vna sibi, vt diximus, ægrotantium seruata sollicitudine. Nec erat in posterum ad relictas curas vnquam rediturus, nisi publici boni necessitas plus apud illum priuata quiete valuisset; vices enim suas vidit illi ab se fuisse creditas, qui haud malo quidem, sed incautius ardente studio, mutare mox aliquid in constitutionibus niteretur, quas ei de cœlo inspiratas, interpolari ab hominibus nefas erat. Iam qui Præpositi honorem in exiguo Ordine auersaretur tantoperè, facilè dictu est, quantum ab splendidis aliis extra ordinem præfecturis, & dignitatibus abhorreret: & vero per iocum aliquando

aliquando insultanti sibi Aquilarensi Marchioni, quod suspicionem faceret captatæ per fictam sanctitatem, & sedis Apostolicæ tot obsequia purpuræ, responsione alia omissa, vultu asperato assurgens, capitéque aperto cruce se muniens, magna voce Deo votum nuncupauit, non solum minimè captandi, sed ne admittendi quidem vnquam dignitates vllas, nisi culpæ lethalis religione adactus, aliud agere integra conscientia non valeret.

IV. *Peculiaribus Dei donis ad maiorem sui abiectionem vtitur.*

Quantumlibet tamen abiectè de se Ignatius senserit, séque miris modis contempserit, plus est mea quidem sententia, tam singularibus atque continuis per annos ab conuersione quinque, & triginta exaggeratum Dei donis, nihil de se singulare sensisse, nulla sui tactum vel tenuissima opinionis magnæ illecebra: nam Christi & Virginis conspectus frequens, alienationes ab corpore diuturnæ, illorum imagines quæcumque possunt à mortali de augustissima Triade cognosci; perspicientia sublimium arcanorum; illáque voluptatum cœlestium, in riuos perennes lacrymarum copia; & coniunctiones animæ cum Deo, quibus ita eliquabatur totus, vt ægrè vitam retineret. Hæc, & quæ postea attingam argumenta Ignatio fuere confundendi sui, & erubescendi, quod foret virtutis adeò fluxæ, & eneruis, vt esset iis tot adminiculis inusitatis, & fortibus fulcienda, non secus ac ædes caducas, & in ruinam pronas arguit fulcrorum multitudo. Hinc illud eius magno quidem sui cum pudore dictum, sed valde seriò, repertum iri mortalium neminem, in quem extrema conuenissent ab sese tam dissita vt erant sua tot peccata cum Dei tot donis; & pœnarum tantarum commerita cum tam multiplici diuinæ misericordiæ vbertate. Quæ persuasio sic illi penitùs inhærebat, vt nec illa mentis ab sensibus aberratione, qua sublimè à terra rapiebatur cum anima corpus, aliud de se conciperet, nisi se nihil vsquam despicabilius esse, ac vilius. Hinc eius etiam illa vox lumine circumfusi, & in aëre sublimis, ô Deus! Deus immensum bone! qui me tam sceleratum sustineas. Hinc illa quoties de se loqueretur abiecta epitheta; illúdque chirographum quod initio literis subscribebat, *Omnis boni egens Ignatius*: domi erat nemo ad cuius aspectum, illum suiipsius non puderet. Itaque omnibus miseriorem se credere, sanctitatis partes notare in omnibus, quarum in se nullam aduerteret; optare sibi obstrui fontes illos delitiarum æternarum, quibus assiduè diffluebat; cupere dum in viuis foret neminem sui meminisse, nisi tanquam reiectitij, & aspernabilis; post mortem vero insepultum cadauer in fimo putrescere, aut esca fieri canibus: ac de bonis quidem supra modum humanum sibi cœlitus affusis, loqui poterat, absque vllo metu inanis auræ sibi afflaturæ; illa enim sibi velut carioso insertas ligno contemplabatur margaritas, honestantis liberalitati non suis meritis debitas, vt cui præter ignes nihil deberetur; haud tamen de se nisi admodum parcè, vtilitatísque alienæ studio compulsus, quicquam efferebat quod sibi honori verti posset. Petiit à Deo ne se miraculis conspicuum faceret, quibus solet vulgo prærogatiua sanctimoniæ deferri. Præ-

dictiones futurorum, licet sibi copiosè ostensas, pauciſſimas edidit, vel ad erigendam suorum fiduciam, vel Deo per illas auctoritatem ordini iam conciliante, cuius illum destinauerat parentem; ad hæc illi honorem exhibere, idem fuit vt eum pudore suffundere; tam certum enim animo tenebat, sibi præter lugenda nihil ineſſe, vt intelligere non posset, vndenam de se laudis materia cuiquam suppeteret. Fama erat inter nos tutelarem illi esse Archangelum; vnde illa ortum duxerit, incompertum. Illud scio post Sancti obitum, Mutinæ in arreptitia, dum S. Ignatij inuocatione vrgetur dæmon ad purgandam habitationem, cogique se ad fugam fatetur, custodem Ignatij nominasse Magni Archangeli titulo. Lainius vero teneræ illius erga se beneuolentiæ securus, cum ex eo quandoque fidenter quæsisset, de illa erga se Archangeli tutela quid esset? non aliud tulit ab eo responsum, nisi quod perinde erubuisse illum ait, vt virgo solitaria, & oculos fugiens ad inopinatum ignoti, & extranei hominis ingressum. Sed egit asperius cum quodam ex fratribus, qui inter colloquendum cum alio vocarat Ignatium magnoperè sanctum, qualem ipse reuera sentiebat. Hoc vbi cognouit sanctus Pater, grauissimè illum increpuit, quod dedecorasset sanctitatem, attribuendo illam sibi homini peccatori, & eam verbi contumelia læsisset; iussit vero in pœnam extra triclinium per dies quindecim cibum in loco sordidissimo sumere. Verum Patri Iacobo Equiæ, affinis huic sermo, fortassis vita ipsa stetit, confessiones Ignatij audire solitus, conscíusque illius mirabilium arcanorum, nisi cum quadam laudis hyperbole de iis loqui non norat; cuius pœnam erroris luere præcedenti libro hunc vidimus: imperare tamen sibi non poterat, quin modos sibi nihilominus quosdam effingeret, quibus sibi putabat licere eorum aliqua præbere indicia quæ vetabatur explicatius aperire: palam enim optabat, orabátque, paucas horas superstes Ignatio viuere, per quas solutus silentio quod quamdiu is in viuis maneret, iussus illi fuerat seruare, posset ea efferre, quibus attonitos faceret audientes. Refert autem Oliuerius Manareus, tunc à patribus pro certo habitum, hoc Equiæ votum de producenda tantisper eo fine vita, causam fuisse illius decurtandæ, & S. Ignatium humilitati suæ consulentem impetrasse, vt esset potius aliquot diebus suo confessario posthumus, omníque cum Eguia eorum memoria interiret, ex quibus poterat etiam post mortem Ignatius, sanctitatis opinionem incurrere.

V. Reliquum est de hac viri sancti abiectione excellenti, quo nec dici posse in hoc genere arbitror, aut quicquam perfectius, aut cogitari maius, tametsi forte multorum oculos fugerit, nec leui contuitu valeat deprehendi: virtutem enim quantumuis heroicam, si ab ea discedat gestorum mirabilitate, quæ nobili specie aspectus hominum suspendit, vix pauci, iique in paucis perspicacissimi suo pretio æstimant; vnde porro ad hoc, postremò applicuerim animum, haud erit opinor ingratum legere: B. Magdalenam de Pazzis Carmelitanam Monialem, crebris cœlestium exploratísque visis dignabatur Deus. Huic se virgo mater, Decembris octauo & decimo, an-

ni

ni 1594. spectandam præbuit media, inter sanctos Ignatium, & Angelum, Martyrem Carmelitam, quos secum duxerat: illum humilitatis, hunc vero paupertatis futurum ipsi præceptorem. Docendi principium fecit Ignatius, cuius verba, vt in similibus, mentis ab sensu auulsæ motibus solebat, clara voce, & interdum subsistens, ipsamet referebat. Quæ hic bona fide reddenda censui. [Ego Ignatius lectus sum ab sponsi tui parente Virgine, vt tibi humilitatis religiosæ traderem disciplinam; attende sis igitur quæ sum tibi dicturus, arbustis recens in solum religiosæ familiæ transiatis, affundenda est humilitas, vt lucernæ suggeritur oleum, vtque vas totum infuso oleo occupatur, ita humilitas, veraque ipsius cognitio, debet in iis animæ facultates sic totas peruadere, vt quocumque se vertant, nihil nisi humile, ac mansuetum in illis occurrat. Quemadmodum autem non potest ellychnium absque oleo ardere, sic neque teneræ arbores perfecta splendebunt sanctitate, nisi perpetua illis ingeratur humilitatis cognitio, eiusque vsu exerceantur assidue, & doceantur quantoperè monialibus veris sit necessaria. Est vero humilitas, nihili sui continuata cognitio, sapórque omnium iucundus atque continuus, quibus anima in sui contemptum inducitur, eo vsque suarum facultatum, dum viribus omnibus compositissimis potiatur. Sed curandum contemptiones illas quibus deprimitur, vt in eum quem dico tranquillæ mentis apicem euehatur, immobilis perferat, & firma; repetátque memoria, in religiosæ vitæ proposito, nihil se præterea quæsisse: ac ne quam hîc partem dæmon inueniat, arte opus est vtatur, nouitiarum Monialium prudens nutrix, deprimendis nimirum earum iudiciis, & voluntatibus, si obstare sibi: aut ferre impatientius eas aduerterit, seuerè reprehendat, & magnum illis iniiciat, in re quanquam non magna scrupulum: verum hinc oleum deiectionis dum suggerit, inde balsamum instillet, efficiátque intelligant, quantùm Deo honoris, quantùm boni ad ipsas ex eo redeat; quàm præclarum opus moliantur, ita vt amore humilitatis sanctæ inardescant, & præter illam nihil velint, aut spirent. Verbis, gestu, operibus, præferri humilitas exterior debet; verbum omne quod eam non oleat non minus vitari, quam vulgo vitetur sacrilegum; quicumque dedecet humilitatem gestus, in religione tam sollicitè caueri, vt qui honori, & famæ in sæculo censetur contrarius. Actus denique in quibus humilitas non lucet, perinde oportet auersari, vt esset Rex potens, auersurus aspectum à pecuarij filio centonibus induto. Tantum iis qui præsunt, humilitatis inesse opus est, (post data scilicet illius, nota de se exempla) vt dum arguunt, hortantur, & eiusmodi alia obeunt, non cogantur eam exerere. Ita sit sponsarum quælibet, Religiosas dico, animo comparata, vt possit aliò transferri, possintque qui regunt, suauissimos quosque fructus, maximéque pretiosos, vel in editum solum, vel in valles transferre, plantatione interim minus pretiosorum passim continuata. In virtutis excelsæ fabrica sponsas decet assimilari lapidibus templi Salomonis, malleo nunquam obstreperis; nam si quæ aptantibus ad ædificium obstrepent, deportandæ

tandæ sunt ad fontem, vt partim amore, partim seueritate sic inebrientur, ne possint labra diducere, sed tanquam ebriæ in dulcem collabantur somnum; quibus autem hæc sancta displicuerit humilitas, iis sponsus tradatur præ manibus de cruce suspensus, doceantúrque hunc esse quem in se exprimere debeant, nulla ipsarum quamdiu spirauerit, hoc humilitatis gymnasio absistat; & qui animas curant, exercere illas quamdiu in corporibus manserint, hac humilitate nunquam cessent; est enim ascensus tot surgens gradibus, vt nunquam desit quo altius scandatur; iterandúsque est sæpius per eosdem gradus, multiplicatione actuum ascensus: quibus hæc deest humilitas, extra se euadere nequeunt, in iis enim sexcenti affectus pullulant, & curiositas innumerabilis, quibus implicitæ detinentur. Quo modo corporatum verbum, hominum piscatores fecit Apostolos; sic & sponsas suas in prædam animarum misit. Abundè te humilitate iam paui; paupertate pascendam nunc te alteri trado.] huc vsque illa ex ore S. Ignatij de humilitate Christiana. Iam verò beatæ alterius ordinis Virgini, datum à Virgine Christi matre, doctorem humilitatis Ignatium, præ cæteris omnibus qui virtutis huius luce claruerunt, visum hominibus in ea eximiè versatis, nisi singulari in eadem Ignatij merito non posse tribui. Haud quidem quod nouum aliquem illius gradum inuenerit, sed quod in summum hunc illius apicem tantis animi viribus artéque tanta contenderit, vt in eum tandem possessor quietus euaderet; nempe humilis esset absque vllo exterius humilitatis indicio; humilitatem & contemptum sui, humilitate premens, opinionem viri humilis vitaret, quæ est humilitatis minus tectæ gloriosa quædam pedissequa. Fuit humilitatis eius hoc tam singulare ingenium, vt quibuscumque nitere poterat, solerter omnia occultaret, & hanc ipsam occultationem sic dissimularet, vt quibus erat parum notus, putarent illum non dissimulanter sed reipsa, virtute destitui; qui flos est, cremórque lectissimus animi seipsum proculcantis, & sequacem humilitati gloriam callidè auertentis, quò spernendus, & vilis, non autem humilis videatur. Importunis suorum precibus fatigatus, vt quod fecerant viri sancti, ad filiorum consolationem, de se, rebusque suis aliquid diceret; diu primum negauit; tum ne crederetur humilitatis studio negare, vt magnifica sua, & grandia obscuro premeret, ita cessit illorum precibus, vt iis videretur & satisfacere, & hoc ipso tamen satisfaceret latendi desiderio, suísque contemnendi. Dictauit igitur sub finem vitæ Ludouico Gonzales breuiarium quoddam rerum, quæ sibi ad annum 1543. à conuersione contigissent; cætera remisit ad P. Natalem eorum minime ignarum. Cauit autem prudenter; ne ad Iacobum Equiam ea remitteret enarranda, cui scilicet interioris vitæ suæ recessus omnes patefecerat confitens; & voluit de se pauca tantum quædam beneficia resciri diuinæ erga se largitatis, ne opinionem incurreret hominis aliquid celantis, sed qáicquid haberet memoratu dignum, id omne vel per se dictasse putaretur, vel Natali dicendum reliquisse: de illa itaque cum Deo communicatione domestica; de nexu; arctissimo

mo familiaritatis cum eo intimæ de rerum perspicientia vltra humanas latentium, quas edisserere sermone ne penes ipsum quidem fuerat, verbum nullum fecit: nec sanè illius sed Dei gratia residuum habemus paucarum ex multis schedarum fasciculum, quibus adnotabat quotidiana sua cum Deo commercia, hæque solæ alias comburenti, bona nostra sorte exciderunt, quæ licet perexigua sint de tot annis illius, particula, menses tantum complexa quatuor; sed tam multa, & tam insignia exhibent, vt vel ex iis quæ inde decerpta exscripturus sum suo loco, futura sit facilis de thesauris ingentibus quos mente fouebat coniectura. Hac etiam arte humilitatis occultandæ, primorum qui Romæ tunc erant sociorum examini, atque iudiciis constitutiones subiecit, ac securus licet, nec vnum apicem in iis immutandum, quod eas etsi manu sua, sed Deo scripsisset, suggerente: sat egit attamen, vt neque diuinæ, sed ne suæ quidem viderentur: cumque iam pariter auctoritate Pontificis obtinerent, vim totam qua possent in vsum publicum conferri; sed postremum hunc actum supremæ potestatis, maluit primo post suum obitum Generali conuentui seruare. Verum huius artis in demissione sui singularis, perfectum specimen mors eius edidit, sola, obscura, pæne dixerim omnibus destituta. Sciebat paucas sibi horas restare; miserat sub noctem qui sibi tanquam ea nocte abituro è vita, postremam à summo Pontifice posceret adprecationem; quòd tamen medici censerent dies aliquot fore superstitem, hoc ille ipsorum iudicio vsus est, vt qualis in vita esse contenderat, talis etiam moreretur, obscurus, & extra omnium præterquam Dei oculos positus, & ignotus. Quare præsensione instantis obitus silentio pressa, eorum arbitrio se permisit, qui paucos adhuc illi dies spondebant ita; nec Vicarium sibi dixit, nec vllum sibi habuit excubantem, nec vidit circumfugentes filios quibus bene precari, & verba posset suprema dicere, solus nisi mox cum esset animam efflaturus, è vita discessit.

VI. S. Ignatij Obedientia.

Iam huius tam altæ humilitatis partus sunt nobiles, Obedientia, & paupertas. Illa nobis, hæc nostris nos spoliat, vtraque ad illud prouehit locuples nihilum ad quod anhelat humilitas. Obedientiæ quanquam Ignatio ad Societatis clauum residenti, seges angusta præbita sit, vbicumque tamen se obtulit, palam fecit, de illa haudquaquam præcepisse se maiora quam egisse: nam si vltro operam coquo daret, non minus illius obseruabat nutus, quam dierum paucorum nouitius tiro: medicis ægrotans sic morem gerebat, vt eorum iussu, ad prostratarum leuamen virium, ieiunia solueret, quæ ad feriam quartam sanctioris hebdomadæ ægro conatu perduxerat, nec de eo quod pauxillum restabat litem medicis mouere, pietatis putauit satis perpurgatæ; foréque Deo gratiorem voluntatis mactatæ victimam, quam carnis, integra voluntate. Extremum quin etiam periculum adiit, ne à medicorum præscriptis abiret; nam iunior medicus, stomachi dolores ex incendio iecoris, ratus ex frigidiore ventriculo iacentem cruciare, omni arte opéque id egit, calorem vndique illi accersere, potiones itaque calidas propinare,

pinare, feneſtras, foréſque occludere, ne quid auræ ſubiret ſcrupulosè iubere, obruere ſtragulis, æſtu caniculæ quæ tunc ſæuiebat iam prope obrutum. Tacere ad hæc Ignatius, & pati, quamuis calamitoſa remedia, & curationem exitiabilem ſatis aduerteret, nec vocem aut pro ſe, aut contra medicum hiſcere, tametſi dolores, ſitiſque furerent, totúſque ſudoribus nataret, dum mortem denique vicinam paraturus, commendata, vni ex patribus rerum ſumma, rogauit ad ſe admitti neminem præter ægrorum adminiſtrum; & hic demum nimium patuit, illa adiectitij caloris violenta incendia quam ſtragem in eo facerent. Curritur ad Alexandrum Petronium præſtantiſſimum medicum, & ſancto viro ſummè beneuolum; qui decumano perculſus periculo vociferari aduerſus imperitiam iuuenis medici præſidentem, ſtragulas omnes proiicere, cubiculum pandere, frigida ſæpius potare, & frigus illi vndique accire, quo paucis diebus integrè illum reſtituit. At vero Pontifici incredibile eſt quanta voluntate, iudicio omnem in partem quam prono & facili ſubderetur. Ex quo ſe illi voto mancipauit in Eccleſiæ obſequia vbiuis gentium procuranda, nunquam hanc potius in partem optauit, quàm in aliam mitti, eius ſemper impulſum opperiens cui ſe plenè deuouerat. Idque adeò verum, vt prius etiam quàm approbaretur Societas, Lainium audiens ad iuuandos Indiæ barbaros deſideria vertere, quòd excluderetur Palæſtina; Ego vero, ait, neque iſto, nec ſimili alio deſiderio tangi me ſentio, & ſi ſentirem prorſus abiicerem; mirantique dictum Lainio, Ecquid, addit ille, Pontifici voto obſtringimur, quoquo verſum iuſſerit properandi? idcirco in omnes æquè regiones propendeo, nec mihi, ad me quod attinet, optabilior oriens occidente, & ſi mihi aliquò procliuior animus vergeret, vt vergere te ais, torquere illum tamdiu in oppoſitum conarer, dum recto in cœlum vertice, neutrò inclinaret. Senio tandem morbiſque confectus, aiebat identidem ſe nihilominus vt erat, ſi vel innueret Chriſti Vicarius ſolo baculo nixum in Hiſpanias iturum, imò & ad oſtia Tyberina tranſmittendo mari fortuitam quamlibet conſcenſurum nauim, inermem licet, malo, remigio, & gubernaculo carentem: nec in eo parendi opere vim vllam ſibi ſuiſque cogitationibus facturum, obtemperaturum potius tranquillè admodum, & iucundè: quæ cum ex illo audiret aliquando, ex iis ſapiens vnus, quibus eadem eſt humanorum, diuinorúmque lanx, non ſine aliqua ſarcaſmi comitate. At hæc Pater Ignati! cuiuſmodi, ait, foret prudentia? cui Ignatius, imperantis eſſe prudentiam, non obedientis, ac ſi qua pars eius ad obedientem pertineat, hanc eſſe ne velit prudens eſſe, vbi deſinat eſſe obediens.

VII. *Paupertas Ignatij, & Societatis.*

Erga paupertatem, quam religionis murum vocabat firmiſſimum, mira teneritate afficiebatur, matrem appellare ſolitus, amaréque vt matrem. Quare illam ab Societate, coli tam celſo in gradu voluit, vt conſiſtere non poſſit cum Societatis Inſtituto inferior; debemus enim animarum vtilitatibus (qui ſcopus noſter eſt) opportuna parare præſidia; ea magnam partem literarum ſtudiis continentur, diuturnis atque perpetuis, quæ multo-

rum

rum annorum experientia vir sanctus didicerat parum feliciter cum mendicatione conuenire; aliunde vero cum lege sanxisset Societatis ministeria esse omnino gratuita, sapienti consilio statuit, destinata scholis collegia oportere annuis censibus instrui, vti etiam probationis domos, quæ sunt Collegiorum quædam initia: Professorum vero planè nullis; cum sint velut hospitia peregrinantium, stantiúmque in continuo procincta ad peragrandas, mittentis arbitrio regiones. Sic autem communes Collegiorum prouentus colligauit cum paupertate singulorum, vt nec commoditate Collegij ditioris, quisquam sit ditior; nec egentioris tenuitate pauperior: suppeditantur omnibus ex æquo necessaria, ad vitam inter labores Instituti, mediocritate moréque pauperum fouendam, præter quæ nefas est quicquam ab vllo possideri, ex vno in aliud collegium migranti, secum inde nihil licet adsportare, nisi tantum scripta, quòd nihil præterea habeat; quibuscumque vero ad victum eguerit, ad vestes, & ministeria iuncta, ea illic in promptu habiturus, iisque vsurus non tanquam suis & dominus; sed collegio toti communibus, solo vtendi beneficio contentus. Et crescant licet accessu quolibet Collegiorum reditus annui, cuiusque demenso nihil propterea accrescit, nec eius commoditati accedit triobolus; sociorum dumtaxat augetur numerus pro ratione commeatus, singuli similiter habentur vt tenui olim re, & angusta fieri consuerat. Vnus semper idémque rerum modus, commoditatibus necessariis ab initio definitus, quibus vt semel rectè consultum est, rei propriæ ius omne excluditur; quod alioqui haud alio magis quam necessitatis aditu videmus in religiosos ordines subire. Quibus enim deest vnde suos alant, facilè conniuent in eorum imbecillitate qui hæc foris accersunt, qui ea sibi priuatim vindicant, qui necessitatem in commodum, & superuacaneum denique inflectunt. Professorum domus stabili censu sic interdicuntur, vt ne in sacrarium quidem templúmque is, liceat; ab Collegiis vero nec illa possunt admittere, quæ stipis nomine vulgo ab aliis admittunt, quantumlibet graui arctentur inopia; aliàs confisæ liberali Rectorum caritate, nunquam totæ ex Deo penderent, nunquam spe certa humani subsidij carerent. Qua de re quotannis sub Christi natalem ex Lainij Societatis Præpositi decreto, Rectores olim præclarum iurabant, sanctúmque iusiurandum, nihil ab se de temporario Collegij reditu, in professos collatum: *Testem inuoco*, aiebat vnusquisque Rectorum, *cum omni reuerentia Deum, qui æterna veritas est, quod ex bonis temporalibus Collegij, nihil ad vtilitatem professorum, vel Domorum eorum conuersum est, contra Societatis constitutiones quæ id prohibent; quod quidem mihi innotuerit.* Præluxerat huic Ignatius, cum ingens ceræ pondus Romam domui professæ à Panormitanis Collegij patribus domo missum, adiudicauit Rom. Collegio, ex quo si vel foret in solatium ægroti petenda vini lagunicula, ne id quidem fieri passus est, nisi alterum tantum refundendo; aiens inter Collegia, & domos intercedere magnum chaos. Huius paupertatis suo in gradu conseruandæ, aut si quid in ea mutari oporteret, attol-

lendæ magis atque adstringendæ, peculiare votum solennibus quatuor professi adiungunt, *Promitto*, inquiunt, *Deo omnipotenti nunquam me aliturum quacumque ratione, vel consensurum, vt quæ ordinata sunt circa paupertatem in Constitutionibus Societatis, immutentur, nisi quando ex causa iusta rerum exigentium videretur paupertas restringenda magis.* Iam quo paupertatem prosecutus est affectu Ignatius, eodem iucundè fructus illius legere gestiit: ex quo enim cruci Christo confixus est, præter Christum sibi nihil reliquum fecit. Exinde illi nosocomia vel apertum cœlum pro diuersorio; pro veste, vilis, & aspera cannabe; deterrimum quodque corrogatæ stipis pro diurno victu. Oblatas repudiare pecunias; ingestas per vim amicorum piorum beneuolam, vel erogare in egenos, vel in fortuitum abiicere occupantem. Post hæc autem factus Societatis parens, eique Præpositus, sic paupertatem adamauit, nemo vt esset domi pauperior, Sacræ paginæ, & sacrorum ad rem diuinam codex, cum libello de Christi imitatione, tota eius fuere supellex libraria. Totus cubiculi apparatus idem illi, quem quondam Elizæo Sunamitis instruxit *lectus, & mensa, & sella, & candelabrum.* Mensa quamuis ferè illi accumberent qui aut Romam peregrè aduenissent, aut aliquis ex primis patribus, ita erat præparca vt ei nihil posset detrahi, quin detraheretur necessario victui: itaque lepidè aliquando Babadilla partem sibi paratam decerpens cibi crassioris appositi, quódque tunc deterius valeret, facilè nocituri; subridens addidit, *Modicum venenum non nocere*, tantulam scilicet eam notans, vt si foret vel toxicum, impunè edi posset. Dispensatorem, & ministrum quandóque seuerius habuit quod recentem vuam sibi intulissent, quam in triclinio cœteris non appositam erant. Sed huic eius paupertati generosum quiddam, & nobile inerat, quod posset etiam in locupletibus laudari singulare; quantumuis enim accisa re esset, ac prope nulla; litem cuiquam ob temporarias rationes nunquam mouit, suóque iuri maluit cedere, quam ob sibi detracta, iniquiorem animum testari. Ex quo præter decus Christianæ magnificentiæ, duplex lucrum aiebat proficisci; alterum caritatis cui par auri pondus nullum esset; alterum diuinæ liberalitatis de suo abundè supplentis, quod vidit vltro sua causa contemni: ac multo cauebat diligentius, ne inter se nostri de similibus iurgarentur; cumque duo Rectores de sui quisque Collegij rationibus dissiderent, nec finem facerent altercandi, repentino inuento collegiorum curam iussit inuicem mutare, ita pulchrè vtrumque sedauit. Margaritam Austriacam Caroli quinti filiam multos annos audiuit confitentem, hæc ad eum sæpe ducentos, interdum trecentos mittebat aureos, quos suo arbitratu pauperibus partiretur; at is mentem illius quanquam optimè sciret eam esse, vt nostræ quoque inopiæ, vbi visum foret, inde succurreret; nunquam inde obolum subduxit, sed fideliter ad leuandam piorum locorum egestatem distribuit, & accuratissimam de iis tenuit, accepti, datique rationem. Nec erat solum alieni munificus, quod iure suum facere potuisset: verum & de tenuitate domestica alienæ penuriæ perlibenter, necessaria

suggere

suggerebat. Indicarat illum Cardinalis valde opulentus nobili cuidam admodum egenti, vt aliquid ab eo subsidij posceret; huic quod non supperet aliud, quicquid domi pecuniæ repertum prolixe largitus est, dolens apud eum humaniter quod non esset is diues, quem sibi finxerat Cardinalis, dum eum maluerat ad se destinare, quàm eius inopiam suo facili sumptu consolari. Caucbat ad hæc multa industria, ne pauperes subleuans, eorum verecundiam oneraret: quare ad inopiam redactis præsertim si forent nobili genere; & prole grauatis, cui essent impares quotidiani artificij quæstus, reculas aliquas elaborandas dabat, & largam labori reponebat mercedem, vt quod erat opus piæ caritatis, pretium operæ crederetur.

VIII. Cum hac paupertate, suæ nihilominus tenuitatis in iuuandis egentibus prodiga, gratum iunxit beneficiorum ac memorem animum, eumque à propriis rationibus seiunctum, ac liberum, nec enim solum prof. sus est gratiam, æstimauitque illam pro benefacti pretio, & magnitudine; sed eam quantum in se fuit, nullo vtilitatis admixtu retulit. Ioanni Pasqualio apud quem fuerat aliquamdiu hospes quid gratiarum rependerit, olim initio diximus; quàm benigne sua, iam cœlo donati, aspectabili præsentia illum dignatus sit, confirmaritque fidem, ab se adhuc in terris posito, illi datam, fore scilicet illum sine dubio saluum. De crucifixi etiam effigie, suarum eatenus comite, ac solatio ærumnarum, quam ei reliquit grati animi carum pignus: Caucllio item pio clerico, qui sibi Manresæ ægrotanti victum deferebat, quod vnum habuit reliquum, preces horarias Deiparæ, tradidit: exilia fateor, sed ab nihil præterea habente, valdè grati affectus monumenta. Isabellam Rosellam, quæ illum de radiis circum ex ore micantibus Barcinone sanctum agnouerat, & multa iuuerat liberalitate, consueuerat matrem compellare, eidemque Romæ post Societatem constitutam, à confessionibus diu fuit. De Cardinali Gasparo Contareno, tanquam inter primarios summè in se benefico, quoties incideret loquebatur, quod eius potenti aduocatione Societatis confirmationem à Pontifice impetrasset: scribens vero ad Regem, & Cardinalem Lusitaniæ, Societatem, rem ipsorum vocabat, permittebátque illam eorum prouidentiæ, quod eam suis in ditionibus regia planè munificentia diffudissent. Duci Ferrariæ, Cardinali à sancta cruce, Proregi Siciliæ Ioanni de Vega, & Chartusianis Patribus à quibus Societas foucbatur magna significatione caritatis, obligatas æternùm gratias semper professus est, ac vbi alia deessent, suis ac suorum ad Deum precibus contendit partem nominum vtcumque exsoluere, quibus se norat iis obnoxium; nec dissimiliter erga eos se gessit de Societate, qui eam aliquo singulari beneficio decorassent. Ad Xauerium quidem scripsit, non posse illius vllo vnquam tempore non esse memorem, quod viro sancto, & incredibili amore erga illum affecto, maximi præmij loco fuit. Hieronymo Natali mandauit, vt Michaëlem Turrianum velut oculi sui pupillam custodiret, cui se fatebatur ingenti obligatione gratiæ teneri: Lainio verò, quàm cuiuis alteri Societatem plus debere aiebat, nominabátque illum Societatis

summam rem, totámque faustitatem. Sed fuit eius in Petrum Codacium grati animi significatio insignis, & inusitata. Hic primus ex Italis Societatem amplexus est, cuius desiderio, magna Pontificis cui erat percarus, & aulæ fauentis, magna obsequia, valere iusserat. Societate inita sic eam amauit, tamque sollicitas, & industrias operas in ea Romæ sustentanda tam strenue admouit, vt fundationem etiam stabiliret, quæ tunc quidem sat esset domui professæ, vocaretúrque Societas religio Patris Petri. Die ergo sacris ritibus solemni, expleto prandio, assurgit Petro Ignatius, & aperto coram capite, prolixè gratiam testatur, quam illi tum ipse, tum tota deboret Societas tanquam fundatori. Oblatáque illi candela cerea, seipsum vna, & sacrorum, precúmque ingentem numerum obtulit; sub quæ multo cum fletu Petrus, acceptum (quando id Ignatius iubebat) cereum, statim post reddidit, addens vel hoc vno quod esset admissus in Societatem mancipatúsque diuino obsequio, se tanto ac tam multiplici nomine obstringi, vt nullis officiis partem eius vllam assequi valeret. Nostros porro quocumque proficiscerentur, iubebat cum primum in vrbem venissent, illos salutare, à quibus essemus beneficiis ornati, redderéque ab se pia munuscula seu reliquiarum, siue granorum piacularium, aut noui aliquid de nostrorum procul in Dei gloriam egregiè gestis, maximè vero Xauerij in salute Indorum Laborantis; & sicubi aliquid, esse crederetur eorum vtilitatibus commodare, nostras libenter postponebat, etiam vrgentes & necessarias. Hieronymi Arcei doctoris beneficentiæ, multum Romæ debebat Societas, eum vix ab Hispania reducem, lecto morbus grauis affixit: tempestas erat valetudini admodum infesta, & domi ægrotabant multi, quorum se vnicè cura pungi, sæpè aiebat Ignatius, ne tamen amico, & benefico viro, deesset leuamen, quo nullum poterat dari præsentius, fratrem valetudinarij custodem ad illum misit, adfuturum iacenti, & ministraturum, nec prius ab eius latere quam conualuisset recessurum. Interea ipse hominem quotidie visere, solari, omni sedulitate recreare. Eundem animum, simúlque generosum paupertatis studium tenuit aduersus Andream Lipomanum Venetum, qui fundando Patauij Societatis Collegio prioratum abdicarat, dempto solum quod sibi ad victum sufficeret. Verum Ignatius, totam legitimo Syngrapho, annui reditus dispensationem integrè illi cessit, vetuítque nostros inde vel cicum exigere, eo solum contentos, quod stipis nomine vltro is dare voluisset. Neque id tantum, sed etiam Prioratus summa re distracta, partem fratris eius filio attribuit, ex qua aureos caperet quotannis quadringentos; quanquam factum pius patruus improbauit, nec passus est quod semel Deo consecrasset, ad suos redire.

IX.

Compositus Ignatij animus, suorúmque affectuum Dominus.

At stylum nunc mouent ea virtutum ornamenta, quæ Ignatium in sui cultura fecere mirabilem: harum haud scio an vlla clarior, magísque illius propria, quam illud dominum in animi sui motus imperium, quod eo vsque porrexerat, vt passim dicerent qui diu cum illo vixissent familiarius, nihil in eo cerni, ex quo alia vnquam nisi rationis, & virtutis impulsione

agi

agi videretur : Lainius nominatim,& Frusius, ambo in paucis Ignatio intimi,aiebant in eo motus ingenitos,mutata natura,gratiæ famulari,idque non tam iubente voluntate, quàm sponte ac genio naturæ;eum ferè ad modum, quo subuectæ medio cælo aquæ, non sunt tempestatibus, & ventis obnoxiæ, quibus hæ nostræ inferiores agitantur, sed velut cœleste ingenium indutæ,cœli motus sequuntur constantes, & ratos. At ei nequaquam aut indoles inerat per sese densior, aut rebus & annis retusa, vel crassiori pituita lentior, etsi hoc diu à medicis creditum : tranquillum id atque immobile natiui ardoris, magno vsu nisúque domiti interpretantibus, ex temperiè frigida progigini,cum è contrario in eo bilis ignita exundaret quam rem inter alios conspicati, magni ingenij doctores, & perspicacia interioris hominis acuti Michaël Turrianus, & Christophorus Madriolius, Hispani ambo, argumentum putarunt absolutissimæ virtutis, motus omnes, alioqui viuaces, sic ad manum habere morigeros, séque ob hoc solum in disciplinam Ignatio, & Societati tradidere; nullo quamlibet nouo, & inopino casu, efferri prospero? vel aduerso affligi; nihil improuisum, sed quicquid accideret, videri omnia tum pridem animo præcepisse, tum etiam ventura expectasse;omnes illi horas easdem fluere, eundem à prandio qui ab sacro; nulla petendi, agendíve seruanda cum eo discrimina; valens an ægrotus; gratiosus an exagitatus; felici an secus nuntio affectus adiretur, nihil quicquam interesse : cuius rei ignarus quidam ex patribus, videns lassum ex palatio post expectatum diu frustra ad Pontificem aditum rediisse, negotium distulit, quod erat cum eo tractaturus; moræ huius causam postridie apud illum excusantis, vrbanitatem reiecit tam acriter, vt scribat is Pater se per octiduum, non ausum in eum aspicere, nedum illum affari. Vt vero animo, haud secus & vultu (in quo se tota mens & pingit, & mouet) imperturbatus, & nunquam non idem, ita vt ab suis diceretur, os beati præferre, nimirum vbique, ac perpetuo serenum. Quare illum expleri tuendo non poterat Gaspard de Quiroga Toletanus Archiepiscopus, qui Romæ cum illo identidem egerat. Certum nihilominus, hanc serenitatem interdum nubilo asperasse, nempe cum esset aliquis obiurgandus, in quo sic assimulabat irascentem,vt maximè serio irasci iudicares; at enim vt maris non minus irati, ac susdéque turbati, maiestas pulchra est, ac decens, quam immoti atque compositi, vt inquit Ambrosius, sic erat persona indignantis ab Ignatio assumpta, quæ licet interdum viros graues, verborum pondere ad pedes abiiceret, responsione cassos; & fletu confusos; nihil tamen ore præferebat quod plus dignitatis quàm iræ non saperet. Idque ipsum reo abscedente, ponebat illicò, veluti ad tempus, deliberato susceptum iudicio, non turbulenta impressione concitatum. Hæc autem sedati animi alta pax, & quies affectuum, quàm nulla casuum subitorum insolentia moueretur, fidem facient pauca quæ refero. Adnatum aliquando faucibus tumorem fasciola stringi oportuit, hanc dum supra aurem valetudinis curator assueret,eadem punctione auriculam corripit, at is neque sensum doloris, nec

fratris

fratris incogitantiam vllo motu aut voce testatus, placidè tantum, aduerte sis frater Ioannes Paule, nam etiam fasciæ auriculam consuis. Aliàs quiddam inspecturus quod nostro in rure ad S. Ballinæ ædificabatur, fallente vestigio summis è scalis præceps ruit, tantóque id impetu vt P. Iacobus Guzmanus qui ei socius aderat, actum de illo putauerit, vtpote aduerso pariete labentis cerebrum contrituro, ac euidenti quidem miraculo inhibitus est impetus ruentis, cum esset proximè caput allisurus; sed is magnitudine repentini periculi, nec colorem, nec situm animi mutauit, ac ne respexit quidem, quod fere assolet, vnde prorusset, sed ita frigidè abiuit, vt si scalis quam commodissimè descendisset. Die quodam, in domo piorum amicorum de rebus diuinis colloquenti, adfuit anhelus ex cursu nuncius, & insusurrauit in aurem nescio quid; bene habet, inquit Ignatius, & hoc solo remittit; pergítque eodem quo prius tum ore, tùm voce per horam integram de Deo disserere. Sub discessum, rogatus ecquid illi triste nuntius attulisset, vt qui turbationis aliquid vultu indicaret; nihil admodum, ait, nisi quod apparitores ob nomen contractum aliquot nummorum, domum nostram tenui sua suppellectile spoliant, verum lectos si nobis auferent, ad quietem humus non deerit; neque id pauperes, quales profitemur, & sumus dedecebit. Hoc modò ex iis impetrabo si potero, pauca quædam mihi relinquant scripta, etsi nec de iis si valdè obstiterint contendam, habeant illa, & iis bene vertant. Sub hæc comites salutans recessit: at Hieronymus Astallus viro sancto coniunctissimus, statim pro illo fideiussit; & die insequenti, submisit Deus vnde fieret creditori satis, nam Hieronymus Arceus horum prorsus ignarus, ducentos aureos domui professæ pia donauit liberalitate, quibus importunum, & impatiens nomen deletum est. Sed fuit alterius haud paulo iniquior, diuturniórque infestatio, hic Ignatium, & suos nulla quam proferre posset ex causa, perditè auersatus, vt vidit domum sibi vicinam coëmisse, primùm eius atrij partem sujs ædibus vsurpare; tùm animantibus molestissimè streperis implere; inde quà ipse atrio imminebat, tam dirum fragorem excitare, vt habitari obuersa cubicula non possent: eumque accersiri triclinio lumen nisi illac non posset; nunquam passus est illic fenestram aperiri, adeò vt totos octo annos, vltra quos etiam hæc concertatio tenuit, non raro de media die, discutienda nox lucernis fuerit. Quibus omnibus id agebat vir bonus, non vt suo tantum morem gereret peruerso genio, verum vt Ignatium quoque adigeret ad vexationem indignam & barbaram, domus suæ coëmptione redimendam, quam domum nisi immenso pretio nolebat amittere. Querimonias tamen de nostris Roma tota ferebat, sibi per nos viuere non licere, crearíque sibi propterea tot tantásque molestias vt eum domo pellèremus. Quid plura, eo denique peruenit intoleranda vexatio, vt eius vitandæ necessitas, hominis improbi auaritiæ cesserit, & ære quà stipe, quà beneuolentia collecto, persolutum domus quodcumque illi ponere libuit pretium. Domo igitur excessit, verum ita nudata, vt non eam emptori habitandam, sed hostili prædatione dissipatam deseruisse

ruisse videretur: quicquid ex ea ianuarum, fenestrarum, sectorum lapidum, quicquid ferri diuelli potuit asportauit. Ignatius attamen, nouennio integro pestem hanc importunissimam, tam patiens tulit, vt nec moueri litem, nec questus sit, nec sensum iniuriæ aliquem, aut offensionis ostenderit: in eam domum quasi gratuito concessam, siue in nudos magis parietes perinde subiit, vt ab omni re commodè instructos. Nec mentis illi, verborum, & vultus constantia leuior, cum anno 1555. turbante Roma ob motus Neapoli surgentes, gubernatorem vrbis cum omni apparitura Paulus IV. domum nostram misit scrutaturum armorum copiam, cuius illic absconsæ maleuoli suspectos nos Pontifici fecerant: inspectores enim fronte aperta, & hilari accepit; iussitque à patre qui sibi ab secretis erat per omnes angulos circumduci, viderent, quærerent, explorarent ad imas ab summis ædibus, quantum libuisset: vbi cum nec vmbram armorum reperissent, idem qui ante serenus, & alacer, honoris gratia illos ad ianuam deduxit, quasi apud se vrbani aditus officioso munere perfunctos. Sed hac diffidenti domus insontis exploratione nihil immutatum, haud adeò mirum sit, cum ne turbandus quidem foret casu Societatis funditus excisæ, si Deo sinente quandóque contingeret. Id enim de se non dissimulauit, cum die quodam ægrotantem vetarent medici quicquam cogitare, ex quo mœrorem conciperet: hinc enim omnibus quæcumque possent incurrere maximè luctuosa ob oculos positis, animóque exactis, nullo sibi eorum motus primos doloris impressum iri professius est, nisi si forte dissiparetur Societas; quod si nihilominus, sua absque culpa euenisset, addebat, se intra quartam horæ partem, collecto tantisper ad Deum animo, tranquillitatem pristinam recepturum, etsi salis instar aqua multa diluti tota Societas defluxisset: erat tamen Societas eius opus palmare & vnicum, maximis laborum, & ærumnarum impensis sumptuosum, magnámque in Dei gloriam, & vtilitatem Ecclesiæ comparatum. Ac illud demum cadit etiam in sanctos, quod pulchrè de Deo Augustinus; etsi enim, ait, de se dicat *cœlum mihi sedes est*, cum tamen se ipse sustineat *non sic est in cœlo quasi subtracto cœlo ruinam sine sede formidet.* Ita dubio procul viris sanctis, nihil potest tam gloriosum, & grande subtrahi, vt illo suo tranquillæ mentis excidant firmamento, quo in Dei vnius solo nutu securi conquiescunt. Quàm verè autem sic de se Ignatius senserit, in obiecto sibi Societatis interitu, palam fuit in creatione Pauli IV. cuius paulo ante facta est mentio: ad primos siquidem illius nuntios, attonito similis (quod vnum in vita commoti animi signum dedit) & cogitabundus, totum sese collegit, quasi multa præsagiens, ac timens; tum sacellum tacitè ingressus, post breuem precationem, ad suos lætus vt antea, & vultu exporrecto rediit, aiens, habituros amicum pontificem; haud tamen adeò, quin Societatem esset habiturus patientia multa exercitam: euenítque non secus vt dixerat, eius enim dum vixit beneuolentiæ, & austeritatis alternas vices experta est, provt illum suæ mouebant cogitationes, & credulitas quam præbebat, nostra sibi vel

Isa. 66. Ps. 113. conc. 1.

criminantibus, vel dilaudantibus. Erepto quidem viuis Ignatio, lectus in Vicarium Generalem Lainius ab eo primum exceptus est incredibili testificatione voluntatis, seductus in secretum conclaue, familiari collocutione sat diu detentus, demúmque magna dimissus comitate; quod cum nostris domi patribus narraret, fuit quorundam ex iis coniectura, suis in cœlo precibus egisse virum sanctum, vt quæ prædixerat ipsemet, euentu carerent opinato, cum iis initiis fundari spes magnæ viderentur: sed enim breui versa scena, cœpit nimium verax sancti vaticinium probari, rediens enim occasione cuiusdam negotij ad Pontificem Lainius, iterum ac sæpius affatu exclusus est, tandémque ab vno ex Cardinalibus in conspectum inductus, & supercilij minacis, & verborum acerbitate hæsit exterritus; libellum tamen porrexit supplicem, quo patronum in quadam Societatis causa postulabat, ad quem Pontifex monosyllabo annuens, & (designabimus) nihilque præterea, Lainium valde sollicitum dimisit. Detonuit postea hæc nubes iussis ad Examen constitutionibus reuocari, num forte iis aliquid vel detrahendum, vel addendum: sed Deo secus prouidente, nullum res exitum habuit. Lainio autem iam Societati præposito cum aliquot patribus ad se adeunti, vt quem magni fecisset alias, & vero etiam sacræ purpuræ destinasset, peculiarem sensum beneuolentiæ erga Societatem testatus est, beatam appellans, hortatúsque ad crucem, fortiter perferendam, vt quæ esset à Deo ad labores, contumelias, & vexationes, mortésque pro Christo, & Ecclesia subeundas vocata. Supremo denique in morbo iam morti proximus multo ampliora tum dixit, tum si vita suppeteret, in Societatis gratiam promisit.

X. *Ignatij modestia exterior.*

Ex tam diligenti, pulcréque dimensa latentis Ignatij compositione, illa eminebat exterioris conformatio vndique castigatissima. Patauij quidem, ex arreptitio, cui nec visus vnquam, nec forte auditus, describebatur à dæmone coram Lainio, Hispaniolus quidam, staturæ infra mediocrem, debilitatus crure, alacribus oculis; erat enim viuaci, & iucundo aspectu, qui lugentem posset & afflictum facilè recreare, sed demissis fere incedens luminibus, & velut extinctis, bonam in iis partem repræsentabat modestiæ quæ in illo vbique elucebat, explicabátque florem honestatis, à Matre Virgine acceptæ, cum ab eo Loiolæ, sensum omnem tulit improbæ voluptatis, vt de illo idem quod de viro quodam sanctissimo B. Ennodius, merito diceres, ignorasse tamdiu se carne vestitum, donec moriens eam exueret. Huius ornamenti ductum de se præclarum exemplar, nobis exhibuit duodecim regulis comprehensum, quas modestiæ nominauit: iis religiosa vrbanitas fingitur, vocaturis ad Deum homines, plusquam credi possit necessaria, tum quod silens est quædam & fortis oratio quam habet *Philosophia, elinguis*, non solo habitu sed etiam exemplo; tum quod, *imago quædam animi loquitur in vultu.* & in quem non valet sese oculus penetrare, hunc iudiciis hominum exterior species exponit. Agendi modesta comitas index est præstantis animæ, habétque vim, saltem in negotio pietatis, nihil ominorem prima fronte, quam illæ in profanis commendatitiæ quas aiebat non nemo

Tert. de pallio c.6. Ambr. l.6. hex.c.9.

ab

ab natura in gratioſorum vultibus exaratas. Stetere Ignatio eæ leges multarum ſumptu lacrymarum, repetitiſque ſepties apud Deum precationibus, quod faſſus eſt ipſemet, notare coactus miniſtrum domus, negligentem illarum quaſi leuium exactorem. Contra vero Deus quanti eſſe deberent, manifeſto ſatis conſeruatæ multis vitæ beneficio patefecit; viri ſancti mandato promulgaturus illas erat Lainius, iuſſi erant adeſſe quotquot domi tunc erant; etiam (quod nunquam antea) ex nouem primis: dicebat Lainius in illud Iacobi Apoſtoli *Ecce nunc qui dicitis, hodie aut cras ibimus in illam ciuitatem, & faciemus ibi quidem annum, & mercabimur, & lucrum faciemus, qui ignoratis quid erit in craſtino.* tractabatque de paruis non parui faciendis, vbi parua illa, magnorum ſunt lucrorum præſidia; cum ecce auditur fragor ingens ædificij ruentis magno concuſſu domus vniuerſæ. Peracta promulgatione ad videndum quid eſſet concurritur, vidéntque tectum corruiſſe ſub quo ſoliti erant illa ipſa hora piis colloquiis animum laxare: quare ſublatis in cœlum manibus, ſeruatæ vitæ gratias agere, interpretaríque diuini conſilij fuiſſe, commendare nobis tam propitio oſtento illarum momentum regularum; quid autem eæ poſſent, & ad earum cuſtodiam quantum Ignatij exemplum valeret, vel inde perſpicitur, quod vbicumque noſtrorum aliquis prodiret, ex vno inceſſu, habitúque totius oris, & corporis agnoſceba ur ex Societate; &, quod ait ſcriptor illius temporis, ex illa vnius collecta modeſtia, intuentium animis omnes alij recurſabant: quibus autem in legem tranſierat, vt noſtra omnia in deterius caperent; ſimulatam dicebant probitatem, & hypocriſim nominabant, ad quæ, faxit Deus, inquit Ignatius, huic noſtræ hypocriſi quotidie aliquid accedat; notánſque Salmeronem qui cum Bobadilla tunc præſens aderat, ego, ait, in Societate præter hos duos, hypocritam, & ſimulatorem agnoſco neminem; ioco nempe ſerio innuens, plus illos virtutis abdere quam proferre, poſſéque hoc nomine haberi hypocritas, quod meliores eſſent, quam videri vellent.

Eius item quam deſcripſi m ntis, ad virtutis normam compoſitiſſimæ, fructus fuit Ignatij ſermo, linguam enim, & mentem, ſic inter ſe natura commiſit, vt horariæ machinæ artifex, libramenta rotarum, & indicem, quem exerrare neceſſe ſit, ſi rotæ errotem præiuerint. Si foret, vt fit, interdum aliquis acriori pungendus reprehenſione, nunquam exibat in verbum aliquod ex quo reus vel contemptum ſui, vel offenſionem interpretari poſſet; nec enim iuuandi ſtudium, iræ vox ſubibat, ſed partes communis diſciplinæ, ac priuatæ emendationis, tranquilla ratio peragebat. Quamcumque vero rem ſuſcepiſſet, vel narrandam, vel adhibitam ad perſuadendum, natiuis tantum & propriis volebat, non adſcititiis veſtitam conſpici; nec conſequentibus ex ea trahendis immorari, nec à ſe multa comminiſci; nec ad multa reflectere animum; ex quo illud iam inualuerat, plura ipſum paucis, quàm multis alios complecti, & eſſe verba rebus quas diceret pauciora; nam vbi alij vt multum dicerent, multa dicere ſatagebant; ipſe vt quàm pauciſſima diceret, attendebat magis quæ deberent omitti, quam quæ poſſent XI.

adiungi, quo Verum, penes quod ius victoriæ est, vires promeret suas, nec tanquam luctator ambitioso cultu grauis, implicaretur potius, & impediretur vestibus quam decoraretur. Obseruatum præterea à Ludouico Gonzales, Ignatium olim ab se narrata memorantem iisdem vsum & verbis, & ordine, quibus illa primum ante multos annos enarrasset; ita enim res expressisse, vt qui ex viuo illas ducit, non ex arbitra lenitate, quas licet mille apographis depictas, iisdem tamen lineamentis vbique exhibet, vultúmque eundem reddentibus. Promittendum si foret aliquid, præstandi tempus attendebat, exigebátque ad facultatem exsoluendi, pollicendi liberalitatem: Cumque honesto viro nescio quid facturum quandoque spopondisset, quod postea multo quam putasset difficilius facta compererat; affirmauit ab decem & amplius annis, nihil sibi eiusmodi excidisse. De rebus aliorum si loqui incideret etiam fama peruagatis, cautè admodum id agebat, laudabat parcè ac prudenter, vituperabat nunquam; præsertim vero in factis virorum principum, de quibus quisque iudicandi garriendique ius sibi arrogat: nihil vnquam damnabat qualemcumque tenerent gubernandi modum, publici etiam sermonis insimulatione; ac ne illa quidem attingebat, quæ possent ab iis commodè fieri, futuráque essent ingenti bono si fierent, ne videretur eorum aut prudentiam carpere qui ea non cernerent; aut æquitatem qui probè perspecta non agerent. Ex Pontificibus quatuor sub quorum imperio fuit, vnum palam fama lacerabat, tum seueritatis miniæ, tum aliis de causis; è contrario ipse inuestigare, curiosè quicquid eius in laudem faceret; conquerentibus apud se extraneis illa opponere; domi autem vetare, ne quisquam de illo querelas sereret, quamuis non ambiguè teneretur male in Societatem animatus: quare patri cuidam Roma in Belgium eunti, manoperè indixit, de rebus illius, & animo in Societatem, ne quid nisi bonam in partem efferret, obiicientíque, haud satis sibi expeditas pro illo excusationes; ergo inquit, de illo nec verbum facito; de Marcello sis loquere, qui & Cardinalis, & dein Pontifex, Societatem affectu dignatus est, æterna digno memoria. Argumentum porro de quo cœperat colloqui, nisi ratio poscceret non mutabat, réque ipsa memoriam vellicans linguam etiam prouocaret; si cui verò secus coram facere accidisset, eum vt commonefaceret solebat, responsione supersedens, tantísper seipse intra se segregare, illumque interim tacens aspicere. Scribunt denique illi à quibus complures annos auditus est, eius verba fuisse legum similia, æquitate, pondere, ac modo ad rerum momenta, & naturam exacta; & *Summaria quidem in verbis, in rebus vero prolixa* quod de oratione Pythagoræ aiebat Maximus Tyrius; quam legum pariter stylum retulisse memorabat. Quæ quidem Ignatij loquendo, sapiens grauitas, multo fuit scribendo præstantior, apex calamo nisi meditatus non exibat: quas suo nomine dabat scribæ manu ad varios literas, & retractabat accuratè, & emendabat seueritate censoria; contigítque vt commentario, quem nostris de rebus, ad Sorbonæ Doctores Martinus Olauius breuissimum dabat, horas tres attentus insisteret, vocatis

ad

ad trutinam vocibus singulis, tanquam apud illos excultæ doctrinæ homines ad obrusam probandis. Alias cuiusdam è patribus, inconsiderantiam in scribendo, monitam cupiens, Ego nocte hac inquit, scripturus Epistolas plures forte triginta, nullam missurus sum, quam non sæpius legerim; & quas mea manu scribi oportebit, bis terne descripserim, ad tollendas lituras, quibus illas emendo, vel excolo.

XI. Fuit Ignatij, quod narraui, in seipsum constans imperium, & sub eo imperio docilis motuum omnium obedientia, flecti prona quamcumque ratio in partem iussisset; quicquid tamen hactenus retuli, duabus lineis impar est, quibus Ludouicus Gonzales plenius eius animum comprehendit, aiens, Ignatium qui contuerentur, audirent, obseruarent, viuam inde hausisse libelli disciplinam de Christi imitatione ab Thoma de Kempis conscripti: quem sapor delectat germanæ pietatis, & eius opusculi assidua lectio, nouit de excellentia virtutum, quam altè mirabilitérque præcipiat, & affluxu quàm largo, sanctimoniæ reconditioris ex eo flos omnis exuberet; isque imprimis, atque præ omnibus, qui est omnium pretiosissimis, illa nimirum tantopere magistris ascetices decantata suiipsius abdicatio, & interioris hominis cruci cum Christo confixio. Venit hic libellus in manus Ignatij, pœnitentis adhuc Manresæ nouitij, qui sic eius prima dulcedine captus est, vt nunquam postea carere illo potuerit. Librorum piorum perdicem vocare solitus, totum virtutis absolutæ, vitali ex succo, spiritúque concretum. Inde caput quotidiè ordinatim legebat; sed tractu lento, interiecta passim meditatione, ductóque sensim cœlesti pabulo terræ in morem, guttas omnes tenuis pluuiæ auide combibentis: per diem vero, quà sors ferret, aperiebat illum identidem, relegebatque quod primum occurrisset, & vero semper occurrebat, quod in rem præsentem faceret, siue doloris leuamentum, seu robur animi fatiscentis, siue tentati consilium, erátque hic ipsi perpetuus consolator, consiliarius, & comes. Quos vero in Christo multum diligeret, eos hoc libello velut singulari pignore donabat, iturúsque Cassinum cum procuratore Caroli quinti Ortizio, Exercitia spiritus illic obituro, totidem secum ex iis libris tulit, quot erant in cœnobio monachi; dedítque singulos singulis, digna planè haud minus accipientibus, quam dante, grati animi honoraria demonstratione. Huius ergo libelli, opere expressa recensio, fuit ratio vitæ quam Ignatius tenuit, sed mirè potens ad inspectantium animos, imitationis eiusdem studio inflammandos. Quare nihil potuit ipsius filiis venire optatius, Romana commoratione, quod vel vno ex eius aspectu ingentes haurirent ad perfectam virtutem spiritus. Atque hinc Lainij lacrymæ quoties Roma esset recedendum; hinc eiusdem crebræ contestationes, sibi acerbius in vita nihil esse, quam procul ab Ignatio viuere. Hinc illud etiam Simonis Rodericij affirmantis, post votum Indiarum, nihil se ardentius cupere, quàm vt Romæ Ignatio mancipij loco (sic enim loquitur) inseruiret. Hinc illæ demum procul agentium literæ, repetentium dulcem memoriam illius temporis, quo versati cum illo fuerant,

iisque inuidentium quibus dabatur cum eo degere. [In ea schola (inquit Canisius Romam scribens ad quendam ex amicis) paupertas diues, libera seruitus, humilitas gloriosa,& Iesu in cruce morientis amor nobilis, verè & solide discitur. Equidem quoties in mentem reuoco, philosophiæ illius formosissimam speciem, cuius omnibus vobis magisterium in promptu est, agnosco, Romæ quid boni possederim, quid illinc recedens amiserim, damnarique me negligentiæ, & socordiæ, interius sentio, quod breui dum licuit tempore tam opportunis præsidiis non fuerim vsus ardentius.]Sic Romæ professorum domum, sua quadam Epistola Polancus, viuente Ignatio cor Societatis eleganter vocauit, ex quo illa vitam vt fonte duceret; caput ex quo agendi principium & motus; pectus ex quo virtuti nutriendæ, & corroborandæ confecta duceret alimenta. Quæ vitæ fœlicis ratio, in suimet cohercitionem atque imperium assiduè incumbens, accendebatur Ignatij adhortatione, huius enim erat consuetum ferè argumentum, de interioris hominis conformatione; de allidendis ad crucem voluntatibus cuiusque propriis; de comprimendis affectionibus animi, subiugandísque ad nutum diuinæ rationis, & extra domesticas cohortationes, in familiari etiam sermone, qui semper de Deo, vel ad Deum erat, nihil inculcabat sæpius, & vrgebat, vt illud *Vince teipsum.* Quod ex eius disciplina sumptum Xauerius tam altè imbiberat, vt nostris inter Indos nihil æquè repeteret, vt hoc idem *Vince teipsum.* Verbis enim duobus in agendi arte, quæ sanctorum ars est, vberiore complexu omnia colligit, quam voluminum multorum laboriosa prolixitas. Cumque toties vir tantus vnum fere id verbum recoqueret, velut Indorum Apostolo tam esset sterilis diuinarum præceptionum vena, vt præter duas illas voces nihil nosset fundere: rogatus quandoque est, cur idem semper iteraret? quia, inquit, hoc ego didici ab optimo patre nostro Ignatio; & verè didicerat, non tam audienda, meditandáque illius victoriæ necessitate, & pretio, quam agendo, secumque pugnando ductore Ignatio, vsuque egregio quotidianæ victoriæ ad palmam sanctitatis, quam tandem adeptus est currendo. Plurimum quidem Ignatius precationi tribuebat, multáque illi diebus singulis horas dabat, sed hac lance, magnarum virtutum pondus legitimum nequaquam exigebat; nec existimabat sanctiorem qui patientius oraret, sed qui debellasset seipsum potentius, sensuúmque, & animi seditiosos motus generosius calcasset. Id quoque non raro asserens longo sibi vsu explorarum: inter centum, qui sanctimoniæ medullam in perpetuandis orationibus quærerent, repertum iri vix nouem aut decem, quos non priuati næuus iudicij, obstinatique in suam sententiam, & intractabilis ingenij non inficeret scabies, nulli regulæ cessura; vt qui se putent iura, & regulam posse aliis dicere. Ex oppositio vero pluris æstimabat actum heroicum subactæ fortiter naturæ, & opinionem sui magnam contemptu masculo proterentis, quam piorum suspiriorum lenes auras, & multarum horarum fletus dulcissimos. Sæpenumero etiam timere se dixit, ne alia via putaremus eundum ad sanctomoniam, quàm quæ Societatis est propria; poneremúsque in precum assiduitate, quod

est

est in domandis affectibus collocandum. Natali autem ad producenda precandi spatia toties nitenti, prolixa quidem meditatione opus esse respondit, ad obtinendam suiipsius dominationem, ac de illa cum Deo secumque sedulo tractandum; cæterum eam qui semel adeptus sit intra horæ quadrantem procliuius Deo inhæsurum & arctius; quàm multis horis, quemlibet alium affectus parum edomiti; assurgendi enim ad Deum eique inhærendi, impedimentum grauius nullum est, quam esse suimet tenacem, sibique inhærere, quo sursum conantem animam nihil infestius, & miserabilius deprimit. Ad hanc normam emendans Ludouicum Gonzales in quodam insigni Dei seruo precandi studium mirificè laudantem; vincendi domandique sui studium in eo laudauit, eodémque iudicio de adiutoribus laicis duobus; alterum placida, miti, & imperturbata naturæ potius indole quam virtutis, postposuit alteri, violento, præcipiti, efferatíque in verba, & motus impatientiæ procliui: verum hos ausus, & impetus, animoso conatu sæpius elidenti, resorbentíque verba iam linguam vrentia; huic enim, macte animo frater, inquiebat, expugna teipsum fortiter, & duplo meritis auctior euades quam illi, & illi, quibus lentum ac lene ingenium nihil facessit negotij. Alium item adiutorem nactus, subducentem sese ab cœtu reliquorum, quod bili arderet ignea faciléque irritabili, erras, ait, mi frater, nec fuga hic hostis, sed pugna vincitur, nec sanat iracundiam solitudo, sed dissimulat, & tegit; plus Deo daturus es, pluſque accepturus, asperitatem ingenitam vel interdum vel crebrius frangendo, domesticæ consuetudinis occasione bene vsus; quàm si annum totum spelunca conditus, & mutus lateres. Tandem quos norat virtutis purgandæ egregiè auidos, eos ad sui victoriam præcipuo studio promouebat, in quibus fuit qui se ad templa septem, indulgentiæ gratia inuitanti, lepide excusarit, se domi non semel in die, plenam indulgentiam consequi.

XIII. *Vulgus, virtutum malus iudex, valdè conspicuas, à perfectis non secernit.*

Sed de priuatis dotibus hactenus, quibus animum suum excoluerat Ignatius, nunc ad publicas transeamus, quarum locuples apparatus illum effecit idoneum, vt aliorum quoque mentes excoleret; inde spectandum veniet, ad parandam in eo harum sedem virtutum, & remunerandum earum laborem, quàm se illi Deus abundè infuderit, prouexerítque illum ad culmen summæ caritatis, & vitam diuinam in terris fruendam. Verum de ardore animarum quo flagrabat, priusquam incipio, non parum interest animaduertere, futuros fuisse erga Ignatium honores mortalium longè multúmque proniores, si sui vnius perficiendi sollicitudine totum circumscribere voluisset sanctimoniæ suæ negotium: nam hominum magna pars, nec vero sensu diuinorum nec iudicio ducitur, nec illa æstimat de excelsitatis suæ præstantia, & gradu, sed de iis quæ sunt prodigiosius peregrina, & quæ putat factu, futura sibi fuisse difficiliora magisque inuia, iis demum tribuit sanctitatis palmam numeris omnibus absolutæ. Vt ergo se quisque magnoperè amat, & sui corporis diligenti obsequio & cura sollicitè sanè afficitur; ita quempiam videns insolentibus pœnis, in seipsum sæuire, virum statim retur-

retur inter sanctos heroem, & præ cæteris admiratur: iam illos quinque & triginta annos quos Deo vixit Ignatius, si qua Manresæ inierat asperitate vitæ decurrisset, auxisset quin etiam illorum cruciatuum mensuram pro incrementis suæ caritatis, quanta, & qualia de illo canerentur? Saccus, cilicium, catena, specus, nosocomiorum longa, sordida, purulenta obsequia, ad hæc perpetuæ ferè inediæ, vigiliæ, meditationes, flagellationes; ad hæc ærumnosa peregrinantis itinera; ad hæc contemptus, ludibria, stoliditatis opinio cupidè captata, vita denique omnis, morte prope diuturna crudelior, hæc inquam & alia olim à nobis narrata fusius, quæ gradus illius quem assecutus est fuere tantum leuia rudimenta, si pari semper sui, dicam verius laniena, quàm vexatione tenuisset; haberetur vulgo in summa admiratione sanctimoniæ excellentis, cuius apicem vulgus non putat posse attolli sublimius. At hoc omni horrore depositò, mirabili magis quam vtili, reuocare se ad conuersionem pereuntium animarum, atque in hunc finem difficultates literarij studij diuturnas propéque insuperabiles deuorare; exinde ciuilius, & humaniùs agere; ex communi more, vestem deinceps, victúmque moderari; delectum habere præstantium comitum; pro adamatis criminationibus, atque infamia, ad tuendam famam insurgere; stabilitæ demum religiosæ familiæ, viuendi normam congruentem, ac propriam, ad posterorum exemplum præire, omnem illum ardorem corporis affligendi, conferendo in animi culturam, iis tantum ex eo duriore paratu seruatis, quæ primario non obessent proximi iuuandi officio; hæc supremum licet obtineant perfectæ virtutis fastigium, quæ perfectionis alienæ cum propria studium, pari nexu iungit, & Christo vnicè placuit, nisi apud homines diuinorum eximiè peritos, mentéque ab inferioribus subuectos, suo certo pretio nequaquam penduntur: si tamen gradus excellentissimi erga Deum amoris (qui sanctitatis anima est) de operum merito, & præstantia æstimemus in promptu est Christi regula de qua nefas est dubitare, Petri enim erga se amorem exploranti, cum respondisset Petrus, *etiam Domine tu scis quia amo te. Non dixit Christus*, ait Chrysostomus, *abiice pecunias, ieiunium exerce, macera te laboribus, mortuos excita, dæmonia abige: nihil horum, vel aliorum rectefactorum in medium adduxit; sed omnibus illis prætermissis, dixit illi, si diligis me pasce oues meas.* Iam ergo videndum cuiusmodi fuerit & & quanta in hoc iuuandarum animarum diuino negotio Ignatij virtus, & Sanctitas.

Orat. de S. Philonio.

XIV. *Quanto ardore salutis aliena flagrauit Ignatius. Eccl.*

Et occurrit imprimis ea laus quam illi Gregorius XV. attribuit, cum de illo sanctis adscribendo Cardinalium rogaret sententiam. [Videri, scilicet verè, ac præclarè B. Ignatio deberi, quod duci præstantissimo Iosue adscribunt diuina oracula, *fuisse magnum, secundum nomen suum: maximum in salutem electorum Dei, expugnare insurgentes hostes, vt consequeretur hæreditatem Israël.* Igne siquidem arsisse diuinæ caritatis, eiusque in eos beata incendia sparsisse perpetuò, qui essent ad vitam cœlitus destinati: conscriptum ab eo ad Christi prælia militem, armísque instructum cœlestibus; ductum

ctum in hostes qui tunc erant aggressi salutem piorum exscindere, ducique nunc etiam magna Ecclesiæ gloria, Deo sanctos conatus, lætis successibus promouente.] Sic prorsus appositè Pontifex ad illam qua Ignatius ardebat animarum procurationem in qua magnum fuisse, & sui ardorem æquasse nominis (quod igneum sonat) maximum autem in aliis igne non dispari inflammandis, clarum est ex eius tum desiderio ingenti salutis alienæ, tum ex voluntatum conuersionibus ad Deum illud eius desiderio consecutis: post vero semper adeoque nunc etiam, eius instinctu ductúque vigentibus; vt enim præclare Cardinalis Bandinus hac ipsa in causa; quicquid vsquam nunc patrat, vel patratura est dum stabit Societas, ex eo semine oritur, eiusque radicis fructus est. [Magna quidem esse, ac stupenda quæ viuens gessit Ignatius, sed præter hæc multa, & fortassis maiora nunc quoque gerere, quantam enim sementem doctrinæ cœlestis toto orbe facit instituta ab eo Societas; quàm multos ad Deum ethnicos, ad matrem hæreticos reducit; quot sapientiæ fouendæ, & expoliendæ gymnasia aperit, omnia Ignatio deberi] vtque promissarum Hebræis sedium feracitatem incomparabilem, racemi vnius prodigium arguit, sic (inquit alius, magni inter præsules nominis) hominum caritate quàm immensa ferueret Ignatius, eius prædicant instituta, & quæ vbique, illorum præscripto, & præsidio peraguntur, ac desideriis illius, nec meta nec modus, præter orbem fuit; eodem complexu mortales vniuersos ardebat religionis sacrosanctæ amori, & obsequiis subdere: ex quo illa eius ad Lusitaniæ legatum responsio, peragrandis Indis, sex è Societate postulantem; quid igitur, ait, sociorum, in reliquum orbem, residuum fiet? hinc & voces ignitæ quas suorum subdebat pectoribus, cum missos ad prædam animarum, in discessu salutans *Ite*, inquiebat, *omnia incendite, & inflammate.* Illo nempe igne quo de irato cœnobita vindictam grandem quandoque expetiit, nam is cum minacibus nuntiis significasset Ignatio, effecturum se vt Perpinianum vsque ab Hispali, quotquot ex eius sociis reperisset, omnes igni probroso traderentur, renunciari illi iussit Ignatius, optare se maiorem in modum, vt non ipse modo eiusque amici, & familiares, sed quicquid est hominum in mundo, amoris diuini flammis fœlicibus vrerentur. Hinc illæ denique ad erudiendos in Christo infideles, virorum fortium expeditiones ab eo susceptæ, in plagas quatuor vniuersi, etiam ad Indos, ipsis quoque Indis ignotos, quarum successus egregij, dolore continuo disrumpunt hæreticos: in iis nescio quis, profectis inde suorum cladibus, ac sui similium exprimendis, nihil excogitare potuit aptius, quam vt diceret à Paulo III. datam Ignatio, vt regi ventorum Æolo, potestatem, quoquo versum suos, in omnes mundi prouincias immittendi, *arte sua vsuros passim, stragémque daturos.* E contrario tres Romanæ rotæ cognitores, glorioso Apostoli nomine Ignatium eodem iure dignati sunt, quo Venerabilis Beda idcirco S. Gregorium Anglorum dixit Apostolum, quod iis Christo subiugandis Beatum Episcopum Augustinum, & cum eo Monachos aliquot destinasset; nam & ipse similiter, quod mentem sapit

pectúsque Apostoli, *Non se Christi reputabat amicum, nisi animas foueret, quas ille sanguine suo redemit.* Quæ laus est à Bonauentura patriarchæ magno B. Francisco attributa, & ab Illustrissimis rotæ auditoribus in S. Ignatium translata.

XV. *Præsidia iuuandarum animarum, Societati ab Ignatio præscripta.*

Quantos enim exantlarit labores, ad constituendum ordinem, in quo etiam post mortem, animarum saluti spiraret ac viueret, recolenda quæ libris duobus prioribus scripta sunt: calumniæ, vincula, vexationes sæuissimæ, & immanissimæ, quibus orsus illius tum adhuc informes elidere, tum in lucem progressos extinguere, totis viribus dæmon, insidiisque molitus est, inde suarum iam cladium, & dedecoris coniector non inscius: post hæc, stadium literarum quod eodem consilio initum contranitentibus validissimis tribus vt ipse narrabat, aduersariis, constanter decurrit; summa egestate, morbis continuis, & intempestiua pietate. Sed erant hi fructus caritatis animarum salute ardentis, & apparatio ad opem illis efficacissimè præstandã, ita vt de illo verissimè dictum sit à Cardinali de Monte ad Gregorium XV. referente. *Nullum earum causa laborem, nullas incommoditates, nullas vigilias, aut corporis dolores afflictationésque recusasse.* Nec enim profecto illarum saluti prodesse quicquam tam arduum potuit, & vitæ quoque periculis ita obnoxium, quod non occuparit, suóque Instituto in ministerium vindicarit: ætati promiscuè omni, conditióni & Ordini, regionibus longinquis, & ignotis, omni mortalium generi, ciuilibus, barbaris, rudibus belluarum mori affinibus, debitorem ex æquo se credidit, bonóque omnium suam operam deuouit. Quare fundatam ab se familiam expeditionibus addixit missionum tot, ac tam variis, incredibili vbique diuinæ gloriæ prouentu: quarum aliæ aduersus hæreticos, iuxta & ethnicos, nulla aut vitæ atterendæ, aut absumendæ habita ratione, nauigationibus in fines vltimos; perpessionibus, disciplinis linguarum barbararum; infesti cœli, & ferarum gentium consuetudine, sæpe etiam mortibus, & atrocioribus omni morte suppliciis: aliæ in classes; in campestres exercitus aliæ; in pagos, & montium aspera, magísque cultus Christiani peculiaribus auxiliis indiga, quibus frequentia vrbium abundat; in nosocomia, triremes, carcerem, & alia crebrius vsitata: accedunt pugnæ disputationum, ad debellandos, voce ac stylo, hæreticorum prædicantiũ errores; administrandus orthodoxis sacrorum vsus, conseruandus, atque instaurandus; tradenda pueris prima fidei doctrina, & regula; conciones in foro; in templis; in sodalitiis; emendandi mores, secessu exercitiorum, & vitæ ratio in iis ab cursu fortuito, & periculoso, in tutum reuocanda: familiaris passim, de cœlo, & diuinis sermo, tanti ad vtilitatem omnium momenti, vt Ludouicus Strada S. Bernardi Monachus non dubitaret nostra Collegia vocitare tyrocinia vrbium, & publicæ pietatis. Ad hæc agentibus animam adesse; damnatos ad mortem solari; pestilentia contactis, subsidia corporum, animorúmque ministrare, cui tam heroico operi quam multis suorum centenis Societas, & litauit hactenus fortiter, & pergit nunc etiam vitam profundere? adiungenda his assiduitas

scriben

scribendi in omni genere tum sacrarum, tum communium literarum, emolumento Christianæ virtutis veritatisque singulari. Institutio denique iuuentutis à prima linguarum balbutie ad vltimam scientiarum metam, pari simul animorum progressu ad veram pietatem; ingeniorum ad doctrinam; neque dispari ornamento rei Ecclesiasticæ, & ciuilis: ex quo illud magni, nec minus gloria militari quam sapientia laudati principis, plus esse præsidij ad defensionem vrbium in Societatis Collegio, quam in arce regiis opibus munita. Et Vrbanus VIII. breuiori ad Poloniæ regem diplomate, *in eorum*, inquit, *Collegiis, quæ gymnasia sapientiæ habentur, ij gladij ancipites cudun-tur, quibus feliciter soleant confundi diabolicæ legiones*: & alibi, *qui lacte pietatis iuuentutem nutriunt, & armis lucis hæresim aut profligant, aut exterrent.* Duo certè Poloniæ reges Sigismundus & Stephanus Imperatores duo Ferdinandus primus, & secundus ad stabiliendam suis in regnis religionem Christianam, hæresum nouitate miserè laborantem, nullum se aiebant firmamentum expertos validius, eruditione Iuuentutis, Societatis Patribus commissa. Quod item de eadem peste ab regnis Indiarum & Lusitaniæ prohibenda scriptores non dubiæ fidei affirmant. Quapropter huc semper errorum signiferi neruos omnes verterunt vt de vrbibus, & regnis exterminarent Societatem nostram, quò vt dixit præclarè ac regiè Henricus IV. Galliæ rex, cum ea & musæ, & adolescentiæ altrices, casta fides, & vera pietas cum musis pariter exularent. Illa quidem Vilnæ ab Zuinglij asseclis, tanto molimine, sumptibus, ac fama, erecta Academia ad florem lituanæ Iuuentutis latè venænandum, in solitudinem recidit, postquam Societatis Patres eadem in vrbe scholas inchoarunt, tanto illo concursu ad Patrum academiam conuerso. Hinc porro quantum, & quam multiplex bonum hominum generi, ardens Ignatij attulerit caritas, nec à me sat decet, nec sat valet paucis comprehendi: norunt hoc familiæ, Academiæ, clerici, religiosi, ciuitates, & earum nonnullæ carendo penitiùs, quàm fruendo perspexerunt. Ad momenti summam sufficiat quod cordatissimi homines scripsere. Si de cætero otiosa, hoc vnum egisset Societas, atque ob hoc vnum instituta esset; fuisse tanti.

Payua. Rocus. Boterus, &c.

XVI.

Quam accuratam Ignatius rationem à suis exigeret, gestorum in proximi salutem.

Vt vero nihil omisit Ignatius quo posset animis prodesse; ita rationes quam accuratissimè exegit, tum crediti ad hoc cuique muneris, tum prouentus ex eo collecti. Primis fundatarum initiis scholarum, volebat de numero auditorum quot hebdomadis moneri; religione Obedientiæ obstrinxit qui nostris in Italia & Sicilia præessent, hebdomadis etiam singulis ad se diligenter perscriberent quicquid ad salutem animarum suis in Collegiis actum esset, quod idem ab iis, eadem lege teneri, quot mensibus voluit, qui Societatem in Germania, & Hispania regerent; ab iis vero qui apud Indos præessent, annuatim; præter alias gestorum enarrationes vnoquoque mittendas quadrimestri. Quod tam sollicito calcari incitabat operarios ad strenuè agendum, gnaros quantoperè Ignatij cura in id incumberet, vt scribens ad illum Andreas Frusius quæ ab vndecim patribus in Dei gloriam

gerebantur Venetiis, sic Epistolam ordiretur. [Satisfacio his literis P. V. mandato, ex quo inter alia complura, singulare id haurio, quod me supremi metu iudicij afficit. Nam si tantulæ rei, nullo nostro periculo reddenda ratio, multa nos verecundia suffundit, vtpote conscios muneris parum à nobis cumulatè impleti, tametsi nostra non hic tribunali sistuntur peccata; sed de iis solum inquiritur quæ per nos egit diuina bonitas;quanto pudore necesse fuerit confundi, & obrui in illo communi examine, non diuini modo operis negligentius tractati, & occupatorum perperam ipsius donorum; sed omnium prorsus erratorum, adeóque etiam illorum, quæ vix inter errata numeramus.] Nec erat metus huius causa quod ipse cum sociis otiatus esset Venetiis, narrat enim de scholis quatuor linguæ tum Græcæ tum Latinæ; de concionibus festorum dierum; de traditis Christianæ doctrinæ principiis, confessionibus absque numero, iisque vitæ sæpius vniuersæ, nec raro externorum nobilium, qui Brixia, Vincentia, Patauio, & circum aliundè confluxerant; de pauperum alendorum, cura & iuuandi vtroque in homine carceris; de comparatione honesti receptus, ab turpi quæstu abstractis feminis assignandi, de eruditione Turcarum ad sacrum baptisma; quibusdam vero Apostatis à Mahomete impurissimo ad Christum; Lutheranis, quos illuc bona sors tulerat, ad Ecclesiam reuocandis; de cooptatis demum piis sacerdotibus non paucis in consortium sanctarum eiusmodi occupationum; quæ omnia breui veris vnius spatio peracta significat Frusius anno 1552. Tales Ignatio legenti Epistolas, lucebat in ore incredibilis animi voluptas, erumpebántque præ gaudio lacrymæ, ac sublatis identidem in cœlum oculis, crebræ Deo gratiarum laudes, qui tam vilibus administris tam ingentia patraret nec puto, abesset: ab simili sensu, cuius sub pectore micaret scintilla feruidæ caritatis, si recurreret quæ apud nos seruantur volumina literarum, quibus vndique terrarum docebatur de cõuersionibus ethnicorum, hæreticorum, & sceleratorum, aliisque Apostolici spiritus eximiis fructibus. Contigit autem inter tam plenas multorum epistolas, à Iacobo Lostio è Sicilia ad illum scribi, quamuis inde continuis messibus pius labor nostrorum abundaret, illam tamen hebdomadam fluxisse sterilem, nec se quicquam habere quod scriberet, nisi quod planè nihil haberet. Quam epistolam deosculatus est, & pro ingenua scribentis modestia non minus iucundè accepit, quam si multorum valde insperatam pœnitentiam nuntiasset. In rectoribus porro tanto quisque illum delectabat magis, quanto esset petendo strenuarum operarum subsidio crebrior, & importunior; vocitabátque Angelum Senensem, Panormitanum, Neapolitanum, præpositos innuens illis Collegiis: ac licet apud se Romæ aliquamdiu haberet homines vtilitatis laudisque præcipuæ; haud sua vnquam causa, vel ob oneris sui partem in eos deflectendam retinuit, sed in alia diuisit loca; nec quenquam passus est certo affigi Collegio, nisi parem illic viribus suis haberet materiam, aut esse alibi fructuosior non posset. Quod si Rectores doluissent, eorum querelis satisfaciebat, rogans quid essent igi-

tur

tur acturi, si fato fungerentur quos sibi eripi noluissent. Quanquam operum partes quas vno diuini obsequij iudicio suis diuidebat, postposita mortalis cuiusuis intercessione; tam iusto veróque examine libratæ cernebantur, vt quos præter Dei gloriam nihil moueret, implerent opinione æquitatis, nec possent illas improbare, & viri vndecumque magni, suam de iis sententiam, in eius arbitrio securi reponerent. Inter hos Cardinalis S. Crucis, anno 1547. Ignatium monens, occupari ab se Tridenti Lainium in colligendis erroribus quos esset Synodus damnatura, quod ægrè poterat alteri committi, subdebat [si tamen aliud tibi videbitur, opúsque imperfectum relinqui, vt primum significaueris, id fiet] quæ ratio nostrorum labores eo conuertendi, vnde maiores ad Dei gloriam accessiones affulgerent, ad hoc illum induxit, stupendum planè consilium, euocandi Romam Xauerium vsque ab Indis, ac nisi appulsum literarum quibus redire iubebatur, Xauerij obitus præuertisset; non ambiguè reipsa constaret, tum publico Ecclesiæ vsui, tum Societatis nominatim, Xauerium futurum fuisse in Europa quam in Oriente fructuosiorem, nam vtroque hoc orbe in lancem imposito, cum aliunde Indorum culturæ non deessent præstantes Euangelij præcones; sed harum profecto partium, cura debuit geri, hòc magis sollicita, quod in iis cor latet, ex quo in membra longissimè dissita, vitæ aut secus; boni malive vis omnis diffunditur: & hoc etiam in eo quod sequitur spectauit Ignatius, cum enim ad eum Xauerius Antonium Fernandium adiutorem misisset, expositurum coram, miseram Indorum destitutionem, & conscripturum quæ secum duceret auxilia operariorum, re diu multúmque versata Ignatius, induci non potuit suis Europam subsidiis priuare, quæ vt essent ingenti numero, sed erant nihilominus necessitatibus temporum longè imparia; & P. Ribadeneiræ, preces in Antonij causa dolentius interponenti: scias Petre, ait, & certum habeto, non minus has plagas strenuis operis egere, ad tuendam inter Christianos, fidei sacræ incolumitatem, quàm ad eiusdem primordia ethnicorum animis inferenda.

XVII. *Quam efficaces Ignatij ad suos Epistolæ, & quanti apud ipsos earum vna ponitur eximiis plena documentis.*

Huic diligentiæ repetendi ab suis assiduè operis à conditione illorum, & caritate sua nequaquam degeneris, comes aderat par cura fingendi illos ad hoc opus, exornandíque iis dotibus quibus ad ausus diuinæ gloriæ strenuos paratiores accederent, adhiberíque ad eos aptius à Deo possent: & cum vbique non liceret magistri coram, boníque ductoris officio fungi, præstabat hoc ipse per literas, in quibus se suis præsentem sistebat sua illa flagrantem caritate, qua quocumque illæ mitterentur omnia inflammabat. Harum vnam ad Conimbricense Collegium, meminit Martinus S. Crucis, Romam in hunc modum ad amicum Scribens. [Venerunt ad nos Patris Ignatij expectatissimæ, & optatissimæ literæ: præter eam quam omnes inde hausere voluptatem, incredibile est quam acres singulis ad omnem virtutem, & scientiam subdiderit stimulos, nec semel legisse sat fuit, rogant multi quot hebdomadis relegi, nec desunt qui eius duxerunt

Apographa quæ semper in oculis habent; ac meritò, cuncta enim complanat quæ moram nobis in cursu ad Deum facere consuerunt, in eumque nos mirificè incitat & confirmat.] Aliam eiusdem Epistolam Ludouicus Mendoza quanti faceret ostendit, rescribens, sibi venisse gratiorem quam si pignus sacræ purpuræ pileum à Pontifice accepisset. Errarim longius ab historiæ filo, si vel tantum selectas ex iis literis sententias aliquot retulero: vnam dabo solummodo Epistolam integram, in reliquarum specimen & saporem, illius æquè, vt spiritu, sic prudentia animatam, eam ipsam quam mox aiebamus ab eo Conimbricam ad nostros missam. [Gratia & amor æternus IESV CHRISTI Domini nostri, sit semper in fauorem & auxilium vestrum. Amen.

1. Sæpè, cùm litteris Fratris nostri Simonis, tum à sancta Cruce, de vobis nuntios accepi. Neque Deum fugit, bonorum omnium fontem, quantam lætitiam animo & consolationem hauserim, cum quibus stimulis diuina Maiestas vestra in virtutem studia incitaret, accepi. Quod etiam in his plagis tanto à vestris locorum interuallo, & longinquitate disiunctis, magno est multis animo & exemplo. Atque illud quidem omni vero germanóque Christiano, meritissimo iure, lætandum intelligo, cùm & Dei creatoris nostri gloriam quantùm maximam honorémque diligere, & ipsius imaginis, quam pretioso sanguine vnigeniti filij sui redemit, vtilitate emolumentóque gaudere, communi omnes obligatione teneamur: mihi verò in primis in Domino lætandum, qui non modò nulli in hoc genere cedere, sed peculiari etiam amore vestri ardere, & flagrare debeam. Sit laus & Gratia Deo Creatori nostro, ex cuius infinitâ liberalitate & munificentiâ, bonorum omnium ratio gratiæque redundant. Faxit diuina Maiestas, vt suus ille fons diuinæ misericordiæ, largiori in dies perennitate scaturiat, vt quod in vobis clementer inchoauit, assiduâ accessione, cumulóque perficiat. Nec verò dubito, quin summa eius bonitas, immensus amor, caritásque paterna (quæ ad perfectionem nobis sponte largiendam, quàm nos ad eamdem vestigandam paratior est) ad egregios exitus sua cæpta perducat: quod si secus haberet, æternus eius Filius ad eam perfectionem, quæ à solâ ipsius benignitate dependet, nequaquàm in hæc verba nos hortatus fuisset: estote perfecti, sicut pater vester cœlestis perfectus est: vt quod ad illum attinet certum omnino sit, illum semper esse ad liberalitatem paratum: modò altam in nobis profundámque humilitatem, & dignum suâ gratiâ desiderium inueniat, & benè acceptis beneficiis vti, & in impigrâ gratiæ cooperatione versari incessanter nos videat. Quo sanè in genere committendum non puto, vt qui vestrûm in hoc virtutis stadio, brauij studio gratiáque decurrunt, non eos suis aculeis suscipiam. Quamobrem vestrum est ad acquirendam virtutem, vestram omnem operam industriámque conuertere, si quam non modò in vestro Regno, sed alibi passim, in multorum animis expectationem concitastis, sustinere velitis: qui cùm vobis interiùs, & exteriùs, suæ præsidiis gratiæ vndequaque vallatis,

Matth. 5. 48.

vallatis & peculiari quodam fauore dotatis, benignè Deum facientem aſpiciant, à vobis non immeritò inſignem quemdam fructum, & extraordinarium expectant.

2. Et verò, quem tanta, quanta vos ſeruiendi Deo obligatio deuincit, vulgari labore & famulatu non eſt contentus, qui par quidem obligationi ante veſtram vocationem fuiſſet, quia quod tunc temporis non in minimis erat ponendum, iam certè vobis in nihilum verteretur. Neque enim Deus vos ſolùm eduxit, de tenebris in admirabile lumen ſuum; & tranſtulit in Regnum Filij dilectionis ſuæ, quod cum aliis fidelibus vobis voluit eſſe commune; verùm etiam vt meliùs puritatem ſtudiúmque Rerum ad ſuum obſequium pertinentium tueremini, è voragine illâ gurgitéque mundano vos amantes extraxit; non ſolùm vt ne veſtra ſalus & innocentia in diſcrimen veniret in mediis procellis, & tempeſtatibus iis quas nunc bonorum & opum, nunc honoris & gloriæ, nunc voluptatum auidiſſimus turbo, ac importunus metus naufragij & iacturæ, excitare conſueuit; ſed etiam inſuper vt ne veſtrum animum humanæ res viles atque labiles irretitum tenerent, & veſtrum cor in varias partes diſtractum occuparent; quò gloriæ diuinæ, quò veſtræ ſaluti, quò auxilio proximi, (quem in finem vos condidit) vos totos certatim penitúſque dedatis. Tametſi autem quidquid Chriſtiana Doctrina complectitur, ad eum vos finem dirigat & perducat; nihilo tamen ſecius vos eò vocauit, vt ad Dei gloriam, proximíque ſalutem luge ſacrificium vos exhibeatis: eius bonum & progreſſum ſpiritualem, non tantùm exemplis, deſideriis, internis orationibus aſſiduè procurando; ſed mediis etiam, & inſtrumentis externis, quibus vt alter alteri ſuccurreret, & proximum iuuaret, diuina prouidentia præcepit. Atque inde videre licet, ad quàm celſum, nobile, & regale genus viuendi vos extulerit, cùm nec in hominibus, nec in ipſis Angelis, quàm in ſe Deum magnificè laudare, & eius res creatas, pro earum captu, ad ipſum conuertere, nullum exercitium officiúmque ſublimius reperiri poſſit. *1. Petr 2. 9. Coloſſ. 1. 13.*

3. Gaudete igitur, & infinitas agite Deo gratias pro tanto beneficio: cui vtcumque pares, vt eſſe poſſitis, particularis gratiæ ab ipſo auxilium opémque poſtulate. Nam magnâ certè vobis opus diligentiâ, vt tantum finem aſſequi valeatis. Quæ retrò ſunt, quæſo, in gratiam IESV CHRISTI obliuiſcimini: Et quaſi nunc primùm tam longum iter ſuſciperetis, virtutis viam indefeſſo progreſſu alacriter metimini: Et in bonis veſtris ſanctíſque exercitiis ab omni tepore atque pigritia, tanquam ab hoſte capitali abhorrete. Illos ſibi quiſque ad imitandum proponat, quos diligentia inſignes & magnanimitate videbit. Cauete ne filij huius ſæculi maiori curâ & ſollicitudine in caducarum rerum, quàm vos æternarum aſſecutionem, incumbant. Pudeat, quòd in mortem illi, quàm vos in vitam citatiori gradu ferantur. Viles, abiectos, imbelles vos, ignauóſque putate, ſi vel vnus in aula reperiatur, qui vt terreni principis fauorem neſcio quem

quem, & gratiam aucupetur, ipsius nutibus diligentiùs seruiat, quàm vos, vt gratiosi apud cœlestem Regem Imperatorémque euadatis: Et si in bello miles generosiùs pugnet vt victoriam obtineat, futilem gloriam colligat exuuias consequatur; quam vos vt de vobis victoriâ strenuè partâ æternam gloriam in cœlesti Regno consecuti triumphetis. Quorca per IESVM CHRISTVM vos oro, & obtestor, vt nullum vnquam in diuino seruitio teporem admittatis: quandoquidem, arcum frangit intensio, animam remissio: & contrà vt testatur sacra pagina, Anima operantium impinguabitur. Fouete semper in sinu cordis vestri viuidum quemdam sanctúmque seruorem ad quosvis pro virtute exantlandos labores: quia rarum aliquod & eximium facinus, sexcentis vulgaribus minutísque antecellit: ad quem enim virtutis gradum multis annis piger non potest adrepere, exigua temporis intercapedine, diligens mirabiliter volat.

Prou.13.4.

4. Certum est etiam pigros, quòd se ipsos non vincant, nec ad animi pacem, nec ad perfectam vnquam vllius virtutis possessionem venire; cùm tamen diligentes vtrumque paucis diebus facilè consequantur. Eodem accedit, vsu ipso & experientiâ patere, non ignauos & tepidos, sed ardentes & gnauos in obsequio diuino animi pace & tranquillitate potiri. Et meritò quidem: dum enim in victoria suiipsorum laborant, vt amoris proprij se à vinculis laxent, vsque ab imis fibris mœstitiam, mœrorem, aliosque turbulentos motus animi euellunt, & sensim sine sensu virtutum habitudines suis animis induunt, à quibus parati, quasi natura duce, deinceps operantur, & ad sanctam à Deo percipiendam lætitiam consolationémque parantur: quia vincenti dabitur manna absconditum. At verò contrà negligentia & tepiditas semper mœstos pariunt ignauo labores, quòd illorum causam, amorem nempe proprium, non procul amandet, nec bonis operibus Dei gratiam mereatur. Nullum ergo laborem in bonis omnibus, laudabilibúsque exercitiis detrectare debetis: quia vel in hac vita, in studio perfectionis Religiosæ, & in constanti bonorum operum & virtutis exercitio, sancti seruoris fructum degustandum capietis. Deinde si mentis oculos in gloriæ æternæ præmium mercedémque iaciamus, nullo negotio nobile illud S. Apostoli in animum inducemus. Non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam quæ reuelabitur in nobis: quia, quod in præsenti est momentaneum & leue tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis.

Apoc.2.2.

2.Cor.17.

Quòd si in mundo, in Christianis omnibus, qui Dei cultum & obsequium profitentur, seruor ille elucere videtur; quanta vos tandem manet in cœlo Corona, si ad vestram vocationem vos totos fingatis; cuius tota ratio, non in eo solùm consistit, vt ipsi apud Deum in famulatu simus, sed vt alios multos ad eundem trahamus? De illis enim sic scripturæ loquuntur: Qui ad Iustitiam erudiunt multos, quasi stellæ fulgebunt in perpetuas æternitates. Quod in illos conuenit, qui & in ipsa spiritualium armorum

Dan.12.3.

armorum tractatione, & in solerti ad illa præparatione, diligentiâ quàm maximâ sua munera exequuntur. Neque enim sufficit opera per se bona facere, sed bene facere: cum vnus ex prophetis dicat: maledictus, qui facit opus Domini negligenter, & Apostolus, qui in stadio currunt, omnes quidem currunt, sed vnus accipit brauium. Item: non coronatur, nisi qui legitimè certauerit, quod de illis dicitur, qui dum adhuc in viuis versantur, ne latum quidem vnguem de officio discedunt. At præter omnia velim vnumquemque vestrûm cum zelo gloriæ Dei, proximorúmque salutis, Iesv Christi Saluatoris nostri puro & sincero amore lucere. *Ierem.48.10.* *1.Cor.9.24.* *2.Tim.2.5*

6. Ad quem finem estis vocati, infractis animis enitimini; cùm tot eius causâ vobis à Deo auxilia, & Instrumenta suppetant. Hæc instrumenta sunt omnia gratiæ dona spiritualia, quibus nos in omni bono operè, nos inquam, à naturâ ipsi adeo aduersos, rebelles, contumaces, hactenus præuenit & præuenire dignatur: Hæc instrumenta sunt incredibiles promissiones suæ gloriæ, vt communione suæ immensæ præstantiæ, quod ipse est natura, nos gratia euadamus: instrumenta denique, tota ista rerum vniuersitas est; cùm non solùm quæcumque subter, sed etiam super orbes cœlestes sunt, illæ nimirum omnes diuinæ mentes, cœlestésque Hierarchiæ nostris sint ab eo ministeriis destinatæ: Omnes enim sunt administratorij spiritus in ministerium missi propter eos qui hæreditatem capient salutis: Quòd si omnia hæc instrumenta sufficere non videantur, se ipse instrumentum præstitit, cùm pretium nostræ salutis, in cruce se obtulit, & in Eucharistiæ augustissimo sacramento in viaticum, & ducem huiusce mortalis peregrinationis se dedit. Heu quid illi sufficiat, cui non tot bona, & incitamenta sufficiant, vt ad sui principis se obsequium componat? Et vt ad hoc maiori promptitudine, & alacritate curandum pluribus nominibus nos obstrictos haberet posthabitâ quodammodò suæ infinitæ gloriæ, quâ fruebatur, præstantiâ, vt eamdem nobiscum aliquando communicaret, tanto beneficio nos indignos affecit; nostris miseriis se onerans, vt nos illis leuaret; seipsum vendi volens, vt nos redimeret; infamari, vt gloria donaret; pauper esse, vt ditaret; vsque adeò denique infamem mortem sibi deligere, vt nobis immortalem & beatam viuendi rationem impertiret. Itaque si vinculis obligationis tantæ vos ligatos videtis, & ad eius seruitium, accretionémque gloriæ toto pectore aspiratis; in hoc vos tempore versari habetote, quod etiam atque etiam industriam vestram zelúmque requirit. Videte quantulus honor diuinæ Maiestati in præsens habeatur, veneratio exhibeatur, obedientia præstetur. Imò verò cum intimo maximóque dolore diligenter videte, in quantâ vbique gentium ignoratione versetur, nomen eius blasphemis vocibus proscindatur; & Iesv Christi sempiternæ sapientiæ doctrina contemnatur, vita repudietur, pretium sanguinis vilescat, & quadam ratione, quantum in nobis est, penitùs perdatur, & in nihilum occidat. Tanta illorum paucitas, qui ad salutem vtantur. *Hebr.1.14.*

7. Videte vestrum proximum tamquam imaginem sanctissimæ Trinitatis, ipsius gloriæ capacem, cui totus orbis vtpote templo sancti spiritus, membro Iesv Christi, pretioso eius sanguine redempto, famulatur; videte inquam, proximum, quot & quantas miserias incurrat, in quibus tenebris ignorantiæ iaceat, quibus terrestrium desideriorum, vanarum opinionum, impotentium appetituum procellis obruatur, quot & quantorum hostium impressione lacessatur & impugnetur, cum periculo perdendi non reculas caducas & perituras, sed Regnum gloriæ & fœlicitatem æternam; & simul incidendi in pœnas intolerabiles & supplicia sempiterna: videte, inquam, vt Iesv Christi gloriam, honorémque defendere, & proximi salutem procurare debeatis: certè videbitis, quâta ad quoscumque suscipiendos labores præparatio sit adhibenda, vt apta ad eum finem vos diuinæ gratiæ instrumenta præstetis, præsertim cùm tam rarum sit bonorum operariorum genus, qui quærant, non quæ sua sunt, sed quæ Iesv Christi.

8. Atque eo Consilio, ita locutus sum, vt vos excitarem; & ad eorum qui parùm festinant, tarditatem cursus, pernicitatem adiungerem; non vt in aliud extremum minùs cauti feruoris vos impellerem: nam ex tepore pariter & feruore nimio, morbi animi proficiscuntur: Rationabile obsequium vestrum, inquit Apostolus: & regius Propheta, honor Regis iudicium diligit; scilicet discretionem: & in Leuitico diuinitus præcipitur: in omni oblatione tuâ offeres sal. Et verò hostis ille noster nullâ re magis caritatem extinguit, quàm immodico & inconsiderato in virtute progressu. Nequid nimis, ait paroëmia. Quod cùm in omnibus tum etiam in iustitiæ, vt monet sapiens, rationibus obseruandum. Sic enim: Noli esse iustus multum: quæ si regula & moderatio absit, bonum in malum desinit, & virtus in vitium: ac inde incommoda quæ cum mente illius, qui per extremum illud, iter facit, depugnant, alia ex aliis quàm plurima enascuntur.

Rom. 12. 1. *Psal.* 98. 4. *Leuit.* 2. 13. *Eccl.* 7. 17.

9. Primum illorum est, diu illum Deo seruire non posse vt equis accidit, qui post nimium iter incursu fatiscunt. Sic sæpè vsu venit, aliorum operas nostri gratiâ impediri, cùm nostras aliis præstare deberemus. Alterum est illum sibi moderari non posse, qui nimias celeritates præcipitanter suscipiat: nam substantia festinata minuetur, ait sacra pagina. Atque ita æstus & præcipitatio caput ruinæ est; qui enim festinus est pedibus, offendit. Tertium est, illi curæ non esse, periculo nimij & insolentis oneris suam nauem liberare. Quia si periculosum est, illam ad portum fortunatum appellere, non minoris periculi & discriminis est, tantum illi pondus atque onus imponere, vt necessariâ depressione subsidat. Quartum est, nouum hominem, non autem vt par erat, veterem Crucifigi, cum præ debilitate, exercendæ virtuti vacare non possit: Atque ex S. Bernardo, per immodicum illum feruorem quatuor nobis iniustè subripiuntur, nimirum, corpori effectus, animo affectus, proximo exemplum, Deo honor: vt qui ita se gerit, tanquam sacrilegus, quod templum Dei vnum tam malè habuerit,

Prou. 13. 11. *Prou.* 19. 2.

habuerit, illorum omnium sit quæ attigimus, reus; & rationem Deo reddere teneatur. Ad hæc suum proximum bono fraudat exemplo, quòd vnius casus cæteris sit terrori, & multorum feruori in viâ virtutis teporem adspergat, & ita proximo offendiculum pariat. Quamobrem idem sanctus huiusce modi hominem, reum veritatis, & inimicum pacis nominatim proclamat. Prætereà genus illud hominum arrogans, superbum, glorioſum esse solet, & in iudicio suo cæteris præferendo, & in eo saltem, in quod ius non habet, sibi arrogando, cùm in propriâ causâ quod superioris est, personam velit iudicis sustinere. His autem incommodis alia quædam accedunt: nempe, tot armorum onus subitur, (quod Dauidi contigit in armis Saulis) vt vsus nullus eorum consequatur, & calcaria quidem, nullum autem frænum indomito equo intractabilíque paratur. Vt discretio & prudentia sit opus, quæ vt optimè Diuus Bernardus monet, inter vtrumque extremum progrediatur. Bonæ inquit, voluntati non semper credi expedit, sed frænanda est, sed regenda est, & maximè in incipiente, si vero vobis rara & inuentu difficilis discretio videbitur, per obedientiam, ad quam confugiendum, eius defectum ad securitatem supplete; quod si quis proprio velit adhærere Iudicio, D. Bernardum audiat. Quidquid sine voluntate vel consensu Patris spiritualis fit, vanæ gloriæ deputabitur, non mercedi. Et dicti huius refricate memoriam. Quasi peccatum ariolandi est repugnare, & quasi scelus idololatriæ, nolle acquiescere. Quapropter per obedientiam voluntates vestras, & iudicia mactate, & nimiam corporis debilitationem vitate.

1. Reg. 17. 39.

Bernard. ad Orat. de monte Dei vitâ solit.

1. Reg. 15. 23.

10. Neque tamen putetis velim, displicere mihi, aut suam apud me laudem non obtinere, quod de vestris per litteras mortificationibus accepimus: si quidem non me præterit, sanctos olim, sanctas id genus insaniendi rationes, præsertim suæ conuersionis initio magno suo fructu & progressu virtutis, ad sui victoriam, & maiorem virtutis acquisitionem adhibuisse: sed illi, qui dante Deo, suæ iam voluntatis & amoris proprij victores euaserunt, longè certè satius erit, vt se ad normam moderationémque discretionis componant, nec ab obedientia recedant, quam vobis maximè, & illam pariter commendo virtutem, quæ alias omnes continet, cuique præcepti nomen Dominus noster fecit his verbis: Hoc est præceptum meum, vt diligatis inuicem: Neque verò dumtaxat inuicem vos perpetuò diligere & amare debetis, sed amorem illum omnibus communicare, excitantes in vobis, quoad eius fieri poterit, salutis proximi ardentia desideria, & iustam illius, vt IESV CHRISTI sanguine & morte redempti, rationem habentes vt eâ præparatione, & internæ caritatis incremento, apta diuinæ gratiæ ad cooperationem tam arduam, & præstantem conuertendi animas ad Deum finem nostrum vltimum, instrumenta euadatis. Neque vos proximo inutiles esse credatis, quamdiu affectiones huiusmodi sentietis: quia præter fructum vestrum, multis modis illi vos fructuosos præbetis: in primis quidem præsenti labore, & illius suscipiendi intentione,

Ioan. 15. 12.

cùm vos omnino totos ad eius instructionem, & ædificationem formetis. Etenim quando miles egregiis armis ad sua cœpta se munit, nemo laborem eius ad obsequium sui principis spectare negauerit, licet ante moriatur, quã vota sua implere potuerit. Itaque ad alias peculiares pietatis orationes, cuiusque vestrûm est quotidiana se Deo in proximi salutem, oblatione dicare. Secunda ratio iuuandi proximi, studio pietatis virtutisque censetur: Ex illo enim, ad eos, cum quibus agitis, pari pietate, & virtute informandos magna vobis aptitudo oborietur. In effectionem naturalium rerum præter communes causas, vt cœlum, astra, elementa, peculiaris & proxima (quod vsu constat & Philosophiâ) causa necessaria est, quæ forma simili producendæ sit prædita: perinde id est placitum diuinæ sapientiæ vt causa proxima, qua vtitur ad aliquem humilitate & caritate exornandum earumdem virtutum ornamentis effulgeat. Itaque dum operam virtuti nauatis, simul saluti proximi consulitis: nam licet ad perfectum absolutúmque instrumentum, vitæ sanctimonia scientiáque requirantur; nihilo tamen minus tum ad percipienda, tum ad communicanda dona sancti Spiritus, multis partibus litteris bona vita antecellit. Tertia ratio est virtutis vestræ exemplum, ex qua, non solum per vestras, quæ Dei est gratia, sed per omnes etiam regiones Europæ, bonus odor afflatur: qui sanctitatis & bonæ vitæ odor, vt in immensum excrescat, sua dona nostrum Dominum vobis conseruaturum, aucturumque confido. Quarta ratio iuuandi proximi (quæ longè & latè patet) sanctis desideriis precibúsque continetur. Verum hasce rationes, & alias huiusmodi, quarum non estis nescij, meliùs didicistis ab illis, cum quibus agere & communicare licebit, quàm ego docere, aut scribere valeam. Quamobrem multarum rerum scriptione abstinebimus, quibus hoc tractare argumentum possemus; sed cum scribam ex occasione, acceperímque vos aliquid à me litterarum expetere, iam vnis ad vos litteris me pariter, & vos consolandos putaui, nihil aliud impresentiarum habeo, vnum dumtaxat precibus à Deo saluatore & Domino nostro suppliciter contendo, vt sicut vos tantâ vocationis gratiâ dignari, & efficaci voluntate vosmetipsos, sibi consecrandi, impertiri non dubitauit; sic sua dona donis, & gratiam gratiâ cumulet vobis, vt perpetuò in virtutem crescatis, magísque ac magis in suo sancto obsequio ad suam ipsius gloriam, & emolumentum Ecclesiæ perseueretis. Datum Romæ IV. Nonas Martias, anno Domini. M. D. XLVII.

Vester in Domino Nostro.

IGNATIVS.

XVIII. *Ignatij opera in auxilium animarum.*

Cuius nonnulla hic protuli argumenta, pars est eius amoris potissima quo in salutem animarum pectus Ignatij feruebat, est enim tum vniuersalior, tum validioris efficientiæ, tum post ipsum quoque perennatura dum viuet

viuet Societas, hunc ipsum in finem ab eo conflata; vt tamen nihil prorsus aliorum manibus gessisset; per se tantum quod egit, titulum meretur, Apostolicæ caritatis. Principio vidimus, concepti vix animo diuini amoris, cœpisse in alios incendia mittere, nihilque iam tum quæsisse mitius, quam in transmarina Christiani nominis prædicatione vitam profundere: censuimus mores ab eo latè restitutos, Manresæ, Barcinone, Compluti, Salmanticæ, Parisiis, Aspeitiæ; reductos ad matrem hæreticos, ad regulæ legem cœnobia; ad honestatem clericos, academias ad sacrorum frequentiam; plurimos à mundi naufragiis ad portum ordinum religiosorum. Sodalitates præterea stabilitas; sublatam iurandi, ac ludendi pernitiosam consuetudinem, & execrabilem ex meretricio exempli offensionem. Ad hæc inuenta extranea raræ vixque auditæ caritatis, ad reuellendos è flagitiorum luto sceleratos, immersum aquis rigentibus corpus; repetita vltro, confessione & lacrymis annorum in sæculo admissa, ad emolliendam Sacerdotis mali duritiem; ac præ aliis quibusuis exercitia meditandi, quibus ad constantem profligatæ mentis emendationem perduxit innumeros, inter quæ omnia etsi nihil non, & periculorum adierit, & malorum perpessus sit, nullæ tamen hunc accusationes, opprobria, vincula, non inflictæ ad necem ab impuris plagæ; ad ignominiam à doctis maculæ, ignorantis, hæretici, & incantatoris vel transuersum vnguem ab salutis alienæ studio retardarunt, nec eluuione tot ingruentium malorum continua, eius incendij vapor intepuit, quod in illius animo Deus accenderat. Post firmatam autem Romæ stationem, inter alia secundis succesſibus instituta, conuersioni Iudæorum primum incubuit, annique vnius spatio, quadraginta ex ipsis sacro fonte lustrandos ad Christum perduxit: exibant vero de illius manu tam doctè ab lege, & Christianis moribus comparati, vt magistri magis quàm discipuli viderentur, eosque adhiberet ad Christum eorum gentilibus suadendum: præbebat iis domi hospitium; & de tenui erga nos, piorum liberalitate victum; donec iam numero domus angustior, ad proprias ædes illis conquirendas denique adegit, quæ post eluctatas difficultates grauissimas, tandem euictæ sunt, Deo serui sui constantes conatus adiuuante. Impetrauit deinde à Paulo III. ne qui ex iis ad Christum transirent, bonis vt antea, cedere cogerentur, quæ priuati damni sublata difficultas, ingens fuit illicium parendi gratiæ, ad sacrum baptisma clariori tunc face prælucenti, cum nullus eam metus obscuraret. Exorauit quoque ne liberi, Christum inuitis parentibus amplexi, vlla hæreditatis particula fraudarentur, quam iis natura destinasset; vtque bona incertis creditorum vsuris male parta, conuersi retinerent. Interea denique, vt sumptu proseuchatum Italiæ publico alerentur, dum cathecumeni ad Christi lauacrum parabantur. Præter hos pueris ac puellis omni ope parentum ac nomine, tecto, victúque destitutis consultum cupiens, tutum iis receptum curauit, vt hanc alioqui siccaret penitus, scaturientem furibus, ac meretricibus sentinam; præuerterétque propudiosa flagitia quibus

præsertim Romæ stabilita.

paret extrema, & otiosissima egestas. Duas ergo illis comparauit domos, maribus vnam, feminis alteram, orphanorum appellatione: in quibus tum extra periculum educantur, tum arte quisque sibi accommoda imbuti victum sibi quærunt, & publico seruiunt. Verum haud paulo maiori sollicitudine instituit, vt pauperum virginum pudorem, ætatis, & inopiæ discriminibus subductum in tuto collocaret, ne illum honestatis egenæ nundinatrix vafra, necessitas, ministerio infami venderet. His cœnobium S. Catharinæ, à Funariis nuncupatum fundauit, certámque descripsit qua illic vterentur vitæ rationem, dum aut nuptui darentur, aut attonderentur in sacras moniales. Promouebat opus Ignatius multorum conatibus, in quos familiari consuetudine, & exemplo sua tanti boni desideria transfuderat: in iis excellebant Iacobus de Crescentiis Romanus insigni familia prognatus; Laurentius à Castello; & Pauli III. piis largitionibus præfectus Franciscus Vannuccius. Cum his suum communicabat consilium, quo aditu iniri, quorum prouehi liberalitate, cuius Cardinalis tutela fulciri ab iis exquirebat; quot & cuiusmodi hominum conscribi sodalitas, qui possent fouendum, augendúmque id opus suscipere. Quibus inter ipsos maturè consultis, prior ipse rem aggrediebatur, manca tamen fuit humana prudentia in sustentando negotio duplici, contra multa hinc inde obstantia. Altero S. Marthæ, Germanici Collegij altero: & quidem S. Marthæ, inter assiduas Ignatij occupationes hæc erat sanè operosa, ereptas cœno, ac inferis meretrices, honestati, ac Deo reddere. Præpositus licet, ac ferme valetudine attrita, venari tamen pia indagine miseras; probrosis ex ædibus eas reuellere, palam Roma spectante comitari, securóque asylo includere; in quo monitus aliquando tempus in cassum, & operam conteri, quod hæc prostibula quantumuis nunc lota viderentur, cras repetitura lutum suum essent; respondit, sat beatum se fore si non ea solum, sed vitæ totius opera, & labore, vel earum vni suasisset, noctem vnam insontem ducere. Adiutrices illi misericordis industriæ fuere, matronæ nobiles non paucæ, quæ prædas infelices suis domibus dignabantur, in quibus matronis singularis fuit Leonora Osoria vxor Ioannis de Vega, Caroli V. apud Pontificem orator: Sed Deo iam contra spem vulgi, cœpta Ignatij latius secundante, cum tot pœnitentibus receptacula deessent, ad quærendam domum animum appulit, in quam omnes sub vnius ductum conuenirent, (cœnobium enim S. Magdalenæ viris iunctas nequaquam admittebat; solutas vero, dumtaxat si vellent monialibus adiungi) rem totam cum iis contulit, à quibus spes erat plurimum iuuandam; verum seu metu difficilis exitus, seu sumptus maioris quàm ferrent cuiusque domestica commoda; etsi nemo à cœpto planè recederet, cœteris tamen præibat nemo. Quare Ignatius, rei velut iam sibi à Deo creditæ, manum seriam admouet. Pro templi nostri tunc foribus effodiebantur lapides ex parietinis veteribus ad fabricandum nescio quid, illos vendi iubet, confectos inde centum aureos ducatos confert in coëmendam S. Marthæ sedem. Moueri ad hæc multorum pietas, reputare

putare Ignatium suorum, ac sui, & nominum, quibus bene multis premeretur immemorem, tantillum hoc, sed quantum haberet alacriter dare; ergo suo quisque pro commodo, & misericordiæ instinctu contribuere, ex quibus tandem ad Februarij sextum & decimum anno 1542. patuit locus receptui miserabilium feminarum: eius in posterum fulciendi administratio sodalitati commendata, quæ S. Mariæ de gratia dicebatur: claues eius tres, grauibus totidem, & nobilibus matronis commissæ: lex enim loco posita est, ne vel inde exirent coniugatæ nisi ad maritos redituræ; vel aliæ nisi futuræ moniales, aut conditione deinceps certa, extra periculum victuræ. Nec illis defuit tutelaris præses Cardinalis Carpensis, qui Societatem quoque suo patrocinio fouebat. Illarum confessionibus attributus est vir sanctus Iacobus Equia, cuius tum illic perpetuo agentis, tum Ignatij ope, eos fructus virtutum edebat pietas, vt inusitata earum laude passim sacra pulpita personarent, magnáque hinc illi domui fierent liberalitatis incrementa: paucis itaque annis censæ sunt trecentæ, seu quæ in illam se olim subduxerant stationem, siue quæ adhuc ibidem alebantur: multæ quin etiam honestæ virgines locum illic optarunt, breuíque in eum creuere numerum, vt conflandum ex iis cœnobium fuerit, quod anno 1546. inchoatum numero hactenus & religiosa floret probitate; conuersarum exinde sedibus in ædes translatis, quæ vulgo Piorum vocabantur. Afflabat operi aura secundior quam vt ferri posset à dæmone, absque sensu iacturæ quam inde fecerat: Primam in id rabiem despumat per impurissimos homines, qui ereptas sibi amicas indignati, experiuntur omnia, vt eas à portu in naufragium infame retrahant. Quæ frustra fieri dum vident, tum vero omni contumeliæ genere domum illam incessere; nocturna mensium quatuor lapidatione fenestras vexare; impudicis, ac belluinis clamoribus viciniam implere: ob quos nec Equia stationem suam deserente, nec remittente Ignatio consueta subsidia pietatis, famosis vtrumque, & alios de Societate libellis scindere aggressi, tam propudiosis narrationibus vrbem incestarunt, vt earum ruborem etiam stylus refugiat; iis etsi liquida non dabatur fides, at stolidioris vulgi execrationi insontes obiectabant: ergo signari digito dum prodirent, congressu auerti, vocitari earum mariti quas ipsi in suas aliis abstulissent; insimulari denique apud Pontificem, (vsque adeo effrons impudicitia) auctoritatis vsurpatæ, & hoc scripto supplici accusari, Ignatium Pontificem agere; cœnobia suo arbitrio figere; nouæ regulæ ordines creare; iactare se quotquot à viris propriis discessissent in exilium acturum, nisi se in eam reciperent domum; eius scilicet vnius, ac sociorum deinceps futuræ; postremo de iis habitam quæstionem, litémque ordinatam, at hîc nimium cæca errauit vesania: probè operis gnarus, eiusque auctoris Pontifex, causam, Ignatio petente, ad tribunal iudicum reiecit, vbi palam nudata calumnia in caput artificum recidit; accusatores, ad palinodiam publicè damnati, fassique publico instrumento se innocentibus affinxisse prædarum rapinam, quam pati non poterant, sanctissimo

eorum

eorum studio sibi ex vnguibus ereptam. Altera, quam aiebam Ignatij opera in Germanici collegij institutione versata est, singulari & obsequio numinis, & fauore. De quo id vltro solum indicabo quod Ignatium propriè attinebit, reliquis pro amplitudine, aliàs dignius tractandis; fuit enim inuentum Cardinalis Moroni Collegium illud: ipse Pontificis in Germania Nuntius perlustratis quas illuc intulerat cladibus Lutherus, Cleri passim insciti a, & fœdis moribus abusus, magna inde feruebat voluntate, illis prouinciis medendi: quod futurum putabat si Romæ, lectorum ex iis iuuenum seminarium conderetur, ex quo tum solidam recte sentiendi scientiam ducerent, tum agendi, quibus in patriam postliminio reuersi, quassatam fulcirent fidei veritatem, & labantem illic auctoritatem Romani Pontificis. Ad explorandam rem adhibitus ab eo Ignatius, magni viri sanctum consilium mirificè laudauit, eique in illam, quicquid in suorum, ac sua foret potestate prolixè detulit. Sub hæc, vnâ Moronus, & Sanctæ Crucis, qui & ipse rei Christianæ vtilitatibus plurimum studebat, rem ad Iulium III. referunt, à quo non modo approbationem, largáque ad dandum ei principium pecuniarum subsidia, sed etiam Pontificium diploma quo staret firmius retulerunt. Mandatur Ignatio vt adolescentes Germanos seligat (quibus etiam Belgæ tunc quidem adiuncti sunt) iisque vitæ morem, & canones describat. Conuenere initio quatuor, & viginti, qui die Simoni & Iudæ Apostolis Sacro, anno 1552. collegij primordia fecere, concionante ad S. Eustachij Ribadeneira, & coram multis Cardinalibus, eius Instituti rationes, & emolumenta prædicante. Quantopere autem Germanis hæreticis id displicuerit, abundè vel vnus testatum reliquit Chemnitius Lutheranus, aiens hanc vnam, etsi aliæ deforent, ob causam, posse Societatem, exitium Germaniæ, & reformati Euangelij ruinam merito compellari. Tam egregiè tamen, & tanto cœpta compendio, nihil propius abfuit, quam vt in progressu elisa concidrent; Paulus enim quartus, Iulio tertio, post Marcelli secundi Pontificatum breuissimum succedens, consueto largitionis subsidio abstitit; & quà bello Neapolitano, quà annonæ ac famis angustiis, contributio illa exaruit qua Cardinalium plærique id Collegium sustinebant. At stetit contra hæc Ignatij animus, certo prospiciens eam esse inchoati negotij naturam, vix vt vnquam restituendum esset, si semel disiici sineretur: iuuenes itaque alios alio in nostris Collegiis extra vrbem alendos amandauit, nonnullos Romæ sua impensa retinuit, ad quam cum esset pecunia, vsuris, ob difficultatem temporum grauibus sumenda, procuratori domestico animos addidit, certo asserens fore, vt submissis quamprimum Deo fauente largitionibus, ea nomina delerentur (quod breui res ipsa comprobauit) & futurum quandoque, vt Collegium id egens & angustum, in grandem numerum, & parem numero annonam amplificaretur, quo vaticinio Gregorij decimi tertij innuebatur munificentia, qui tum illud, tum alia opimis prouentibus instruxit. Hinc item illud Ignatij ad Cardinalem Augustanum, tam accisis tunc rebus, atque annis id negotium

negotium desperantem, suadentémque prorsus deponere, per mé, inquit, deponat quem minium grauat, sustinebo id solus, tametsi venundari me proprerea opus sit.

XIX. *Constantia Ignatij suscepti Dei causa negotiis.*

Et hic illud recurrit peculiare Ignatio magnæ animæ constans robur, in susceptis ad Dei gloriam vrgendis, contra in opiam & aduersa durans, quoad fine optato confecta cerneret, cuius roboris triplex erat hic neruus, prior agendorum diuturna, & æqua, procul omni affectu consideratio; alter diuturnum eorundē precando examen, & consultatio cum Deo; tertius, alieni quoque, sed peritorum iudicij, iisdem licet iam deliberatis interpositio, vt in disturbando, de purpura Francisco Borgiæ iniicienda negotio euenit; in quo vti diximus cum negaret se vel omnium hominum supplicatione inflectendum ad eam dignitatem in Societatem admittendam; subdebat tamen, si placitum aliter Pontifici foret, æquè se tranquillo animo laturum, vt si nunquam oppositum sensisset. Hanc eius expertus firmitatem Cardinalis Carpensis, intercessionem suam poscentibus ad eum aliò quam constituerat flectendum, consueuerat respondere, clauum fixit, nihil restat sperandum; imò etiam magnis principibus suadebat Iulius tertius vbi res à Deo commissa Ignatio ageretur ne vellent cum eo contendere. Factum aliquando, vt quærens admitti ad quendam ex Cardinalibus horas quatuordecim solidas, placiditate summa operiretur aditum sibi dari: die quodam Aluitum, Neapolitanæ ditionis pagum profecturus, itineri dixerat, eùm diem tanta vis imbrium intercepit, vt rogaretur à Polanco valetudinis eius sollicito, commodiorem expectare; at is, anni sunt triginta ex quo casus nullius interuentu quicquam omisi vel distuli, quod in Dei obsequium suscepissem, ingratiis, & ventis, & imbribus Polanco comite itineri se dedit.

XX. *Alia eiusdem animarum studij argumenta, & familiaritè cum proximo agendi ratio.*

Accedunt alia iam dictis documenta effusæ caritatis in communem quæstum animarum, in iis fuit multa quotidie ad Deum ardénsque precatio multæque lachrymæ pro Christi Vicario, Ecclesiáque vniuersa; pro conuersione ethnicorum, & hæreticorum; pro Christianis principibus quorum impetiis, & exemplo tantum inest ad diuina & æterna momenti, vbi vero priuatæ salutis, aut publicæ peculiaris instaret necessitas, nocturnis precibus diurnas augebat, magnam noctium partem cum Deo exigens, & suorum vota suis in subsidium addebat, vt in creatione nouorum Pontificum; Regum inauguratione, tempestatibus in Ecclesiam, maximè ab hæresi motis, & in peccatorum infamium correctione exoranda, inter quos fuit pro quo sexagesimum iam annum confessionis sacræ piaculum auersante, preces sibi ac suis priuatas, & publicas indixit. Sunt eius etiam caritatis actuosissimæ monumenta, singularis certaminis in Lusitania extinctus furor, antiquis in eum legibus suasu Ignatij ab Rege instauratis: reuocatæ ad disciplinam veterem moniales, quas illi in Catalaunia, Sicilia, & Italia Princeps Hispaniæ Philippus, Siciliæ prorex, & Cardin. aliqui commendarant: Tribunalis sacri institutio promota & Cardinali-

bus sex quæsitoribus commissa ad arcendas ab Italia hæreses: reconciliata inter Pontificem, & regem Lusitaniæ gratia: actum cum Ioanne de Vega vt Carolum quintum induceret, ad classem turcarum infestationibus opponendam; & cum Presteianne vt Æthiopiâ Romanæ Ecclesiæ gremio redderet, de quoad eum & literas, & socios misit. Ad hæc integrata inter cõiuges magnos Ascanium Columnam, & Ioannam Aragoniæ cõcordia sanè perardua, & quam diu frustra supremi etiam principes tentarant. Sed dum homines non satis concoquunt, plus verbis duobus priuatum effecisse, quàm ipsi tot machinis valuissent, volúntque agendo in partem eius gloriæ venire, sedatos amborum animos, peiore discordia inuicem abruperunt. Occasionem hanc tametsi obiter, sed fructu non mediocri occupauit, nam quibusdam in oppidis, & pagis quâ erat transitus, Christianos mores defluos erexit; legem mensæ diuinæ singulis mensibus adeundæ, consensu publico induxit; rogantibus Patres attribuit, qui magna deinde animarum messe agrum illum verserunt, quorum ne facilè deficeret labor, principes locorum Dominos rogauit missionum illarum patrocinium gerere. Ignatij quoque est, legis ab Innocentio tertio quondam latæ instauratio, à Paulo tertio impetrata, qua pœnis grauibus vetantur medici continuare ægrotis medendi officia, nisi confessionis medicina saluti suæ ægroti caurint: in quo ciuium opportunitati ne quid vnquam deesset, quod posset ab nostris proficisci, statuit vt primum ianitor de patre aliquo peteretur ad confessionem ægroti audiendam, signum ære domestico mox daret, omnésque ad vnum Sacerdotes, & quisquis præesset palliati ad ianuam currerent, quocumque res poscceret parati. Quod vero denique, homines diuino addictos obsequio qui regunt, exempli doctrina quam præceptionum, validius incitat, primum se omnium ad hæc caritatis benefica munera ferebat, sui vsque adeo oblitus, imbecilli, & cruciatibus stomachi pœne perpetuo laborantis, vt iactaretur inter nostros nunquam Ignatium melius habere, quàm cum plus haberet quod ageret, ac ne Præpositus suorum sollicitudine abstraheretur ab aliis iuuandis, sic inter vtrosque partiri seipse consuerat, vt diem proximo, gregi suo noctis horas sex septemuè tribueret. At vlla vix illi ars erat compendiosior, & quæstuosior animarum, familiaribus de animi habitu, Deóque colloquiis, in quo tantum valebat, agebátque vt traditum legamus, vix quenquam rescitum cum eo egisse, quin aut alius omnino ac venerat, aut propè alius inde recesserit. Atque hunc ipse nominabat Societatis modum genuinum & proprium, & quidem maximè, si adhibeatur vt par est, circunspectè, alioqui facilior afflare de mundana fuligine in religiosum, quam de religioso colore mundanis oblinere, eam ob rem serio videndum, quam esset in eo tenere solitus agendi rationem. [Imprimis (scribit ex eius familiaribus intimis non nemo) parens noster Ignatius, eorum caritate totus accenditur quos aggreditur Deo expugnare, totus ea impletur, toto pectore illam spirat. Quamlibet interdum perditissimi sint, amat in iis residuam Christi fidem, amat saltem

virtutes

virtutes quibus exciderunt, amat sanctam quam gerunt Dei imaginem, & Christi sanguinem quo tincti, & empti sunt, & ab dæmonis, ac turpitudinum asserti tyrannide: Explorat deinde naturæ habitum, & temperamenti; bile ignei, an pituita lenti, alacres an melancolici; quo vsi eatenus, quo tunc viuendi genere vtantur, vt hinc sibi modum agendi cum iis effingat, quo ipsi iucundius capiuntur. Nec primo aditu, commodis suis implicitos, de animi rebus statim adoritur, quod foret hamum sine esca & illicio iactare, sed prouide catus, de iis plærumque sermonem iniicit, in quibus quisque tunc versatur, de commerciis, si mercator; si miles de bello; de gubernatione, si aliis præsit, sensimque id efficit, vt ab iismet de rebus animi tractandi nascatur occasio: nam inde iam vltro ducente materia consurgens, & merces alias, & longè diuersa prælia, atque imperia eloqui; hoc est lucra æternum mansua; vitiorum impugnationes, & victorias; tranquillum suimet imperium. Quo more aiebat in colloquium, cum iis nos ingredi, vt ipsi nobiscum exirent] hæc ille, quibus haud absimilia scripsere qui viderant, & curiosius obseruarant. Nempe refert Ludouicus Gonzales, quoad religiosum, & sanctum deceret, vrbani congressus ratione scita, & nobili qui Ignatio præstaret se nosse neminem. Tum, quod in eo magnoperè suspexit Polancus, acceptum fuisse omnibus & ex æquo gratum, nec iis tantum promiscuè, quos distraheret inuicem discrepantia ortus aut genij, sed iis etiam, quos nationum auersa indoles, vel bellorum vtrimque hostilitas committebat: itaque dum acres nunc inimicitiæ, nunc bella, Imperatorem inter, & Regem Galliæ feruerent vtriusque apud Pontificem legatis', & præsulibus partium vtrarumque similiter carus, eadem vndique comitate, & vrbanitate habebatur, quod addit Polancus non humanæ fuisse solertiæ, vt quam eò vsque sua] tenuitas non attollat, sed ex familiaris consuetudinis candore, id vnum spectante fideliter, & agente, vt animarum prodesset commodis, easque, Deo gratas exhiberet. Eam demum ait erga sceleratos, amoris teneritudinem proferre solitum, vt in caritatem, & suauitatem defluueret totus, quo pacto pia mater iacentis filij miseratione se macerat, blanditúrque illi sedulitate haud paulo delicatiori quam sano, & valenti. Quod erat tam notum, vt B. Francisci Borgiæ germanus frater, eius per literas amicitiam expetens [vt me inquit, V.P. velit inter filios censere, nullius possum meriti titulo sperare, nisi quod aut frater Patris Francisci sum, aut magnus peccator, quorum profecto duorum nominum admodum dubito, ad conciliandum mihi P. Vestræ beneuolentiam, vtrum sit futurum potentius.] Erat Iacobo Lainio tam acutus conscientiæ, ac tener sensus, vt morte peius labeculam quamlibet horreret, quod autem non omnes ita essent affecti, & quædam interdum extra lineas disciplinæ domi agi notaret, iis æquo grauius angebatur, dolebâtque illa non raro apud sanctum patrem. At is aliquando talia queritantem, acriter obiurgauit, ne febri quidem parcens qua tunc Lainius iactabatur. Illo enim tam tristi odio aduersus næuos aliorum, ab iis nos animo

abduci quos maculant, inflectíque potius ad eorum horrorem nescio quem ex deformitate qua laborant, quam ad eos, spe boni iuuandos, quod iis diligendis, posset ex ipsis expectari. Inducto ad eum quem diximus aditum de diuinis sermone Ignatius, (in quo *tanquam potestatem habens*, teste Borgia versabatur) tunc sibi iam satisfacere, tunc omnia pandere caritati suæ spiracula; itáque animo, incendi, vt in vultu ipsius flamma pectoris legeretur. Certum quidem est se audientibus tantum ignis afflasse, vt ab eo digressi, non raro ad confessarium procurrerent, peccata illico posituri. Quod idem publicis illius concionibus effectum, vt in platea monetæ veteris, & Alteriorum, in quibus, vt plurimum ad populum dicebat, illic principio ab turba puerorum explosus, & luto appetitus, sed exerente se paulatim in animos, eius vi dicendi, & efficacia spiritus in eo loquentis, multis confluentium lacrymis, & conuersione morum est auditus. At si quando ab illo hominum genere crebrius adiretur, quorum occalluissent aures ad vtilia, nec aliud quærerent nisi supina otia fallere, insinuatione omni supersedens, abruptam iis ingerere de negotiis animæ allocutionem, de morte, & iudicio tractare, de turpitudine peccati, atrocitate ignium æternorum, ac similibus austeris, quæ istiusmodi hominum quantumuis ij insurduerint, mordaci vero aures radunt. Quo facto sibi vnâ, & illis, aiebat consuli; nam vel audituros, abiturósque meliores quam venerant; vel si ægrè audissent, minimè reuersuros, ita fore, vt subripiendo sibi deinceps tempore abstinerent. Verùm gratiæ ipsius suffragio in aulæ officia intrudi poscentibus, facultatem sibi negabat esse accessum quoquam iis procurandi, præterquam in aulam Christi regis, hac si aliam vsquam nacti essent quærendo meliorem, etiam atque etiam redirent, seque illam docerent; sin autem, se toto liberè vterentur, vt assequerentur in ea non modo locum, sed quoscumque ambissent honorum gradus, illic obtinerent.

XXI. *Hæreticorum fraudes ad inficiendam Romæ Ignatij domum.*

Hoc tam multiplici ad seruandas animas ardore, crebráque in varias longè prouincias expeditione præstantium operariorum, Europa omni celebrabatur Ignatius, fremente interea hæresi, aduersis signis in sua exitia moueri: cumque vernaculis artibus Ignatium, & suos passim traduceret tanquam venalia Papæ mancipia, cuius fidem Romanam tantis conatibus tuerentur; sed fuit inter hæreticos qui fore cautius putauit, si talium hominum, aliquem sibi conflarent manipulum, quem suis apprimè venænis imbutum Romæ haberent vicinum Pontifici, vnde quaqua versum breui suam pestem proflaret: commentum Philippi Melanctonis eiusque asseclæ. Hanc sibi prouinciam suo periculo assumpsit Calaber eorum discipulus, nomine Michaël, vafer ingenio, & acutus, hic è Germania cum Romam venisset, Societatem quam petebat, rite probatus obtinuit, nihil eo ad oculum sanctius, nihil modestius. Ad sacra tanto frequentior, quanto nullam iis præbebat fidem, magnam vero hinc sui colligebat. Datur homini, vt solet tironibus, triclinij cura, additúrque socius Manareus, cui vbi se credit

iam

iam familiarem, comperitque in scientiis versatum, vtpote ex Parisiensi Academia recentem; ausus est eius arteriam callidè tentare, vt eum sensim sibi adiungeret. Ergo de affixis triclinio sanctorum tabulis, velut addubitans, ex Manareo requirere, in quem vsum eæ essent, ac num sibi timeret ab scelere idololatriæ dum iis caput, & genua flecteret? respondit Manareus quod debuit; cui subinfert Sycophanta, at vide sis quæso, noueram in Germania Theologos insignes, qui religioni hoc sibi ducerent, laudarèntque beati Ioannis verba quædam, quibus id disertè videtur damnari, *cauete*, inquit, *à simulachris.* Neque vlteriùs tunc quidem progressus, eundem aliàs socium rogauit quid significaret illud S. Petri *salutant vos fratres qui sunt in Babylone*? Manareus Romam ab Apostolo, sic ait vocatam, quod ex omni tunc superstitionum, & falsitatis colluuie constaret, *& magnam* (vt loquitur S. Leo) *sibi videretur assumpsisse religionem, quia nullam respuebat falsitatem.* Cui subridens homo vaferimus, etiam inquit, Germani Theologi Romam intelligunt, sed alia veriùs, vt dicunt ex causa, nempe quod prospiceret Apostolus Anti-Christum (quem ipsi Papam esse affirmant) sedem illic esse posiurum, quam regius vates pestilentiæ nominauit: atque hinc Manareus ambigere desiit, an hic esset lupus in ouina pelle, cuius tamen vt fieret certior, necessitudinem præferens in dies arctiorem, fabulandi materiam sæpe ex talibus ponebat argumentis. Illum è contrario tantumnon irretitum, tenere se ratus hæreticus, confidentiùs erroris dogmata, simulata dubitatione depromebat; quæ iam numero quinque, & vigenti cum sub diuersis paulatim congressibus notasset Manareus, restabat rei indicium cognitori legitimo faceret. Quæ cum arcani fiducia duos inter hactenus latuisset, experiri subiit, an posset tres de præcipuis positionibus ab eo scriptas elicere, de quibus inter se serio decertarent, sed coram amico ambobus iudice, ne alioqui contentione inutili pugnaretur, conditio placuit, & peius cupidus quam bene consultus hæreticus in eam descendit. Euerardo Mercuriano viro doctissimo præsente, tres quæ petebantur positiones scribit, & Manareo tradit paraturo secretam de iis disputationem. Manareus tùm illas tùm alias, tùm quicquid inter ipsos actum religiosè, & candidè ad Ignatium defert: Ignatius ex templo ad præfectum sacrorum quæsitorum Carrafam Cardinalem qui fuit postea Pontifex, inde cultu quem ex sæculo tulerat indutum hæreticum domo pellit, ex qua vix egressum, sacri tribunalis satellitium excubans in carcerem ducit, vbi Lutheranæ conuictus hæreseos, triremi perpetua damnatur, fraudulentiæ pestilentis condignas pœnas luiturus. Primam hanc fabulam cum infeliciter egissent hæretici, concinnarunt aliam non multo meliorem: magistros suorum dogmatum, domum nostram immittunt subornatos, qui possent illic impunè docere, hoc est Venetiis, piæ, ab ignoto mecœnate, largitionis nomine, libros multos, quos Romam peruectos professorum domui reddendos curant, cistis grandibus duabus claudebantur; harum pars suprema, in reliquorum specimen obiecta,

scriptores exhibebat catholicos; Lutheri, Melanctonis, similiúmque fœx, fundum velut in insidiis tenebat. Seorsum dum possent per otium compingi, nam soluti ac nudi venerant, in Bibliotheca reponuntur; cum eidem, vt reor cœlitus, Manareo incidit cuiusmodi auctorum essent ij codices, velle inspicere; partéque illorum maxima aduertit, damnatæ doctrinæ lethale toxicum exsudare. Quare illos Ignatius (quod tunc cautum nihil esset de iis ad sacrũ tribunal perferendis) omnes igni addixit, & sic vtrobique vulpinæ fraudes vanuerunt. Sed quod ij apud nos pessimis artibus in cassum tentauerant, hoc ipse optimis apud illos effecit. Multos enim Luthero variis in locis abstractos Ecclesiæ reddidit: inter quos Romæ audaculum iuuenem, & sui erroris tum pugnacissimum defensorem, tum satorem præfidentissimum, vt qui prima nondum barba tinctus, clandestinum illius magisterium professurus procul aduenerat. At suas pedicas tam cautè nequiuit tendere, quin detegeretur hæreticus, & quæsitoribus fidei sisteretur, à quibus ætati donata temeritas, cogitatúmque potius de illius emendatione quam de supplicio; sed frustra, nec minando quicquam, nec suadendo mouebatur, adeo errori animum penitùs, & pertinaciæ obstinarat; nam vt subtilis esset ingenij, scire certè plura non poterat, quam per ætatem discere licuisset, ad extremum igitur veluti conflictum Ignatio traditur, excipitúrque ab eo domi humaniter, cum omni significatione beneuolentiæ: agit cum illo identidem de Deo Ignatius, sed de illo sæpius cum Deo, vt suis primum apud Deum precibus illum expugnaret, deinc etiam collocutione quam ipse, & alij patres accommodatam illius ingenio cum eo miscebant de rebus fidei quas aut impugnaret, aut minus probaret: manus denique veritati dedit, erroréque publicè confessus resipuit. Post autem rogatus, tam initio durus, & inflexus, qui se repente tam cereum, flectíque facilem præbuisset? aiebat Ignatium sua id quidem, & suorum doctrina, sed magis vitæ sanctimonia patrasse, sic enim se ratiocinatum, si foret à fide Romanæ Ecclesiæ, alia vsquam vera fides, Deum profecto haudquaquam commissurum, vt eos homines lateret, qui vitam viuerent tam puram atque illibatam. Hæc hæretici iuuenis expugnatio, aliam reuocat iuuenis pariter, sed hebræi. Confugerat hic ad Ecclesiam, petierátque sacro fonte tingi; alebatur interea domi nostræ vbi necessariis rudimentis ad sacrum Baptisma cœteri etiam catechumeni parabantur; dies dicta Baptismo solemnis imminebat, cum ecce tibi miserum corripit tam dira iterum Iudaismi, & improuisa rabies, vt nec blandimentis, nec rationum vlla vi moueretur. Dolens vehementer Ignatius hanc sibi prope de manibus extorqueri prædam, ante omnia opem, ad illam Deo asserendam, ardenter precatus est, inde ad se accito, mane, inquit, Isaac nobiscum (erat id hebræo nomen) tribúsque his tantummodo vocibus, ita subito Deus hominem immutauit, vt primi deinceps tenax propositi, illud non multo post Christo renascens expleuerit.

Nunc

XXII. *Qualis erga Deum Ignatius, ac primum de Dei fiducia.*

Nunc eo nos rerum progressus induxit, vbi erga Deum qualis Ignatius fuerit spectemus; inde quo pacto ad fruendum illum pretiosa morte peruenerit. Atque hic imprimis admirari subit quam æquatis perpetuo vicibus, & filij more Deo confisus sit, & paterno affectu ab eo defensus. Fuit vita Ignatij à conuersione ad exitum, ærumnarum catena, ex periculis, & calamitatibus conserta, velut totidem annulis, & vicissitudo laborum continua, nonnunquam etiam eorundem pertinax, & longa perpessio, egestas summa, cruciatus morborum, insidiæ aduersantium, defertiones amicorum, odia publica, probrosæ accusationes, vincula, lites, lethalia verbera, & illud denique per omnem vitam *quotidie morior*, tametsi variis moriendi figuris, in quibus tamen haud vsquam timidior eius securitas, vel animi quies turbatior, quam si vitam egisset in Edeni horti deliciis beatam. Hac nimirum ex causa quod non modo pro Deo tot & talia toleraret, in quo vt amoris, sic iucunditatis summa, & cardo est; verum quod cum Deo illa etiam perferret, hoc est paternæ ipsius tutelæ securus adeò, & certus, vt omnem sui in eum deponeret curam; quicquid autem aduersi contigisset, totus vellet ex eius nutibus pendere, à quo tam posset facilè id depelli, quam esset piè atque beneuolè illius sibi consilio, & prouidentia conscitum: quo modo ait Augustinus, faculam, aut sursum recta extuleris, aut inflexeris deorsum, planéque inuerteris, flammæ semper acumen sublime vibrare. Nec sustinendis modo molestis, & tristibus, sed suscipiendis quoque magnis, & arduis, spes omnes habebat confisione integra in Deo defixas, vt qui humanitus, ex consueris agendi præsidiis futuri exitum ariolabantur, temeritati facilè tribuerent, quod plena Dei fiducia aggrediebatur; solitus dicere volenti grandia in Dei obsequium præstare, cauendum maximè ne nimium saperet, suumque vnius cerebrum, & manus; industriam scilicet, viréque consuleret: hæc si consuluissent Apostoli, numero pauci, scientiarum rudes, aspectu contemnendi, nunquam magnum illud omníque potentiæ ineluctabile, de orbe expugnando, de regibus, & sapientibus cruce domandis, Christóque subdendis fuisse aggressuros, sed hoc ausos maiora & animosiùs, quò se iis impares nouerant, certi se illius numine rem gesturos qui *eligit humiliter natos, inhonoratos, illiteratos, vt quicquid magnum essent, & facerent, ipse in eis esset, & faceret.* Ab hac Ignatij securitate philosopha, incredibile sit quantos spiritus Xauerius hauserit, hac imbutus Indias petiit, de hac inde in Europam sic scribit [Semper animo obuersatur quod ex optimo patre nostro Ignatio frequenter audiui, hominibus de Societate modis omnibus enitendum, vt propulsarent ab se metus illos quibus auerti se ab integra Dei fiducia sentirent.]

Aug. l. 18. de ciu. c. 49.

XXIII. *Fiducia Dei edita ab Ignatio exempla.*

Fiduci huius, diuini securæ præsidij, monumentum illustre Ignatius posuit in fundatione Romani Collegij. Re carens; grandi ære obstrictus; calamitate temporum à spe subsidij exclusus; commeatu cibario domi nullo, multos tamen illic in Societatem admittebat quorum propterea

crescebat

crescebat quotidie præter modum sumptus ; sic enim fieri addecet, inquit ille satisfaciens Patri cuidam, à quo satis capi non poterat, qua prudentia isthæc gererentur ; sic inquit, aduersis fluctibus, ventísque nauigandum, tantóque in Deo spes confidentius firmanda, quanto desperanda videntur omnia. Huic vero illius inusitatæ expectationi, respondebant ij semper exitus, vt domi nunquam inopia crescceret, quin suppetiæ augerentur, vnde admiranti, percunctantíque Bobadillæ vnde tot alendis sufficeret sociis? piarum ipsi largitionum catalogum texuit, quas à diuersis accepisset ; verum Bobadillæ summam illorum computanti, ne mediam quidem partem sumptuum æquare ; ita ne? respondit Ignatius, ergo nos à Deo nulla in re pendere? nec nisi piarum largitionum fiducia Deo confidere? in Dei manibus illa inuenio, quæ non inuenio in manibus hominum, adeóque si nihil hi dederint, accepturus sum à Deo omnia. Vt autem inpensis diuinæ liberalitatis, ei Collegio initium dederat, ita illud iisdem promouit, erant in eo Patres duode triginta : Rectorem illorum Manareum accersit Ignatius, iubet totidem patribus, ibidem cubicula, supellectilem, & victum parari, & quantùm centum sociis sat esset. Ad hoc erant Polanco fabricæ præfecto mummi aurei quinque ; haud quidem residui, sed quod non essent legitimi ponderis ; operi nihilo secius accingit sese, illius ærario confisus cuius gloriæ seruiebat, ope quidem illius tam prodiga, vt breui tum ædes, tum alium omnem ad habitandum apparatum, hospitibus nouis, duobus & septuaginta instruxerit. Probauit Ignatius omnia præter granarium, lectis, & mensulis in aulam quidem multorum capacem transformatum, sed nudis sub tegulis, nullóque tabulato ; versúsque ad Rectorem, certè pauperum more, vult, inquit, Deus suos habitare, at non vsque adeò miserè, vt videris velle ; deerant fortassis Deo pecuniæ, ad imponendum istic è tabulis lacunar, vt eos propemodum sub dio agere oporteret ? atque id quamprimum imponi mandauit, vtque omnes hi sumptus fuerant Dei nominibus adscripti, sic sunt ab eo quantocyus persoluti ; vt esset minimè dubium, quæ nomina in Dei obsequium Ignatius faceret, ea sibimet Deum imputare. Verumenimvero, dum centum quos dixi collegium incolunt tantas Romæ, annonæ caritas ad bellum accedens, rei cibariæ, & pecuniarum inuexit angustias, vt etiam valdè locupletes, suam non sine incommodo tueri dignitatem possent, tantum aberat, vt possent opitulari egentibus ; quinimo familiarium numerum Cardinales ipsi minuerent. Ergo Ignatium, penes quos erat collegij administratio, super hoc adeunt, videbatur enim quibusdam nimium arrogans, eam tunc multitudinem alendam retinere, cui dempta stipe nihil prorsus supereſſet ; at enim ab iis, vt suadebatur aliò mittendis alienum adeò viderunt, vt tunc etiam pro iis meditaretur emptionem quinquaginta millibus nummorum, nec sua illum Dei fiducia, in suppeditandis tam amplæ familiæ necessariis fefellit ; nam ne obolo quidem suis auarius adfuit, quàm si ea annonæ communis difficultas, ad eos minimè pertineret. Quod Ludouicus Gonzales admirans, cum miraculo

miraculo attribueret; Itane miraculo (ait) foret potius mirum si aliter fieret, certò miraculum fuerit, si desit Deus sua ope confisis, nequaquam vero si iis succurrerit; necdum tu hactenus aduertisti quò plures nobis adiuncti sunt, eò nobis annonam copiosius auctam esse; attendamus tantum diuinis obsequiis, Deus nobis quæ opportuna fuerint videbit, ego planè si opus facto sit, quàm fidenter hos centum admisi, tam facilè alios ad mille admiserim; perinde siquidem Deo est mille, vt centum, aut denos alere. Re autem vera Deum illi suæ familiæ peculiari suo sumptu necessaria commoda curasse, manifesto non semel indicio patuit: contigit quandoque signum dari ad mensam, cum nec frustum panis domi suppeteret, punctóque temporis eodem, largam stipem submitti, quæ tanto numero abundè sat esset. Alias vinum, panis, omnia cum deessent, repente omnia adfuere: patente siquidem carrucariis ianua, dum ligna intro demitterent quæ dono aduexerant, reuersus ianitor tantum illic frumenti, viníque reperit, quantum ferre aliquot iumenta potuissent, humano vel angeli ministerio incertum. Ad hæc Ignatio post stipem nouis casibus imminutam, nihilo ægrius domum nouis sociis augente, dispensator domesticus Ioannes à Cruce, ab Laterano se recipiebat, inclinabat in noctem vesper, cum amphiteatro propior in hominem incidit nunquam antea sibi visum qui aureis centum, silentio in eius manu repositis, derepente attoniti oculis se subduxit. Et huic simile aliud eidem euenit: summo mane quiddam empturus exierat, homini occurrit, qui plenum illi & graue marsupium tradidit; quod autem nondum satis illuxisset notare illi hominis vultum non licuit, sed facti perculsus nouitate, vt erat valdè simplex, subueritus est ludibrium dæmonis adulterina pecunia suam periclitantis paupertatem, templúmque ingressus proximum Dominicanorum ad Mineruam, Deum rogauit, eiusmodi fraudes ab se defenderet. At enim illa gratiarum non metus fuit materia; probatissimi nempe auri summa, quæ nobis contracta nomina diluit. Visus quoque Deus affini huic ludo, Polanco animos addere cui nostrorum Romæ temporiaria res, tota incumbebat; capsam enim prostantem, & apertam versans, dum veteres inter, & reiectos pannos, cartas quærit amissas, glomum offendit aureorum, qui tam erant pulchri, & lucidi vt si recens cusi ex officina prodiissent, & præsentem quidem inopiam perquam commodè leuarunt; à quo illic fuissent quamdudum, & vnde repositi diuinari non potuit. Hinc frequens in ore habuit idem Pater, ad sumptuosa quamlibet opera nunquam se argenti quod in numerato sibi foret, rationem ducturum, sed hoc solum si ea mandasset Ignatius; eius enim dictorum fiduciam thesauro quouis fore sibi semper locupletiorem, cumque vir esset alioqui magni animi & capacis, suam tamen illi crebro Ignatius exprobrabat timiditatem atque angustias pectoris, nullam spebus volens præfigi metam in eo statuendis, cui magna largiri & grandia æque pronum sit ac velle. Neque aliam profecto nisi Dei, tantum subsidiariam respectabat manum Ignatius, quare die quodam à Marchione Sarriano Re-

gis Catholici ad Papam legato, quem honoris gratia visebat, exceptus solito frigidiusculè, hinc ortum putaui quod Societati cum esset intimus auctoritatem qua summa valebat doleret in nullo ab Societate adhiberi, & Ribadeneiræ quem comitem duxerat, significauit ab annis triginta doctum se à Deo humanis vti præsidiis in rebus etiam ad Deum spectantibus, haudquaquam tamen iis ita niti, vt eam haberet confidentiæ anchoram, nec se id legato dissimulaturum, vt intelligeret suam nobis beneficam gratiam, fiduciæ illius dispendio non interpellandam, qua spes omnes nostras à Deo præcipuè suspensas habere nos decebat.

XXIV. *Tutela, fiducia Ignatij in Deo reposita.*

Diuinæ opis fiduciam quam enarrauimus, aliis magis Ignatius quam sibi contulit. Quæ verò propriè illum tangit, eam ex tota eius vita relegi opus sit, quæ fuit quidam illius mutuus pro Deo satagentis; cum Deo vicissim tuente, ac fauente conflictus. Hinc susceptа pro Dei honore ardua, extráque spem posita; reiectum quicquid humani subsidij poterat, confisum Deo minuere animum; aduersorum contemptus, quæ vitam aut famam impeterent; aditus periculorum continui, sed ita sereni, & alacres, vt si aut mari tranquillo luderet, aut in Dei sinu quiesceret. Vice versa Deus, quanta, quam varia, & admirabili tutela, egenti succurrit, periclitantem confirmauit, defendit vexatum & supra quam fore videbatur ad metam perduxit quam in salutem animarum sibi præfixerat. Barcinone testes sanctimoniæ radios ex eius mendici facie vibrauit, quo à nobili matrona eiusque coniuge reuerenter ac liberaliter haberetur. Venetiis pij Senatoris beneuola reprehensione, iacenti in publico, domi eius hospitium parauit. (Patauij, vt omnes tunc temporis externi, pestilentiæ suspectum), in vrbem tamen vti promiserat induxit, custodum vel oculis vel animo ne aspectabilis fieret præcauens; Cyprum nauiganti, ventum iussit reflare salutarem, quo toties nautæ in altum reiecti sunt, quoties deserto in scopulo scelesti exponere illum voluerunt. In Palæstina à mancipio Armeno barbarè acceptum, manifesta Christi præsentia diu recreauit, omnem tollens inflictæ ab eo iniuriæ sensum. Illusum à Nauarcho, & reiectum iussúmque sanctitate pro nauigio vti; vltus est Deus Nauarchi naufragio, dum interim quæ sanctum portabat nauis gratuita, portum, licet vetusta, & quassa tenuit. Exagitato passim Dei causa calumniis, cognitionibus, carcere, Deus amicorum, patroni, defensorum quos recusauerat, & denique omnium loco fuit, restituítque in eum famæ gradum, vt suspiceretur tanquam alter in catena Paulus. Compluti miserum, traducti ab se Ignatij fidem tanquam rogo digni, ignis adprecatione confirmantem, eo ipso die, igne domi consumpsit, ne qua Dei setuo ex illius imprecatione suspicionis fuligo adhæreret. Adornatam insonti Parisiis publicam, & infamem pœnam, in publicum illi triumphum conuertit, Rectore Collegij, palam ipsius genibus aduoluto. Parisiis item ob adiunctum sibi Xauerium gladio appetitus subita ope seruatus est, exterrente homicidam Deo, prosternentéque ad eius pedes pro venia supplicem. Bassani ab socio transfuga, eremitæ postpositus,

tus, & ab eo spretus eremitâ, vtrimque honorem, miraculo duplici recepit, leuitate socij spectro terribili firmata; & docto cœlitùs eremita de vera Ignatij sanctitate. Romæ tandem à fœda hæretici nota, quam coniurati calumniatores ei impegerant; à nece quam illi ferebat sacrilegus; ob admissum in Societatem filium, & ab vno è suis pertinaciter aduersante, diuina bonitas illum eripuit: nam eosdem Romæ subministrauit illi testes, quos in Hispania, Gallia, Italia, sanctimoniæ iudices laudatoresque habuerat; & vibratam in vulnus homicidæ manum repente siccauit (quæ pœnitudine postea in vsum rediit) & contumaciam socij se vlturum suscepit. Et vero huic in S. Ioannis Lateranensi Basilica, vir aspectu ferox flagello minatus est nisi Ignatio pareret, quod etsi terrore adactus fecit, eius tamen flagelli, tempore, & loco ictus sensit, cuius solo horrore ad futuri emendationem fuerat perculsus.

XXV. *Summa Ignatij in purgando animo cura, illius Examina, forma particularis examinis.*

Hac consensione animi & curarum, semper Deo Ignatius, Deus Ignatio studuit, quod est mutuo ardenter amantium: in quo Ignatius, vt coram Gregorio XV. Cardinalis de Monte, eximiè dixit, eius in arcano Cardinalium Senatu virtutes referens, *martyrum, & multorum reuocauit exempla sanctorum, qui sui penitus obliti, de diuina gloria tantummodo laborabant.* Verum vt est amoris vndequaque perfecti, sui propter Deum semper immemorem viuere, sic ad eius quoque excellentiam amoris pertinet; propter Deum, numquam sui omnino obliuiscì, hoc est habere seipsum semper in oculis, seipsum seueri examinis inspectione consulere, ad notandum ecquid forsitan insit, quod Deo non satis placeat. Qua in re certo affirmari potest fuisse Ignatium summè exquisitéque diligentem. Hora ei exibat nulla quin colligeret sese, & quicquid per illam dictum, actum, cogitatum sigillatim ad lydium vocaret, ita quot horis currit dies, vultu animæ cultiori, Deo se toties sistebat ornatior, nouóque auctus proposito, sequentis horæ occupatione vincendi præteritam. Vbi ardet ingens Dei amor, ibidem splendet & magna lux, in hac vero quid Deo placitum, aut secus cernitur; & sollicitus vtrimque oritur ambitus amouendi ab sese næuum quantumuis leuem, & pæne oculos fugientem, etsi viris sanctis nihil leue, si Deo displicet, cuius cum vrantur quam sui amore flagrantius, vltro inituri sint ignem quemuis ex quo emergant expiatiores, vt mirum non sit ad hoc quamlibet illos diligentiam admouere, vel crebrum examen, vel acerbas de seipsis pœnas. Aurum præterea diuinæ caritatis à metallico distat, cui ad supremam, natura vel arte, obrusam excocto, nihil dici potest ad auri excellentiam deesse; operibus vero caritatis sua inde perfectè dignitas, & excellentia, non constat quod concretione aliena insensibilium quoque defectuum nihil eorum legi aut pretio decedat. Sancti enim viri, Deo eiusque amore incensi, suam Deo vitam solent opponere; hoc est qualem, & vellent, & esse deceret attendere, vt digna Deo esset, ad quem cum nihil sit tam sanctum, quin multo vitio scateat, hinc sua omnia velut officio, rectóque imparia, lance assidua trutinant, ac nouo meliorum

propoſito expoliunt ſemper, & abſoluunt. Quæ humilitatis caritatiſque palæſtra perpetua magnos breui progreſſus virtuti adiicit, in hac Ignatius cum exerceretur aſſiduitate ſemper acri, & vegeta, illorum mentem capere ſatis non poterat, qui cuperent quidem Deo perplacere, & in agone pietatis eminere; hanc tamen cordis interrogandi, expiandi, perficiendi frequentiam ſtrenuam ſuſdéque haberent. Vnde illud eius, viſum patri cuidam valdè mirum, qui roganti quoties animum eo die ad examen vocaſſet, cum reſponderet iam ſepties, hem! ait Ignatius, tam raro? quamuis multæ ad noctem etiam tum reſtarent horæ. Præter hanc ſui inſpectionem tam crebram, & ſedulam, & prolixiores duas de media die, & ante ſomnum, aliam in vſum reuocauit, antiquorum patrum inuentione conſecratam, ſibique Manreſæ ab eodem illorum magiſtro ſpiritu ſuggeſtam. Examen ab eo particulare nominatur, quòd in expugnando ſingulari aliquo vitio tamdiu occupetur, dum id radicitus extirparit. Eſt hoc inter alia mirè potens ad animi ſcoriam breui tempore abſumendam, obtinendámque puritatem conſcientiæ illibatam, ſi tamen præſcriptis ab eo regulis peragatur. Harum aliquot hic deſcribam vtilitati magis legentium ad imitationem conſulturus, quam piæ curioſitati ad cognoſcendam viri ſancti induſtriam. Igitur vis omnis cum tanto in hoſtes ſingulos erumpat lentior, quanto in multos exerta diuiditur, raro integrâ potitur victoriâ, etſi continuo prælietur: ex quo fit, vt præter communem contra omnes pugnam, ſingulare ſeorſim cum vno aliquo certamen, cautius ineatur, iſque ante alios petendus quem magis auerſatur Deus, vel quia capitalior per ſeſe, vel quia damnoſior. Mane prima ſit euigilantis hæc cogitatio, & ardor, pugnandi cum eo defectu quem expugnandum legerimus, poſcendíque ad hoc à Deo robur, & animum: ſit deinde ad manum conſuta in libellum carta, cuius pagina quælibet quatuordecim ſignetur lineis, quæ dies hebdomadæ, ſeptem binariis referant, ſic tamen vt ſequens linea præcedenti ſit ſemper breuior. Harum enim eſt vſus ad ſubducendam ſecum quotidie bis ratiunculam; ante praudium excutienda pars diei tranſacta, ſignandúmque tranſuerſis tot prima in linea ductibus, quot nobis contigerint in vitium lapſus cui debellando attendimus; idemque ſerò factitandum. Quod autem ſperare ratio ſuadeat fore ſemper lapſus numero pauciores, ob id prioribus, poſteriores lineæ ducuntur breuiores. Quanquam duci longius primis oporteret, ſi conferretur id examen in actus virtutis alicuius complures quotidie edendos: nec putet fortaſſis inconſulta cuiuſquam grauitas nimis puerilem ſuorum hanc lapſuum geminam computationem. Valet primum ad tempus cum matutino pomeridianum; hodiernum heſterno; exactam hebdomadam, ſuperiori conferendam, & videndum ecquid in melius, vel in deterius itum ſit, ac inueſtigatis labendi cauſis, de cœtero cautius iis occurrendum. Valet eadem ad æquandás vtcumque cum Deo rationes, offenſionum vnamquamque pœnis ſingulis exſoluendo: ita Ignatius importunam ſuam ridendi conſuetudinem peculiari examine impugnans, quoties riſiſſet,

sisset, totidem sibi catena ferrea inflictis plagis noctu exsoluebat. Quin & interdiu mox, vt errasse se viderat, sublatis statim ad Deum oculis, vel admota pectori, quasi aliud agens, manu, veniam tacitè precabatur; ac Manresæ dum egit, vt numerum lapsuum teneret quos per exaamen serotinum animaduertisset, nodis illos signabat func quo præcingebatur implicitis.

XXVI. *Rebus terrenis omnibus superior Ignatij animus.*

Tam incensa Deo placendi studia, cum æquali eiusdem amore, ac diligentia tam exquisiti tribunalis, coniuncta, dici non potest Ignatij animum quàm sublimem leuarint, ad purgatissimam sanctitatem: mille in se suaque omnia apertos pandebat oculos, vt qui Deo adstaret continenter, eiusque ex se pulcherrimam in qua totus hærebat speciem optaret quantum fas homini referre, atque omnem horreret labeculæ vmbram, qua in oculis Dei formosus animæ obscuraretur nitor; accedebat his auulsum, & liberum à creatis pectus, vnum in iis amans & appetens Deum, & in eo vno vniuersa. Nihil erat in humanis, cuius voluptate, aut desiderio tangeretur, & perinde habebat iis prorsus carerere, quàm supremo iure omnibus dominari; præter Deum enim flocci omnia pendere, extra illum cuncta, quantacumque hæc forent infinitis sub illo abiecta spatiis spectare, ac pro nihilo spernere, summa eius votorum apud Deum solaque ambitio Deum diligere, & in eius amoris pretium, amando crescere. Hoc vt impetraret à primo vitæ mutatæ initio concinnauerat sibi hanc preculam, quæ nisi ad homines virtute perfectos non pertinet, si non ore tenus, sed ex animo recitetur. *Suscipe Domine vniuersam meam libertatem; accippe memoriam, Intellectum, atque voluntatem omnem, quicquid habeo, vel possideo mihi largitus es, id tibi totum restituo, ac tuæ prorsus voluntati trado gubernandum. Amorem tui solum cum gratia tua mihi dones, & dives sum satis, nec aliud quicquam vltra posco.* Alia est, pio multorum vsu frequentata cuius initium. *Anima Christi sanctifica me*, &c. & Sancto Ignatio attributa, opinor quod eam non raro includit, meditationum suarum colloquiis; ex quo etiam natum putem, vt in requirendo illius auctore minus diligentes, suis libris eam vulgauerint velut proprium sancti viri partum; at ea cuiuscumque tandem, non est planè S. Ignatij, legi enim illam in libro Lugduni ann. 1499. typis impresso, cum esset tum octennis Ignatius: addebatúrque recitaturis præscripto tempore, indulgentia pœnarum; at Bonifacius, etsi sit eius nominis postremus, sæculo integro Ignatium præcessit. Itaque nihilo segnius quæcumque gessit, facturus fuerat, tametsi nulla in futurum, meritis præmia, Deus posuisset, siquidem nulla re caritas generosa in nisus heroicos diuinæ gloriæ potentiùs rapitur, quam Dei ipsius dignitate, atque ipsomet Deo: inde illa eius, vt de Paulo agens Chrysostomus loquitur, *amoris insania*, qua securitatem propriæ salutis securitati posthabuit diuini honoris: nam si daretur optio ex hac vita, statim certóque in aliam, æternùm beatam transeundi; vel in hac hærendi, sed incertum illius obtinendæ, certum tamen augendæ animarum lucro, diuinæ gloriæ;

aiebat: itaque apud se sentiebat, optaturum se hic manere, ac fore periculo, tantò quæstus maiores, quantò pluris est suum Deo honorem vindicari, quam nostris omnium rationibus prospici, quanquam hæc propriæ securitatis dilatio, haudquaquam periculo futura esset obnoxia, sed ex diuinæ caritatis profusione securior. Ex his liquet in relatione paulò ante laudata quam iure dictum sit [tanto illum Dei amore flagrasse, vt in eo quærendo semper esset, nec aliud mente reuolueret, loqueretur, aut cuperet, nisi Deo placere, eiusque exequi voluntatem, ad hoc ei se totum tradidisse, voluisséque in omnibus adhærere; cœli etiam, si necesse foret terræque iactura.] Testis est Hieronymus Natalis ex quo Deo se dedit Ignatius, seruitutis suæ mensuram, & calcar, maiorem Dei gloriam tenuisse, hoc est animo nunquam factis præsentibus explendo, incrementa boni semper continuanda destinasse, direxisséque ad illum diuini honoris apicem, in quem possunt, tota cœlestis gratiæ nobiscum adnitentis contentione euadere. Sensere hoc idem Romanæ rotæ cognitores, dum in causæ ipsius ab se approbatis collectísque actis [suas, inquiunt, omnes ad Deum cogitationes, verba, factáque retulit, velut eorum finem, in Deum eiusque honorem, & gloriam direxit, habemúsque ex ipsius scriptis, fuisse hoc tesserarium eius signum, in ore ipsius assiduum, *ad maiorem Dei gloriam*. Hanc & exquisiuit, & consectatus est vbique, hanc suis esse agendi regulam voluit: ex quo illa efflorescebat mentis acritas, qua B. Pater abundauit, & oris quam prætulit imperturbata serenitas, perpetuæ index lætitiæ, adeóque constantis, vt cum aduersis duriùs quateretur, tunc esset hilarior: inde illa quoque interior pax, & in omnes animi sui motus, affectionésque imperium, quod intuentibus velut admodum singulare suspiciebatur, cum idem semper, sibique similis, nullo vnquam casu mobilis compareret, & hæc animi pax fructus est intimæ caritatis.] Hæc illi, & iis mirè consentiunt quibus illum Iacobus Mironus eius familiarissimus ad viuum depingit: [Parens, inquit, noster Ignatius magnis ab natura ornatus est dotibus, magnos mente aluit spiritus, quibus illum diuina gratia in summum euexit virtutis fastigium: nihil nisi grande pro Deo molitus est, & feruorem quæcumque ageret spirarunt. Societatem, eiusque munera si introspicimus, ardent omnia ignibus caritatis. Quare hoc institutum, modúsque procedendi noster (sic illum vocabat Ignatius) totus est in quærenda maiori Dei gloria, & honore, vt patet ex libro constitutionum, vbi vix caput est quo non inculcetur, illud Dei vbique maioris gloriæ studium. Fuitque hic ardor in eo perpes, Societatis fundandæ principium, & incitamentum, dum secum sollicitè, diu noctúque inuestigat qui posset Deo maiorem gloriam, & gratiora semper curare obsequia. Eò spectant, & inde profluunt omnes ministerij nostri partes, caritatísque opera quæ obimus pro Instituti ratione, nec omnino nobis satisfacere possumus, si pro Deo tantum iis incumbimus; maioribus tenemur officiis, eam scilicet Deo interius gloriam exteriusque procurandi, quam eius gratia iuuante maxi-

mam

mam valemus] hactenus Mironus, quibus sane haud inferiora vir sanctus exigebat, tùm ab se, tum pro cuiusque modulo ab suis, vnde laicum adiutorem, in virtutum, & operis studio negligentem interrogauit aliquando, cuinam suum laborem in Societate locare se crederet, cui vitam, & operam nauare? aientíque sibi propositum Deo famulari, Deo, infert sanctus famulari, & tam solutè ac languidè? exin sanè id tibi abire impunè non patiar; nam si dares homini operam, esset fortè huius socordiæ venia, aut excusatio; Maiestati vero infinitæ cui vt mille vltra quam possumus obsequia præstemus, ne minimam quidem partem officij explemus, huic, inquam, vix eius aliquam laboris quem valemus, operam dicare, quantæ quæso id culpæ fuerit?

XXVII. *Quanto Dei amore Ignatius, etiam cum vitæ periculo arserit.*

Suspicienti gradum amoris erga Deum qui pectus Ignatij, flammis iugibus vaporauit, fateor mihi, & verba idonea, & sensus deesse argumento pares; nam si verè ac scitè Bernardus, amoris linguam, non amanti peregrinum sonare, ac barbarum, quanto magis expertem amoris si tentet de amore loqui, voces deficient, ac sententiæ propriæ; sequentur inertes prorsusque alienæ? atque hoc pronius, quod ij etiam qui toti Deo ardent, eoque intimè perfruuntur, vt velint maximè, loqui tamen de illo nesciunt; significandis enim cœlestibus, lexica nostra voces non suggerunt. Suo quodam libello Ignatius in quem animi sui affectus referebat interiorem suam arcani cum Deo commercij familiaritatem expressurus, scribit auditam sibi quandam interius absque vocibus musicam, & concentum nullo ab sensibus deprehensum sono: At hîc planè in terris nihil eiusmodi esse. Multo vero minus sermonem inuenero eorum interpretem, quorum nec mente concepit sensa, nec quæ ipsemet experiebatur eloqui aliter valuit, quam imagine aliqua ab sensibus mutua; si minus falsa, certè minus vera, & germana. Velim præ omnibus extricare illius intelligentiam, quod suo cuipiam in paucis carissimo quandoque aperuit; certò quidem se minimè victurum, si ad viuendum id haberet solum, quod sibi natura tribuebat. Ex quo sanè dicto nihil assequor, nisi esse hanc metam perfectæ caritatis supremam, & vltimam, quæ transformatum in Deum hominem, vsque eò perducit, vt ducat magis ex Deo vitam quam ex seipso. Haud secus fermè vt cognatæ arbori plantæ, ac circum adrepentes; cum ei inhæserint, vnam videntur ex duabus arborem facere; ac natiuam licet figuram, & animam seruent; plus tamen succi, vitæque ex illa, cui nexu penetrali adglutinatæ sunt arbore, quam ex se hauriunt; vigent, crescunt, edúntque fructus quidem suos, sed de succo ductos alieno, aliaque radice; hanc enim sibi animæ potius, quam ligni, confusione mutua propriam vindicarunt. Quæ fortasse mens fuit Apostoli cum exclamaret. *Viuo ego iam non ego, viuit vero in me Christus.* Nam & ipse viuebat per sese, sed ad Deum amandum vim sibi tantæ necessitatis impresserat, vt modo quodam inexplicabili, eo magis amore quam anima viueret, nec posset ab eius anima is amor, coniuratis cœli, terræ, ac tartari viribus auferri, quantumuis ferro posset de

corpore

corpore anima expelli. Vixisse hanc vitam videtur Ignatius rebus omnibus mortuus præter Deum, nullóque alterius actionis sensu, nisi caritatis erga Deum, cui videntur ab eius obitu, quiduis aliud agentes medici subscripsisse, dum negarunt annis, & valetudine sic attritum, ac prope consumptum, absque miraculo viuere potuisse: ac sanè Deum sibi magis suum, quam seipsum duxit, vsque eo, vt si innoxius inferorum posset addici ad supplitiis, torquendum se atrocius dixerit damnatorum maledicis in Deum vocibus, quàm pœnarum illarum horrendo cruciatu. Quanquam & hic idem, quo viuebat, & spirabat amor, vitam illi tantumnon præfocabat, redigebátque interdum ad extrema. Et obseruatum est quibus morbis in postremum discrimen adductus est, eos ex incendio corporis ortum habuisse quod inflammauerat animus, solito in Deum vehementiùs exardescens. Sic anno 1550. die Christi Natalis, ab re sacra bis consequenter facta in eum languorem solutus est, vt de vita periclitatus sit: quare nisi alternis diebus, operari sacris non poterat, ne violenta illa contentione deficeret; fuitque non rarò post sacrum celebratum, in cubiculum reportandus, tametsi sacello contiguum, adeò penitùs exhaustus, vt nec in tres passus, valeret procedere. Quod ita prope necessariò fiebat, cum ad sanctum altare (haud scio qui melius explicem) instar esset earum nubium, quæ dum in aquas totæ fluunt, simul & fulgurant, velut igneæ totæ essent: soluebatur in lachrimas totus, totúsque sic ardebat, vt toto ex ore flamma emicaret: totumque, corde incitatius palpitante concuteretur corpus, & rumpendum pectus, venæque laxandæ viderentur. Sic loquitur ipsemet in aduersariis quibus, more sanctis veteribus recepto, ad priuatam memoriam, & vsum, animi arcana consignauit. Aderat facienti die quadam Nicolaus Lanoius, & erectis forte in eum oculis, post solemne *Memento* Deo dictum, videt insidentem capiti eius flammam, & periculi specie territus ad extinguendam illam currit; sed aduertens sanctum abalienatum à sensibus, & dulcibus lacrymis placidè diffluentem, damni ex ea nihil pati; rem esse diuinam credidit; at introspicere animum si daretur, præter ignem certè nihil in eo vidisset. Horam sacro insumebat vnam, nisi qui tépore minimè arctatur, diuinus spiritus, illũ diutiùs moraretur. Quod autem nostris sacri tempus media clepsydra metiretur, horam ipse sibi integrã sumeret; non priuatæ legis studio id factum (qua nusquam esse sustinuit à communi regula immunis) sed necessitate qua in laxando affectibus animo cogebatur crebro insistere, nunc voce linquente ad legendum, nunc vsu sensuum ad pergendum. Hos porro affluxus diuinorum patiebatur etiam orando, cui aliquot dabat quotidie horas: noctes vero habebat trifariam diuisas; pars vna gubernationi; quieti altera, dabatur. Sed interiectis semper facilioribus pietatis officiis: quam in rem consuerat, precatoriam Virginis coronam in lecto retinere. Tertiam precationi dicauerat: huius inchoandæ hæc erat forma. Consistebat aliquando rectus, præsentis Dei Maiestatem animo repetens; inde illum demissa totius corporis inclinatione adorabat:

post

post vel de genibus, vel in humili scabello sed reuerenter compositus sedebat; vixque mentem in Deum collegerat, cum ibant in lacrymas oculi; serenitatem beatorum, facies induebat. Ita duas post sacrum horas, quotidie transigens, pascebatur illa quam dixit Augustinus *Saginam veritatis, saginam lucis immortalis sapientiæ.* Quo tempore ad illum nemini patebat aditus, nisi negotij grauitas, moram omnem responsi negaret, tunc enim intrabat Ludouicus Gonzales, qui sub eo domui præerat; vt rem illi, commissam exponeret. Quod cum ei euenerit sæpius, debet hoc eius quod refero pro indubitato testimonium haberi [Memini, ait, quoties ad illum, quod crebro cogebat necessitas, cum illo acturus adij, vultu offendisse tam splendido, vt defixus licet in re quam tractandam ferebam, ad eius conspectum mei iam immemor stuperem. Nec enim erat illius species qualem haud raro piorum quorundam dum orarent notaueram, sed inusitatum spirabat quiddam, planéque diuinum:] itaque Lainius qui ob illam cum Deo necessitudinem tam arctam, assimilabat Moysi Ignatium, similitudinem augere potuit splendoris huius præstantia, qui ex consortio Domini, in eius facie effulgebat.

XXVIII. *Ex re qualibet Ignatius in Dei cognitionē & amorem assurgebat.*

Hæc vero tam intima cum Deo familiaritas, haudquaquam precandi, & sacrificandi spatiis definiebatur; Deo se vbicumque, & quoties vellet, & quicquid ageret præsentem sistebat, conclaue quidem fenestella iussit aperiri, qua in aram maiorem, & augustissimum Sacramentum pateret prospectus, vnde velut alius Daniel ex cubiculi secreto, & procul arbitris, illuc intentos haberet oculos, vbi totus animo habitabat: haudquaquam tamen ad inueniendum Deum rupto egebat pariete, qui tenuissimo tantum ab eo disiunctus velo pro arbitrio illud reduceret; imò cuicumque operam rei daret, Deum semper habebat in oculis, quod inter homines rara quoque virtute præditos est valdè rarum; idque opinor quod vocat Apostolus, *conuersationem in cœlis*, Deum perinde spectare solitam, vt chorus stellarum errantium suum solem, à quo dum variis orbibus circa terram cursus flectunt suos; lucem interea, ignemque accipiunt, & in eum reflectunt; eratque hic in eo fomes rapiendæ momento flammæ, ad minimum quemque precandi aditum; vel enim cum angelo Virginem salutans; vel mensam consecrans solemni adprecatione; vel de diuinis legentem aliquid, imò solum audiens Iesv, & Dei nomen, velut in flammas insiliisset, animo totus, & vultu ardebat. Quanquam autem de diuinis acturus cogebatur stylum, demittere, quòd inter discipulos, tametsi præstantes, quales primi fuere illius socij, & qui vna vixere; vix erat qui eum satis perciperet; at ne ita quidem, nisi obiter, & raro, loqui humiliter de Deo aggrediebatur; conscius sibi non esse integrum affectus illos immodicos premere, & inflammati animi aperta indicia non præbere: in hæc quanta vi raperetur facilè vel hoc vnum probet, quod tradita pueris fidei elementa, breui ad cæteros, adhortatione solitus claudere, huic semper concepta subdebat hæc verba. Deum amate toto corde, tota anima, tota voluntate,

quæ ille dum diceret, sic incendebatur vt illius igne auditores etiam vrerentur, vltimísque iis verbis sæpius homines conscientiæ profligatissimæ, velut hærente iaculo confixi, mox ad Sacerdotum conciderent pedes, & confessione, fletu crebro, singultúsque abrupta, cum Deo in gratiam redirent. Quod testatum reliquit, qui viderat Lainius. Demum quicquid vidisset Ignatius, gradus illi ad Deum, & ingressus fiebat, conscendebat frequenter in domus turriculam, vt libero cœli aspectu frueretur, obseruabatúrque clam, & audiebatur flens, & has voces rumpens, quam sordet terra cum cœlum aspicio; imò id illi moris fuit siue discumberet, seu per vrbem incederet, colloqueretur, assideret, aut quid simile faceret; crebro cœlum tantisper oculis figere, inde in sese descendere, hoc est vno volatu in Deum attolli, eodémque ad se Deo plenum redire, & facem vtrimque geminatam pectori subdere. Quo item signo (ita erat vulgatum) denotabatur ab ciuibus: ille, aiebant, pater, qui cœlum suspectat continuo, & sermones de Deo perpetuo infert. Cantu præterea musico efferebatur extra se in cœtum beatorum, tantúmque ex eo hauriebat liquidæ voluptatis, vt illâ etiam reficeretur corpus: vnde non vulgari tributum modestiæ, suíque vincendi proposito, quod inter dolores stomachi quibus sæpissimè torquebatur, abstinuerit se hoc solatiolo, quod non esset in communi apud nos vsu, etsi erant in promptu qui possent pio cantu afflictum recreare. Accedebat herbarum florúmque consideratio qua capiebatur mirificè, sugebátque ex iis rorem mellitæ pietatis. Audiebant illum nostri super iis aduersione studiosa differentem, & philosophantem de manu illorum artifice, digerentéque illorum partes, & formam figurante, coloréque ducente, cum ingenito afflatu suauissimi odoris, quorum vnum in corpusculum elegans, & scitum perpes, & sapiens decursus, supremi artificis sapientiam, potentiam, gloriam, inspicientium oculis prædiceret: his se oblectans deliciis inambulabat interdum in domestico hortudo, adeò extra se in Deo habitans, vt eius spectaculo è fenestra patres auidè gauderent, coque se, vt refert qui aderat, felices putarent. Hoc rerum omnium ingens theatrum, quod pulchritudinis, prouidentiæ, opúmque diuinarum, magnitudinem, & sapientiam repræsentabat ei velut in speculo, fontem quoque illi creauit lacrimarum, cuius nunquam dum vixit, exaruit vena, quanto infestior affecto corpori, tanto sitienti animæ dulcior, & pretiosior, horarum pensum exsoluenti, tam multa versibus singulis sese ingerebant, vt in id dici bona pars abiret, atque vnde alij transcursu rapido sese expediunt, nauis instar, profundo abdita negligentis; è contrario ille, vnionum piscator, passim insistere, natare in aliquo vnius versiculi sinu, & noua gaudere cœlestium rerum deprehensione, tantáque inde sanctorum fletuum copia obrui, vt cæcitatis periculum frequenter adierit, fuerítque necesse Sacerdotale ipsi officium à Paulo III. breuiore precum recitatione commutari. Hoc ipsum discrimen tum alias, tum præcipuè rem sacram faciens subiuit, tunc enim penitus eliquabatur in lachrimas: quod conspi-

catus

catus aliquando nescio quis ad S. Ioannis in Laterano, fecit quod homines in terram curui dum sibi arrogant, de viris Deo cœlóque assuetis sententiam dicere; & Francisco Stradæ qui facienti Ignatio ministrabat tam secreto quàm stolidè in aurem; prorsus, ait, fieri non potest, tuus iste Sacerdos, quin sit, aut fuerit, omni ex parte sceleratus, toto enim quod peregit sacro, illacrimari non desiit, rodentibus opinor diro morsu ream eius mentem flagitiis. Ita quidem is de triuio censor, pronuntiaturus ni fallor sanctum, si vt viderat lugentem sic vidisset inter celebrandum effusius ridentem. Hac autem vi tanta lacrymarum, in dies oculos grauius adurente, ne illos omnino extingueret, iubentibus medicis à Deo impetrauit vt posset iis moderari, sed tam mirabili potestate, vt pro imperio cieret illas, vel premeret.

Postremum hic edo argumentum, eius caritatis qua iucundè arsit Ignatius; delitiarum quibus abductus à sensibus; familiaris cum Deo consuetudinis qua potitus est maximè singulari. Do illud vti promiseram ex pauciſſimis illius autographis schediis, in quibus pro more quotidie sua cum Deo intima adnotabat, & quæ manum ipsius dum reliqua vreret fugerunt, ex annis quinque, & triginta quos sanctus exegit, menses vix quatuor habemus iis aduersariis consignatos, eósque plurimum scriptis adeò concisis, & breuibus, vt videantur notarum compendia: vbi vero lucem curiositas maximè optaret, adeò obscuris, & sermone pendente, ac mutilo, vt possit ad marginem multis locis adscribi, quod Prophetis sæpe necesse est *tenebrosa aqua in nubibus aëris*. Sunt ergo quæ reddo ipsa sancti verba ex chirographo Hispanico Latina. XXIX.

Huiusce diei lacrymæ, visæ sunt mihi præteritis multum dissimiles, ita lento affluxu aderant, interiores, dulces, absque magno strepitu, & motione; tam vero altè ab intimo, vt non suppetat qui illud explicem: totum vero me ad Dei amorem commouebant interior, exteriórque affatus cuius mihi concessi diuinitus tanta interior erat harmonia, vt eam non possim exponere. Die insequenti, vt ante proximo, vbertim lacrymæ in sacro, & sub sacrum, & cum his eiusdem interioris affatus vsus fructus; qui sermonem, & concentum cœli, similitudine referebat: crescente mihi cum lachrimis sensu pietatis, & affectu, cùm me vti diuino cognoscendi, & intelligendi modo animaduerterem Postridie quoque magna copia lacrymarum, interiórque affatus mirabilis.

Virgini supplicans, vt mihi apud filium, & Patrem adesset; post vero filio, vt me cum filio, sua apud Patrem diuinum, commendatione dignaretur: sensi me attolli in conspectum Patris, capillos arrigi, commoueri vniuersum corpus ingenti ardore, quem consecutæ lacrymæ cum sensu pietatis vehementissimo.

In ipso precandi aditu, cum multa vbertate, & profusione lacrymarum, cum intensissima pietate, & crebra intelligentia, perceptionéque SS. Trinitatis, harum, & similium perceptionum atque notitiæ tam erat fre-

quens, & tanta iucunditas, vt me ad eam explicandam memoria, ingeniúmque deficiat.

Tantam expertus sum cognitionum, congressuum, gustuum diuinorum exuberantiam cum perpetuitate lachrimarum, & vocis deliquio, vt Deum, & Dominum quoties nominarem, videretur mihi animi penetralia subire, cum obsequio, & admirabili humilitatis reuerentia; vt videatur inexplicabilis.

Post orationem, noui motus interiores iíque insoliti, singultus, & lacrymæ, totus in amore Iesu: verbis, votisque præoptando cum illo mori, quam cum vllo alio viuere.

Dum paratur altare, & occurrit animo Iesus, sentiebam me agi ad sequendum illum, reputabámque intra me rationem summæ paupertatis eligendæ, hanc esse humana qualibet maiorem, quòd Iesus Societatis esset caput. Cum rediret in mentem Patrem me filio suo consignasse: hoc consilio, vt imprimeretur mihi tam altè Iesu nomen, & tantoperè confirmaretur, succurrebat noua lacrymarum, & singultuum copia.

Colloquenti mihi cum diuina Maiestate obortus est fletus ingens, amórque tantus, vt viderer mihi supra omnem modum cum eius amore coniungi, nec tam excellenti eatenus, rara, & amoris tam lucidi dulcísque gratia potitum. Postea, etiam in sacello nouæ lacrymæ, nouíque sensus pietatis in SS. Triadem semper desinentis; ad altare autem sacris vestibus induto, affluxus lacrymarum maior, singultuum, & intentissimi amoris; omnia erga SS. Trinitatem. Rem vero sacram facienti, tantus diuinorum sensus, tot lachrimæ, vt pergens ambigerem an essem pergentibus lacrymis iacturam oculi facturus, adeò ex fletu immodico dolebat. Ad ea verba *Placeat tibi sancta Trinitas* occupatus sum immenso amore, & exundatione ardentium lachrimarum, & hæc aliæque de cœlo gratiæ tendebant omnes in SS. Triadem à qua deducebar, & in eius amorem trahebar. Re diuina peracta, iam sacris exuto, & oranti haud procul ab altari, noui singultus, & lacrymæ, omnes ex amore Trinitatis, erátque illius amoris tanta suauitas, vt non possem inde abscedere, reliquo etiam exin die domi, & per vrbem redibant amoris impetus vehementes, motionésque ad lacrymas, repetitâ memoriâ Beatissimæ Trinitatis.

Colloquens cum Spiritu sancto, vt sacrum de illo facerem, cum iisdem lacrymis, & sensu pietatis, videbar illum videre, ac sentire in claritate expressa, & flammæ igneæ colore, modo insolito.

Dum instruitur altare, ac postea, & sacris ornatum, & sacrificantem, cum magnis interius motibus, & ardentibus lacrymis, & singultibus vox sæpe defecit, tum insignis auditus, & conspectus Dominæ nostræ apud Patrem mihi multum propitiæ. Ita, vt in orationibus ad patrem inde ad filium, & in consecratione, non possem non audire ac cernere, cum sit ipsa pars, aut ianua eius tanti fauoris quo intus fruebar (nempe illa monstrante

strante in filij carne suam quoque inesse) cum tam multiplici intelligentia vt scribi non possit.

Precationis consuetæ initio ad finem, magnos sensus percepi & multum lucidos pietatis. Extra domum, in templo, & celebrans, vidi cœlestem Patriam, aut eius Dominum, personarum trium intelligentia, & in Patre secundam, & tertiam.

Suscepta luce quadam, & corroboratus, dum intrarem sacellum precaturus, sensi, aut vidi potius virtute supernaturali SS. Trinitatem, & Iesum obiectum mihi tanquam intercessorem apud ipsam, vt mentem meam hoc viso dignaretur, cuius rei auditu ac visu obortus mihi est ingens fletus, magnáque amoris plenitudo. Sacram rem faciens multis cum lacrymis piisque sensibus, vno præsertim loco, eadem quæ prius SS. Triadis, species mihi obiecta est, semper cum accessione amoris erga diuinam Maiestatem.

In sacro ad illud *Te igitur*, sensi, vidíque non obscurè, sed clara in luce, imò valde clara, etsi ipsum, siue essentiam diuinam, in speciem solis, aut paulò supra quam nobis sol comparet, ex qua essentia videbatur exire, & deduci Pater. Itaque dicenti. Te igitur clementissimè Pater; obiiciebatur prius essentia diuina quam Pater, & in hac mihi obiecta specie, aspectúque essentiæ SS. Triados, absque distinctione personarum, vehementi sensu erga rem quæ mihi repræsentabatur affectus sum, cum ingenti motu, & profusissimis lacrymis, amoréque versus esse diuinum SS. Trinitatis vehementissimo. Sacro inde peracto, dum oro ad altare, idem se mihi diuinum esse, seu visum idem quod prius se mihi obiecit, in modum spheræ, & modo quodam ita personas tres sicut primam cernebam, istóque aspectu, ac sensu, nouis potiebar affectibus, & lacrymis.

Etiam in sacello, implente animum affectu magno, erga SS. Trinitatem, cum magno amoris cumulo, & vehementibus lacrymis, non vidi, vt aliis retro diebus, distinctas personas, sed velut in lucida claritate vnam essentiam, quæ tota me in sui amorem rapiebat: sacrum inchoans, non poteram præ immenso affectu pietatis, proferre. *In nomine patris*, &c. totum exinde sacrum cum summo affectu, profusissimis lacrymis, & amore qui totus in SS. Trinitatem ferebatur: idem pariter aliquando erga Iesum sensi, velut eius in vmbra, & ductu essem, haud vlla tamen propterea imminutione vnitatis cum Dei maiestate, sed magno potius eius incremento.

Magnos hausi sensus pietatis, dum ad sacrificandum me pararem, animo reputans ad hoc opus fore, vt essem angelo similis, nec defuere suaues lacrymæ. Inde aliquoties vidi, nunc quidem patris essentiam, primùm essentiam, tum patrem; pietatis affectu prius essentiam, tum patrem spectante; nunc vero alia ratione, ac sine distinctione huiusmodi.

In sacro sæpe sæpius subsistens, cum varia multáque notitia SS. Trinitatis, quæ tanto lumine mentem peruadebat, vt posse non crederem, diuturno studio tantum scientiæ mihi accedere. Alias in oratione, cum magno sensu pietatis, & ardenti caritate, gustúque diuinorum, ad hoc ex parte,

vt me quodammodo attolleret tendente, postea in sacro, lacrymæ quàm ante fusiores, interdum voce intercluſa, tot ac talibus interim de SS. Trinitate perceptis vt quod præterea de illa caperem nihil videretur superesse.

In hoc sacro cognoui, sensi, & vidi *Dominus scit.* Me de patre loquentem, & agnoscentem personam esse SS. Trinitatis, illius amore hoc enixius affici, quòd inessent illi speciatim aliæ personæ, idque experiebar etiam in oratione ad filium, & Spiritum sanctum, eorum singulis perfruens, iisque me deuouens, & trium illorum esse me gestiens. Tanta mihi res videbatur, vt finem non facerem confundendi mei, quis tu? & quid promeritus? & vnde hoc tibi?

Sacris operans cum singulari pietate, lacrymis, & ardore, oppresso nonnunquam etiam sermone, dum Patri supplicarem, videbatur Iesus preces illi meas offerre, illasque adiuuare, eo sensu ac visu qui non potest exponi.

Stanti mihi ad focum, redibat iterum in oculos Iesus, post etiam in vrbe ac per vicos, eunti redeuntíque à Cardinali Carpensi, locísque aliis, spectabilis aderat, multis lachrimis, multísque animi motibus affluebam. Quo tempore, Iesum audiens, ac videns, tanto amore incendebar, vt fore vnquam tam potens aliquid non putarem, quod me posset ab eo seiungere.]

XXX. *Desiderium moriendi ad videndum Deum.*

His oblectabatur deliciis Ignatij animus, præcerpebátque iam aliquid de immortalium gaudiis; quorum denique summa, & caput est Deo frui cognito, & amato. His recreabatur eius vita, & retinebatur fomentis continuis, cum quibus vbi deficerent, defecturam pariter aiebat vitam: neque vero his ipsum diuina bonitas, larga manu beare, in vltimos distulit vitæ annos, cumulata iam aucto caritate. Ex quo sæculo valedicens, Deo nomen dedit, paucis etiam mensibus, quos egit Manresæ in luctu pœnitentis, tam crebro se illi præsentem Christus, spectabilémque exhibebat, vt Ludouico Gonzales dixerit haud satis meminisse, vtrum id vicies, an quadragies accidisset, & Virginem quoque Dei matrem, non raro ab se fuisse conspectam: ex quibus cætera non difficulter assequimur ab eo tacita, quæ tractu annorum quinque, & triginta, in hoc genere illi euenerunt, crescente in dies auctu perpetuo illius caritate. Iam pro illo quod ex se poterat in Dei gloriam proficisci ad animarum quæstum obsequio, quo nihil ipsi erat in vita carius, cum ab se non prorsus impetraret, vt discessum è vita peteret; precum tamen vices obibant flammæ ardentis in eo diuini amoris, quæ morantem in Deum trahebant, poscebántque votis flagrantibus absolui animum tenui vinculo, quo adhuc corpori hærebat. Vnde illa eius consolatio gaudio suo impar, ex sola mortis cogitatione, ex qua illi tantum affluebat beatæ voluptatis, vt soluerentur in fontes oculi, æstuaret pectus extra modum, essétque necessariò animus aliò auocandus, quod eius non esset sat capax gaudij, nec ei valeret imperare. Vt autem infiniti conscius, &

amans

amans boni, & in id mente affectúque immersus, præ illo omnia despuit, nec intelligit qui possit aliud, præter illud optari; ita si quem nostrum audisset Ignatius, curas suas in annum sequentem, vel menses aliquot mittere, demirans aiebat. Heu me! at vnde hæc tam diuturnæ vitæ fiducia? Cumque ex vitæ incerto liceat, gaudere læta spe Dei quamprimum possidendi, iuuat teipsum lubentius fallere diuturnitatis illius expectatione, cuius certus si fores, dolere te mœrore non ce[illegible]olabili deceret? Enim vero paucorum animus ignitis alis sursum attollitur. Erat Ignatio hæc in terris mora, violentus labor, nisi quà penitius in cœlo, & in Deo, quàm in terris, & secum versabatur, vt solis radij tamdiu extra solem effulgent, & viuunt, quamdiu viuunt in sole; & in terras proiecti, ab eo minimè recedunt. Præterquam quod illa non modo quotidie, verum vt significauit ipsemet, quoties liberet, prægustatio quædam immortalium voluptatum; & illa rerum diuinarum tàm secreta, quàm crebra spectacula, imaginibus quidem mortali aspectui congruis adumbrata, sed euehentia animum ad res cognoscendas, multo illis figuris altiores; hæc inquam, iuncta inexplicabili quam ex iis ducebat deliciarum vbertati, vitam illi acerbam effecerant, assiduis scilicet, Dei clarè, corámque fruendi desideriis ægram, sibíque implacabiliter iratam, dulci quidem, sed graui adeò tristíque tormento, vt vno valeret Dei ita iubentis arbitrio mulceri. Accedebat quod inter homines nihil sibi agendum præterea cerneret, iis plenè officiis defunctus, ad quæ à Deo electus fuerat. Tria auditus est ab suis dicere, sibi vehementer in optatis fuisse tandémque sibi abundè præstita, ex quo facilè intellectum, eius è vita discessum, vt reipsa euenit, imminere. Videre optarat auctoritate Christi perpetua ab summo eius in terris Vicario Societatem stabilitam. Libellum Exercitiorum eadem Pontificis approbatione communitum. Constitutiones per Societatem vniuersam, in opus & vsum redactas, quæ tria, vt breui collecta numero, amplum tamen illi gaudendi theatrum expanderunt: quod doctè aduertens Marcellus II. Pontifex, sacræ, ac profanæ historiæ scientissimus, die quodam in cœtu virorum sapientum de Societate, & Ignatio colloquens, negauit ab se lectum, quenquam inde ab Apostolorum temporibus tot fructus satorum ab se operum vidisse, quot & quales vidisset superstes Ignatius. Societatem enim annorum vix sedecim, vidit toto iam orbe diffusam, Christiana sacra linguis & notis, & barbaris prædicantem; integros populos, idolorum subductos tyrannidi, Christo, & Ecclesiæ subiugantem: vidit Prouinciarum duodecim accitu, & plausu fixas in iis sedes obtinere, Italia, Sicilia, vtraque Germania, Gallia, Aragonia, Castella, Boëtica, Lusitania, India, Æthiopia, Brasilia, centúmque in eas domiciliis perpetuis tributam, præter illa quorum feruebat propinqua fundatio. Vidit fœlici præsagio metatum sibi iam in cœlo locum per Hozium, qui primus ex sociis obiit; & in sanguine Antonij Criminalis, pignus accipere, tot veri Dauidis fortium, quorum erant deinceps in India generosi labores, glorioso morte coronandi. Vidit refertam

tam hominibus sanctimoniæ laude, literarúmque insignibus, quorum alij in Lusitania, Apostolorum cognomentum nacti; in consessu totius Ecclesiæ alij apud Tridentum, cum admiratione auditi; alij ad summos etiam expetiti honores; duplici gloria tàm promeriti honoris, quam reiecti; destinati alij ad res Ecclesiæ ab sede Apostolica Nuncij, & hæc quidem vidit Ignatius, at securus maiorum atque meliorum, quorum essent hæc tantum præludia. Nam Iulio, tertio, ægrotans, rogatúsque ab suis annorum aliquot à Deo inducias petere, ne Societatem nondum planè firmatam desereret, respondit, Primi, Dei bonitate, vt confido fuerunt boni; succedent iis alij meliores; secundis tertij etiam meliores, vtpote qui præter strenuitatem agendi foris, interiore vsi sunt disciplina tunc ad vnguem perfecta, & legum suarum obseruatione accuratissime obstricta. Fructus denique vidit suorum Exercitiorum vberrimos totam passim excolentium Europam: vidit labores filiorum magnis à Deo fortunatos successibus, qui cum perferrentur ad eum assidue, tantum infundebant in eius animum beatissimæ voluptatis, quantum ex oculis ciebant dulcium lacrymarum. Sic Dei amore inexpleto flagrans, & votorum compos quibus insudarat, velut præter discessum, nihil iam in vita superesset, totus ad cœlum anhelabat.

XXXI. *Mors Ignatij sui contemptu insignis.*

Postquam igitur Deo visum desiderio eius annuere, id ita fieri voluit, vt ne quà precibus filiorum, paterno discessui mora, denuo interponeretur: cum enim iacenti ante aliquot annos supremam horam instare crederent, circa lectulum flentes, & supplices à Deo flagitabant, ne se patre tàm caro orbaret, quo vno Societas inter sæuissimos conflictus, & minas exitij sustentabat sese: etsi enim erat postremis his annis Ignatius exhaustu virium, minus iam habilis regendo, eamque ob causam Francisci Borgiæ, cui per Hispaniam vices suas in nostros commiserat valdè amplam fecerat potestatem; sed pro constanti habebant Patres Societatem propter illum à Deo seruari, eiusque apud illum eximia gratia fulciri; ad hæc nimium quantum intererat, præsenti eius exemplo fingi, & consolatione assidua erigi. Ergo Iulio ineunte anno 1556. valetudine solito grauius afflicta, sensit aliquot illos quos sibi morbus vindicabat dies, exilij sui fore reliquias; eiusque etiam aliquanto prius minimè dubius, Leonoræ Mascareniæ, quasi per literas valedicens, aiebat se vltimùm ad eam scribere, suas illi ad Deum preces deferebat, cui futurus iam esset in cœlo propior, quas vti eatenus fecerat, impensurus interim esset dum viueret. Armis tunc, & milite strepebat Roma ob bellum aduersus Neapolim; ea re vehementer dolens mœrénsque vir sanctus, secessum aliquem optauit velut in breuem à tumultu, & molestiis quietem, seu magis in solitarium proximi exitus apparatum. Locum sibi delegit in prædio quod paulo ante Rom. Collegio inter S. Balbinæ, & Thermas Antoninianas ipse coëmerat: veriti patres ne id cœlum, cui nullus suberat à quo emendaretur habitator, per æstatem illi foret infestius, rem coram in dubium vocare; ille in suis, sui nunquam tenax,

tenax, medici iudicium quærere, is erat Petronius ei peramicus, qui loco diligenter inspecto, negauit quicquam ab eius aura metuendum. His confisus, & Societatę Polanco, & Madridio commendata eò se recipit, sed breue id otium degustarat, cum debilitatem iam inueteratam, tantus auxit vitium defectus, vt domum fuerit reportandus. Haud tamen id aliter acceptum quàm pro fortuito accessu imbecillitatis qua pridem languebat, cui succurri magis censebant medici congruo alimento quam pharmaco, & ne tenui quidem, qua tentabatur febriculæ, de remedio aliquo videndum, iudicabant; denique aliis tunc domi ægrotis, cum multum timeretur; nulli erat suspectus Ignatius. At ipse voti quamprimum fruendi conscius, & promissionis diuinæ moras, & momenta subducens, cum Deo, & secum silentio profectionem suam adornabat, vt eam tacitus, ac furtim propemodum, quod optarat, obtinuerátque contra spem omnem diligentiæ humanæ, iniret. Sanctissimo Christi corpore refectus, altero post die Polancum accersit, quem annos complures, ab secretis habuerat, suprema eius ad illum verba, & die proximo ad Deum transitus; Patrumque ex eo sensus, ex Polanco, quàm ex me gratius cognoscetur, hanc de iis ad omnes qui per vniuersam Societatem tùm præerant dedit Epistolam. [Pax Christi, &c. Ex his R. V. cum suis cognoscet, sic Deo placitum, vt hinc optimum patrem nostrum Magistrum Ignatium ad se euocaret, Iulij vltimo, hebdomadæ sexto, pridie S. Petri in vinculis in libertatem electorum ex mortalitatis vinculo assertum. Sic demum beatus Dei seruus diuturni voti compos factus, quo multos iam annos Dei, ac Domini laudandi cupidus, cœlestem patriam spirabat, quamuis interea peregrinandi labor ferretur ab eo patienter, & fortiter. Quod autem nobiscum hactenus fuerit, Dei munere factum est, vt cœpta per eum Societas, illius exemplis, prudentia, & auctoritate, sanctisque precibus corroboraretur; nunc missis vtcumque firmatæ radicibus crescentique, ac frugem tot latè mundi plagis ferenti, eumdem abstulit, vt eò vberiùs diuinos illi affluxus exoraret, quo fonti bonorum esset propinquior. Domi quidem hic, & in Collegiis, vt sensu non careat maximo, obitus tanti patris cuius dulci præsentia orbamur; sed caret dolore hic sensus, habéntque lachrimæ, suauitatem quandam religiosæ consolationis, & augentur eius absentia spes, & alacritas animorum. Videbatur, ad eum quod attinet, longis ipsius laboribus quies tandem deberi; morbis solida sanitas; lacrymis, & perpessioni continuæ, felicitas immortalis. Ad nos autem quod spectat, non videtur eius dolendum iactura, quem illic habemus, vnde nobis illius ardentissima caritas, expectationem addit solito ampliorem, fore scilicet, vt Dei bonitas, communi Ecclesiæ bono Societatem virtute, numero, & sedibus, eo interceßore promoueat. Sed optat opinor; R. V. nosse distinctius cuiusmodi (beati nunc in cœlo) Patris nostri ad Deum transitus fuerit. Domi complures, & quidem grauiter ex morbo iacebant, inter quos P. Magister Lainius, & D. Ioannes de Mendozza. Patrem nostrum Ignatium etiam

aliqua tentabat valetudo, ex febri dierum quinque, aut quatuor, sed leui adeò, vt ex arteria vix discerneretur; ac licet magnopere debilis langueret, id tamen cum præter solitum nihil esset, nullam nobis suspicionem faciebat. Die Iouis cum me aduocasset, iusso valetudinis curatore tantisper exire, monuit, tunc demum opportunum videri, vt Pontificem adirem, significarem de ipsius periculo extra spem omnem valetudinis posito, ac supremam ab eo adprecationem tum sibi, tum P. Lainio cuius tunc etiam dubia erat salus demissè rogarem; adderémque; vt ante, in terris dum ageret, preces ad Deum quotidiè pro illo fudisset, facturum se idem impensiùs, si se diuina bonitas in cœlum admitteret. Ad hæc, aio, ex ea inualetudine medicos nihil metuere, quod in ea febriculam vix deprehenderent, ne dum aliquid lethale; me vero confidere, aliquot ei Deum propitium vitæ annos in sui obsequium additurum. Quibus ille; ita, me vndique destitutum, inquit, viribus sentio, vt nihil restet, nisi animam agam. Conatus hic tamen sum illum erigere, fiduciâ vitæ longioris, quam planè illi futuram sperabam; adieci me apud Pontificem quod mandabat facturum, sed cum dandæ essent sub vesperam in Hispaniam literæ, quæsiui possemnè Pontificis aditum in diem alterum differre? at ille quantò citius ait tanto id mihi acceptius; age tamen vt lubet; hodie an cras, tu videris. Ego vt possem Pontifici certiùs ex iudicio medicorum nuntiare de periculo, si quod esset; interrogaui Alexandrum Petronium, eorum archiatrum, nobísque peramicum; petíque ex eo, mihi bona fide, vt morbi statum ediceret, retulíque quòd ipse parens noster de extremo suarum virium defectu sentiebat. Sed ille me in diem posterum distulit, quod nihil dum tunc noui acciderat, vnde pronuntiare in futurum posset. Ergo secutus quod solet humana cautio, in diem veneris adire Pontificem reieci. Sub noctem vero cum doctore Madridio in iacentis cubiculum redimus, & prima iterum noctis hora, cœnanti adsumus, de negotio quodam Collegij cum eo tractamus, quæ tam expedito peregit animo, vt ego omnium securus, nihilque hinc periculi veritus, ad somnum concederem: Die insequenti sub exortum solis ad eum reuersi, in extremis agentem reperimus. Hic ego properè ad S. Petri magna doloris significatione Pontifex nuntium excepit, prolixè abeunti beneprecatus est, & quicquid aliud poterat in Patris gratiam concessit, qui hora, post solis exortum secunda adstantibus circum patribus, Madridio, Frusio, & aliis, placidissimè animam efflauit. Mirati sumus beati senis humilitatem sanctam, qui certus de proximo discessu, neque nos accersere voluit, solemni donandos adprecatione; nec de successore quidquam indicare; nec nominare sibi Vicarium; nec obsignare constitutiones; nec eorum aliquid agere, quæ sunt alioqui Dei seruis, eo vitæ actu supremo satis familiaria; certum vero fuisse instantis obitus, pridiè quàm is contingeret, ostendit; cum nihil vnquam eum audisse meminerim tam liquido futurum dicere, vt de hoc obitu; & de adfuturo ad nostram Romæ leuandam inopiam commeatu, qui vertente anno, eodem tempore

tempore adfuit. Verum de se ipse tam abiectè, & humiliter sentiens, nolénsque in alio Societatis fiduciam quam in Deo recumbere, vulgari more à nobis recessit, exorauítque forsitan à Deo, cuius vni studebat gloriæ, ne quid mortem suam insignem faceret, vt viuens semper peculiaria Dei dona secreto presserat, demptis aliquibus, quæ in lucem proferri, exempli ratio iubebat. Simili modo sapientia diuina, suos quidem interdum miraculis decorat, vt iis sub sensum cadentibus illos permoueant, qui subtilioribus minimè tangerentur. Aliàs vero miraculi vice, virtutum ingentium fructus mirabiles, amicis largitur, diuinæ testes non dubios gratiæ, aliorumque animi donorum, apud illos, quibus est purgatior oculus ad excipiendos fidei radios, quam videtur Deus iisse rationem cum Societatis capite; vt eam pariter cum membris ipsius reliquis obseruat, dum magnis motibus, & conuersionibus animorum vbique, apud omnes, in Societate, & foris, ope tam debilium operarum patratis, ostendit Dei digitum hic esse. Redeo ad Patrem nostrum, cum ad occurrendum putredini, condiri cadauer placuisset, eximerentúrque ad hoc intestina, admirationi, & exemplo fuit, quod comparuere vacua, exsucca, arida, quæ sunt à peritis pro indicio habita tum insolentis inediæ cui se inde ab tyrocinio perfectæ virtutis assuefecerat; tum constantiæ, ac fortitudinis vultu semper eodem & alacri: tantum laborum, adeò exhausto corpore durantis, eius item inediæ quam dixi, argumentum fuere calculi, in contracto, illius, & indurato iecore reperti, confirmatúmque quod bonus senex Iacobus Equia, beatæ memoriæ aiebat, pridem Patrem nostrum miraculo viuere, nec enim capio, sic læso iecore, quo pacto vitam retineret, nisi Deo vitalia marcida supplente, vt Societatis necessitatibus seruaretur. Distulimus in seram vesperam diei Sabbathi beati corporis sepulturam, fuítque ad illud concursus ingens, & summa religio etsi loco eodem in quo obierat, nondum in publico iaceret compositum. Alij manibus, pedibus alij oscula figere, coronas alij precatorias admouere; quidam ægrè repelli, qui segmenta vestium aliqua, vel quid simile quod vsu attrectasset indulgeri sibi postulabant; datum tamen memini quicquam est, vel ab conscriis permissum. Adfuere etiam pictores qui vultus speciem coloribus excepere, quod is dum viueret, multis petentibus semper negauerat.] &c. huc vsque Polanci literæ; in quibus monendum, religiosam adprecationem à summo Pontifice haudquaquam Lainio nominatim, Ignatium petendam mandasse, sed sibi, & alteri cuius siluit nomen, fuítque is Martinus Olauius, qui tunc sanus & valens, paucis diebus iura cessit. Verum quod Lainius eò esset redactus, vt biduo post sacro & viatico, & oleo fuerit muniendus. Putauit Polancus dum Augusti sexto ante morbum Olauij scripsit, certo Lainium tacito nomine ab Ignatio designatum. Quod animaduertit ipsemet Polancus, emendauítque tertio quas nobis reliquit historiarum volumine; ego tum rebus ex vero illustrandis notare debui, tum vt obuiam irem collaturis Polanci Epistolam, cum vaticinio Ignatij qui Lainio frequenter prædi-

xerat, futurum sibi in Societate regenda successorem.

XXXII. *Statura & habitus corporis.*

Erat Ignatio statura infra mediocrem, oris maiestas, vt plurimum grauis, & in se collecta. Vbi foret beneuolentiæ edenda species, emicabat cor totum ex facie; solóque occursu, vel accessu plus afflabat hilaris animi, quam aliorum exquisita propensi affectus significatio. Scribit Eleutherius Pontanus, cui fuit diu notissimus, cum in conspectum se daret, mox ad grauitatem ac modestiam composuisse circumstantes; sibi vero delicti cuiuspiam conscios non sustinuisse illius præsentiam, nec ausos vultum contueri; splenduisséque illius faciem. Quod in sene attrito, & emaciato, indicabat aliquid natura superius; color ei in oliuarium; acres oculi, & viuaces; frons ampla, nasus in summo tantisper eminens, deorsum ad nares planior; caluities capitis, & ex confracto quondam crure, incessus aliquantum notabilis: temperies indolis mirè ardens, sed virtutis imperio ita edomita, vt pituitosam magis medici dicerent. Eam tamen natiuam corporis compositionem ad nutum omnem summæ rationis, sic docuerat effingi, vt vbique affectum æqualiter crederes, nullo præ cæteris instinctu agi, quod æquè motibus præiret omnibus, à nullo traderetur. Quæ meram viuentis ac spirantis effigiem referat pictura nulla est, præter eam quam Alexander Criuellus Mediolanensis, qui post sacra purpura est ornatus, furtiua pictoris opera ex eo duci iussit, secum interim familiariter colloquente, planéque piæ fraudis ignaro: nam quæ ex mortuo, & collapsa iam forma ductæ sunt, non reddunt animi sperimen, illamque potissimum oris dignitatem, & luminum vigorem, eius maximè proprium. Romæ tamen habemus opus Iacobini Conti pictoris excellentis, ex vultu quidem mortui exceptam, sed ex viuentis perfectam imagine, quam tenebat is pictor animo impressam, quod esset solitus apud eum peccata deponere, eumque sæpius videre: habetur hæc omnium maximè germana, quod & sit vltima, & doctæ manus penicillo expressa.

XXXIII. *Qui sensus sociorum in obitu Ignatij.*

Iam quod ait Polancus Romæ nostros morte Ignatij, delibut os magis teneriore sensu pietatis, quam mœrore afflictos, etsi amantissimi eius essent, eoque vnicè Societatem niti persuasum haberent; idem potuit de aliis omnibus extra vrbem sociis scribere, vbi primum ad illos Ignatij obitus peruenit. Videbatur iis lacrymarum dolore, & luctus diffidentia interdictum, quasi nec patris, nec tutoris, nec boni vllius iacturam fecissent. Omnium animos occupauit, gratulatio imprimis lætissima coronatæ demum condigna gloria tanti viri sanctimoniæ, & laboris; confidentia deinde tanto certioris ab eo præsidij, quanto iam altior Deóque propinquior, & Societatis labores esset inspecturus, & iis facilè opitulaturus. Vtriusque affectus excepta statim sunt non ambigua pignora; nam quo Romæ momento obierat, matronæ nobili visendus, Bononiæ adstitit. Fuit hæc Margarita Gillia Societati plurimum addicta, totáque in iuuandis pauperibus, in precatione, in templis, & nosocomiis. Huius cubiculum die Iulij 31. mane repentino

repentino concussu, & valido motum, somno excitat dormientem, perterrefacta, vt oculos aperit, videt luce ingenti locum omnem fulgere, sanctum in medio clarius radiantem, spirantémque vultus hilaritate, & pulchritudine fœlicitatem beatorum; ad hæc abeuntis salutatione blandè compellatur. Hem! ego, inquit, Margarita, discedo, vt vides, meos tibi filios commendo. Sub quæ, mox videri desiit. Illa stupens simul, & gestiens ad Franciscum Palmium accurrit, visa auditáque, ingenuè vtpote confessario, explicat, cumque illi semper ignotus fuisset Ignatius, at suis illum sic lineamentis distinctè depingit, vt ex eius familiaribus, nemo propius vero, distinctiúsque potuerit. Quod tamen Bononiæ nihil esset de Ignatij periculo morbove rescitum; Palmio nostris, matronæ visum referenti, dilata tunc quidem fides est; paucis vero diebus, mortis nuntij cum venissent, hora obitus, cum viso collata, intellectum est sanctum Patrem æterna gloria donatum. Quantam vero curam dilecti gregis è cœlo gereret, opémque, illius tunc tenuitati, & amori suo congruam præberet, manifestum fecere argumenta nec sera, nec dubia. Nam vltro prætérque spem omnem officiosè ab Cardinalibus, & viris principibus, Societati patrocinia sunt delata: & Petrus Ribadeneira ex Belgio vbi de mandato Ignatij mensem iam septimum, in cassum egerat, repente in aulam vocatus, cumulatè quæ tamdiu flagitarat omnia impetrauit: petebat autem ab rege Catholico Philippo II. Societati aditum in eas prouincias. Cui cum obstarent potentissimi aduersarij, & regis animus à susceptis ferè immobilis, Ribadeneira apertum cœlitùs putauit: cognito vero sancti Patris decessu, agnouit pariter eius in eo negotio manum, quòd eo in cœlum intrante, inde Societati impetratus venisset in Belgium aditus, qui ex hominibus frustra diu fuerat expectatus.

XXXIV. *Ignatij famæ sanctitatis apud suos.*

De Ignatij meritis, & sanctimonia quam magnificè senserint eius coætanei maximè insignes; tot constat, ac tam illustribus monumentis, vt extra modum futura sit eorum recensio, etsi eorum dumtaxat lectissima, & grauissima memorentur. Pauca igitur dabo ex variorum ordinum hominibus excepta: atque, vt ab nostris incipiam pro singulari habitum est tot eius filios, tam perspicacis, & excoctæ virtutis, tamdiu illi domesticos, & familiares, nihil vnquam remisisse de reuerentia qua illum obseruabant; sed è contrario, processu temporis, & consuetudinis cum illo mutuæ auxisse, quanquam velari sacræ imagines identidem soleant ne conspectus perpetuitate illarum veneratio obsolescat. [Ego (inquit testis iuratus Philippus Aupolinus) Romæ Societatem ingressus dum P. Ignatius viueret, in ea æquè apud externos, vti apud nostros, sanctitatis opinione illum vidi, vt concursus fieret ad videndum illum cum domo exiret, & per vicos transiret. Nos qui domi præsente fruebamur, venerabamur tanquam sanctum, vt etiam ex collo, eius præsegmina vnguium pro reliquiis gestaremus, quæ ab adiutore illius administro certatim eliciebamus: foris quoque, vt eum cognoscerent, & alloquerentur confluebant magno numero viri graues, &

magni, eius sanctitatis acciti fama: & animaduersum, qui ex eius affatu non rediret melioris vitæ, aut perfectioris desiderio incensus, vix esse repertum aliquem; solo quin etiam aspectu mœrentes, & afflictos ad se adeuntes solabatur] hæc ille, quod autem de præsegmine vnguium ait Romæ ab nostris factitatum, idem apud Indos Xauerius, de illius egit chirographo, nam eius rescisum literis cum ossea schidia Thomæ Apostoli, appensum pectori gestauit, iisque reliquiis, puerorum manu, quorum ad hoc operam adhibebat, innumera patrabat miracula, suo quidem qui eas tradebat, sed & eorum quorum erant, etiam merito. Patri præterea, laborum in India socio suadens, vt se magis obedientiæ præberet docilem, & præpositis, tractabiliorem, nihil efficacius adinuenit, quam si hominem rogando, interponeret amorem, & obseruantiam qua Patri Ignatio tenebatur. Scribebat ad eum de genibus, literæque notabat lacrymis; tua sancta caritas; & Pater animæ meæ, tituli erant quibus hunc compellabat; dolens vero tàm diu, tàm procul ab eo degere, suumque illius reuisendi desiderium testatus, promptúsque si iusserit in Europam redire, hac clausula absoluit, *filiorum tuorum minimus, & omnium longissimè exulans Franciscus.* Quæcumque illi ab eo veniret amoris testificatio, soluebat illum in vberes fletus, animi iucundè piéque gestientis. Decumanis suis terra marique periculis, supremum hoc habebat effugium, patris sui Ignatij merita Deo obiicere, perque illa salutem, & præsidium obsecrare, sermo etiam eius haud impar opinioni tantæ, sanctitatem illius miris enunciabat modis sic enim retulit adiutor, Bernardus nomine, Cangoximæ in Iaponia natus, primúsque illic sacro fonte ab Xauerio tinctus, & Romam missus, narrare sibi solitum aiebat Xauerium de Ignatio grandia, magnæ virum sanctimoniæ nominare, ac venerabundè, quâ sublimitate de illo existimaret prodere; haud tamen cum illo egerat, eum iam adepto virtutis apicem, ex quo Romæ ad summam apud Deum gratiam, & virtutum excellentiam annos sedecim profecit. Demum paulo ante quam viuis abiret prolixam ad eum, notísque insignem intimi amoris Epistolam non dubitauit inscribere *Patri meo in Christo sancto Ignatio.* Eadem Iaium, & Bobadillam Ignatij socios, tenebat eius opinio. Ille ab stomachi dolore ad extrema redactus, omnísque prorsus inops remedij, cum publica in via Romam inter & Venetias proiectus iaceret, patris sui Ignatij tum viuentis, repræsentauit Deo singularia merita, vt iis sanitatem sibi exoraret. Vix per ea precari desierat, cum desiit pariter stomachi cruciatus. Alter Romam Tybure cum venisset, ardere cœpit Febri vehementissima, memórque se in eo conclaui decumbere vbi paulo ante animum Ignatius efflarat, illius sanctitate, & gloria confisus, opem ab eo cum lacrymis petiit, sensitque repentè febrim omnem extingui, atque, vt ipse loquebatur, sic sibi detrahi ac si lecto stragula demeretur, addebátque hoc suum testis vnius dictum, instar esse duorum, quod ipse miracula iactantibus ægrè se credulum præberet. Accedit his B. Franciscus Borgia, cui magno fuere in honore, quæ

Ignatio

Ignatio in vsu fuissent: nam Roma in Hispaniam redux, & secessum captans solitarium, & sanctum vbi extra homines ageret, aptiorem voto non reperit quam Ognaten, tribus ab Loiola milliaribus seiunctum, videbatur id solum, sanctum quiddam sibi aspirare, & perpetuos subdere stimulos ad viri sancti imitationem. Prius tamen quam illò reciperet sese, voluit Loioleum palatium visere, locumque ingressus, vbi primum Ignatius hanc lucem viderat, veneratus est fletu, & oculis illam hum[illegible]n illósque parietes, ex quibus tantum orbi bonum, cœlitus prodisset. I[illegible]: hic etiam Hieronymi Natalis post annos aliquot idem sensus. Superst[illegible] adhuc Ignatio, scripsitque se indignè admodum tulisse, quod Loiolæ dinastæ, natalem ipsius cubiculum, in vilem culinam deturpassent, cum debuissent in sacellum conuertere: præter quod, Natalis eiusmodi erat de Ignatio existimatio, vt quicquid animo fingeret omni parte virtutis absolutum, minus eo putaret quod reipsa edebat, peragebátque Ignatius. Vsque eo, vt eius quandoque reliquiis beatum se crederet, ni foret ab eo vetitus illas retinere cum enim dolore dentium iam diu Ignatius inuicta patientia torqueretur, misertus Natalis chirurgum accersit, qui dentem affectum eximeret; quod suo ingenti conatu chirurgus, & dolentis cruciatu fecit, quod altè solidis hæreret radicibus, sed ita immoto, sedato fixóque Ignatio, vt si ferro statua scalperetur. Extractum dentem suffuratus Natalis, non satis Ignatium latuit, qui repetitum, sic contemptim proiecit, vt frustra illum curiosè, diu Natalis requireret. Apud Lainium quam apud iam dictos, nihilo fuit Ignatij gloria leuior, Fabrum illi, quoad res diuinas, velut puerum viro, ætatis integræ opponebat. Erat tamen Faber, quod hic obiter dictum sit, quem Litaniis inter sanctos Xauerius in preces vocabat, nec fuit illud de vtroque tam dispar Lainij solius iudicium [Fabrum (scribit Ludouicus Gonzales Madriti noueram: egeram cum illo de rebus animi sat diu, talémque perspexeram qui me in maximam sui raperet admirationem, nec vsquam gentium credideram posse reperiri cœlestibus Deóque pleniorem. Audiens sub hæc de Ignatij dotibus, præstantiáque præ sociis fidem quæ solet narrantibus dabam, cum esset præsertim sociorum dux, & caput. Verùm vbi Romæ Ignatium conueni, & communicaui cum eo de rebus animi, euanuit mihi ex oculis Faber, puerúmque iam duxi si cum Ignatio conferretur.] Attentis deinde Lainius singularibus donis quibus Ignatium locupletarat Deus, perduxerátque ab inito conuersionis suæ cursu per longinqua, & aspera, ad condendam felici exitu religiosam militiam, cuius orbe iam toto legebat victoriæ fructus quos seuerat, reuerenter admirans aiebat. *Complacuit sibi Dominus in anima serui sui Ignatij*, tandem æger, depositúsque à medicis, quo tempore Ignatius in extremis erat, veritúsque ne se metu morbi augendi, celatum vellent ipsius obitum, rogabat singulos qui ad se adibant Estne mortuus vir sanctus? mortéque demum illius cognitâ; manus, & oculos in cœlum sustulit, eiusque velut cœlo beati suffragia enixè popposcit Deum rogans, si gratum haberet, sibi quoque

quoque donaret patris vestigia quamprimum subsequi, seque illius meritis felici transitu cum eo iungeret. Aliorum de illo perpelli opinio noluit, vt preces pro mortuo funderent, sed è contrario precum illius præsidia postularunt: Fuluius Androtius, religiosis virtutibus insignis, ad aram pro illo de mortuis secundùm facturus cum staret, obtinere id ab se non potuit, coactúsque est mutato consilio de augustissimo Iesu nomine facere, ac sæpius repetens *Pater Ignati ora pro nobis*, gratiæ affluentis experientia, sentire vim cœpit eius, quam vocabat intercessionis. Postremò dicat pro testimonio inter Ignatij alumnos, summè illi carus, & intimus Petrus Ribadeneira, qui gesta illius conscripsit primus, & edidit. Hic iureiurando testari iussus de sanctitate Ignatij quid sentiret, rationibus decem testificationis suæ veritatem affirmauit. Nolo has dare hic mutilas, sed quales habentur publicis tabulis consignatæ. [Interrogatus igitur Madriti P. Petrus Ribadeneira anno 1595. Iulij XIII. coram illustrissimo D. Gaëtano Patriarcha, & Pontificis in Hispania Nuntio, de vita, & Sanctitate P. Ignatij, quid, & quibus nixus argumentis sentiret; manu pectori admota, vt moris est Sacerdotibus, iuratus seuera dicturum, respondit, habere se Ignatium pro sancto, sempérque habuisse, atque inter sanctos valde magno, & Dei amico, seque in hanc mentem, subsequentibus rationibus adductum.

1. Quòd per longam annorum sedecim, octo vero etiam intimam cum eo familiaritatem, nihil in eo vidisset, nihil ex eo audisset, quod posset merito veniali culpæ, nedum lethali attribui. Haud quidem idcirco, quod crederet, nunquam illum venialia peccare, cum probè id sciret. *Non est iustus qui non peccet*; & illud *septies in die cadit iustus*; sed quod eius & verba, & opera eiusmodi essent, & ad eam exacta normam, vt ex eorum aspectu, vel auditu, non posset illa peccati vllius damnare; nam otiosa, querula, iniuriosa se nunquam audisse, ac ne tum quidem cum suos argueret, vidisse vnquam incompositum, iratum, indignantem vltra quam ipsemet videri aptè ad eam reprehensionem, & consultò vellet: quare illos motus præuertebat semper ratio, non subsectabatur.

2. Quòd in P. Ignatio multa obseruasset virtutis heroicæ, & raræ sanctimoniæ opera; nominatim vero in precandi assiduitate; in teneritate affectus, & piorum sensuum; in profusione lacrymarum, earumque deinde laxandarum vel inhibendarum facultate; in ardore ingenti diuinæ gloriæ seruandarúmque animarum, in mundi, ac sui despicientia, in abiectissima sui dimissione; in patientia alacri ærumnarum; in conflictationibus fortiter, & mira constantia perferendis; in cunctis negotiis animæ supra humanum prudenter tractandis: in æqualitate animi, & vultus, nullis aut aduersis, aut prosperis mobili; aut si quid interdum mutari videretur, cum tristi aliquo, & improuiso percelleretur casu, tunc comparebat alacrior: in aliis denique virtutum omnium ornamentis de quibus libro quinto scriptæ de illo historiæ agitur.

3. Quòd

3. Quòd esset lectus diuinitùs in Societatis fundatorem, ac patrem, & eam Deo adiuuante statuisset, rexisset, toto orbe sparsisset, ex eaque per suos, tam vberes, gratósque fructus collegisset; nec enim videri fieri potuisse, quin tanto operi destinatum, instruxisset Deus iis dotibus, quibus ad illud egregiè patrandum idoneus fieret, cum præsidia gratiæ iuncti muneris magnitudini paria, suppeditare consuerit. Cuius rei patebit admirabilitas clarior, si quæ illam circumstant spectentur attentius: vt est vitæ ab tanta vanitate, ac mollitie, in tantum suimet contemptum, & vexandi sui ardorem mutatio; diuini magisterij doctrina (vt qui esset literarum expers) donumque Exercitiorum spiritualium, quorum vsu primos tum sibi adiunxit socios, tum eorum complures qui eum sectati sunt postea, præter alios multos, qui partim religiosorum ordinibus variis dedere nomen, partim conditionis pristinæ emendauere prauitatem. Primorum sociorum qui omnes Hispani, & Galli fuerunt, inductus animus, vt spebus omnibus abiectis se assectarentur, & bellis immanibus Hispaniam inter Galliámque furentibus, mutua inter se, & plusquam fraterna beneuolentia coniuncti viuerent. Accepta à Deo religiosæ vitæ forma, Ordinibus cœteris, ipsa sui natura, & ratione consentiens; quoad alia vero ab iis dissimilis, & pro necessitate temporum diuersa; quale votum est professorum addictæ Pontifici obedientiæ ad impugnandos authoritatis ipsius hostes hæreticos, & propagandam quocumque gentium Christi fidem. Constitutiones quas scripto tradidit, medulla virtutis exquisitæ, sapientia diuina, verborum ac sententiarum pondere admirandas, quarum sanè haud leue præconium sit reuerentia, qua Societatis conuentus quinque post defunctum Ignatium habiti has venerati sunt, & probarunt.

4. Quod visis, donisque cœlestibus, & vaticiniis à Deo supra modum vulgarem decoratus, quorum in eius historia nonnullla narrantur, multa legi possunt in commentariis, quæ sua manu adnotauit, dum constitutionibus scribendis incumberet, ac post eius mortem reperta sunt.

5. Quod messem tulisset instituta ab eo Religio, orbe toto copiosissimam tum instauratis inter Catholicos moribus, tum conuersis ad fidem ethnicis atque hæreticis, in quo sunt totidem superiora sensibus miracula quot ab sceleribus ad innocentiam; ad fidem ab hæresi, & infidelitate perducti sunt, eoque corporeis pretiosiora, quo excellentior animorum est salus quam illa conferunt, corporum sanitate, quam ista restituunt, vt viri sancti docuerunt.

6. Quòd eius intercessionem, & viuentis, & vita defuncti Deus miraculis illustrasset, quæ narrantur in ipsius gestis, & actis iuridicis quæ passim tot locis conscribuntur.

7. Quòd semper dæmones infestissimis odiis sibi aduersantes habuisset, & continuas in illum vexationes concitassent. Notatum siquidem absente Ignatio, primos illius socios tranquillè ac placidè egisse; cum ad illos re-

diret, tempestatem mox aliquam in eos ingruisse, Ignatij odio ab dæmonibus comparatam. Narrabat Lainius Patauij arriptitium militem qui nunquam Ignatium viderat; sic illum ad natiui oris expressam effigiem descripsisse, vt nihil posset expressius, addidisséque nullum vsquam sibi esse inimiciorem. Quod alius Romæ confirmauit dæmon, qui iuuenem Matthæum nomine occuparat, expulsúsque deinde ab Ignatio est. Nam cum ipse qui hæc coram testatur, hosti maligno minaretur, Ignatium quantocyus adfore deiecturúmque illum sua statione; exsecrabatur vociferans omnem eiusmodi hominis mentionem, quo magis inuisum haberet neminē, quod idem quoad rem attinet, Drepani quoque in Sicilia statim à morte Ignatij dæmon profiteri auditus est, idque à Ioanne Vega Prorege; & aliis inter quos Hieronymus Domenecus, vir sanctus, & Societatis in eo regno Prouincialis, qui Romam literas de eo dedit; hoc vero, testi qui hæc profert, pro argumento est Ignatij sanctitatis: cum etsi dæmoni nulla sit, ex se atque vltro dicenti fides, dari tamen non vana possit, vbi Dei iussu ad sanctorum honorem fateri vera compellitur, eiusque dicta consentiunt illorum meritis, aliisque probationibus, certioris, & euidentioris argumenti.

8. Quòd multis fuisset toto vitæ decursu iisque grauissimis vexantium afflictationibus exercitus; ab hoste bonorum, Dei nutu conscitis, Compluti, Salmanticæ, Parisiis, Venetiis, Romæ, Societate nondum instituta; & deinceps, quà in illum priuatim, quà vbique locorum in eius filios; sed inuicta patientia, robore animi, & alacritate generosa peruictis, coronatísque illustri victoria, vt est omnibus manifestum. Quæ indicia sunt beneficentiæ singularis, quâ Deus illum probari voluit, & præsto adfuit laboranti, fecitque tandem hostium victorem.

9. Quòd multi valdéque insignes Dei serui, & viri grauissimi, pro sancto Ignatium duxissent, quorum eius historia meminit. Certò quidem nonnulli quorum quisque per se se, magna laude splendebat sanctitatis, Faber, Lainius, Xauerius, Borgia, & alij, ad Ignatium erant velut pumili ad gigantem, idque ipsimet agnoscebant, eumque propterea suspiciebant, ac venerabantur.

10. Quòd etiam aliqua in hoc teste per Ignatium Deus effecisset. (Et hic illa enarrat, quæ opportunius suo loco magna ex parte iam retuli) subdam his tantum quod Ribadeneira suo huic testimonio adiunxit, de fide quam ait integram vitæ S. Ignatij quam ediderat deberi [cum nihil eo libro tradiderit cuius falsitatis sit conscius, scripsisse saltem nihil meminerit quod sciret esse falsum; imò certo credat quicquid eo libro continetur, quantum capit æstimatio humana, consentaneum vero esse; sibi enim summæ fuisse curæ, vt verax esset in omnibus, scriberétque de Ignatio quæ ipsemet viderat, quæque audierat, ipsóque vel de se narrante acceperat, vel ab aliis memorantibus fide dignissimis, vel ex autographis securæ auctoritatis habuerat. Quare ab se inspectum, & auditum quod ait, audisse certò atque inspexisse; quod referentibus aliis exceptum, verè ex aliis retulisse.

tuliſſe. Veritatem eius hiſtoriæ confirmat, quod ea priuſquam in lucem daretur, iubente Franciſco Borgia cenſuram ſubiit virorum grauium de Societate, quorum nonnulli valde familiariter cum Ignatio egerant. Poſteaquam vero in lucem exiit ſuperſtitibus adhuc eiuſdem familiaribus antiquis patribus non paucis, in quibus tres primorum eius ſociorum, qui falſi quicquam in ea argueret, authori compertus eſt nemo. Ea demum hiſtoria Latinè Neapoli edita cum ſuper menſam in triclinio legeretur, audiréntque patres qui Romam conuenerant ad Generalem congregationem anno 1573. Mercurianus tunc Societati ab ea Præpoſitus Iacobo Ximenio (nunc vſque in viuis agenti, olim Societatis Romæ Procuratori, & Secretario Generali) negotium dedit, vt ſuo nomine Patres omnes Congregationis ſeorſum ſingulos adiret, de illa hiſtoria quid ſentirent, notaſſentne dignum emendatione; nihil æquè auctorem auere, quam vt opus illud certa conſtaret veritate, & ſi quid in eo minus probaretur tantorum virorum corrigeretur ſententia. Patrum tamen neminem ſubiit de veritate hiſtoriæ, vel quicquam ambigere, vel alicuius momenti quicquam opponere, quod Ximenius ſuo chirographo abundè teſtatus eſt, fuerant autem ex iis Patribus multi Ignatio perfamiliares, vt Salmeron, Bobadilla ex primis ipſius ſociis: Domenechus, Polancus (totos nomen annos eidem ab ſecretis, eiuſque veluti pes, & manus:) Natalis cui vices ſuas commiſerat: Doctor Madridius quem Magiſtro Lainio Generali Aſſiſtentem Hiſpania habuit, ipſeque Mercurianus Generalis qui omnes vita functi, prætérque hos Benedictus Palmius, & Manareus, perſpectæ auctoritatis viri, qui etiamnum valent] hactenus Ribadeneira.

XXXV. *Externi virtute inſignes quid de Ignatio ſenſerint.*

Accedunt teſtimonia externa domeſticis. Primum inter externos locum iure ſibi vindicet Philippus Nerius Oratorij fundator, olim Ignatio intimus, poſt vero in ſanctorum honoribus Collega: ſolebat hic vultum Ignatij ſplendentem cernere, & multa luce radiantem, quam ex pulchritudine animi excellenti dicebat emicare, idque Antonius Gallonius, & Marcellus Vetelleſcus ex illius ore acceperunt. Indéque idem, Manareum alloquens, fieri aiebat, vt Ignatij ſpeciem ars nulla pictoris ſatis exprimeret, quod in terra deeſſent colores quibus reddi ex vero poſſet cœleſtis illius pulchritudo. Quo item argumento ſanctitatem Ignatij Cardinalis Tauruſius Senenſis Archiepiſcopus iure aſſeruit, cuius ſi alius illo æuo in purpuratorum Patrum Collegio, cordatiſſimi, & integerrimi, iuuat hic verba concepta ponere, in beati honorem, cuius ſanctimoniam teſtabatur, cum præſertim è vita migranti ſe interfuiſſe ſignificet, [Franciſcus Maria Taurafius, S. R. Eccleſiæ Tit. S. Bartholomæi in inſula, Præsbyter Cardinalis, ex Apoſtolica diſpenſatione Archiepiſcopus Senenſis. Omnibus, & ſingulis has noſtras litteras lecturis, ſalutem in Domino. Beatus vir Ignatius Loyola, Societatis Ieſu Fundator, firmiora quidem ſuæ gloriæ teſtimonia habere non poteſt, quàm quæ per eius inſtituti ſectatores, vera huius ſæculi lumina, omni virtutum, ac diſciplinarum genere præditos,

Deus ipse euidenter exhibet Quomodo enim ij strenuè dimicantes, tam præclara in fide Catholica propaganda, in Hæreticis conuertendis, & in Christianis moribus vbique terrarum reformandis, cum summa omnium admiratione præstarent, nisi, Deo duce, idem B. Ignatius cœlesti chlamide indutus, militibus suis præfulgeret, æterni Regni vexilla præferret, animum, vires, armorúmque præsidia suppeditaret? Nos profecto quibus præcipuo Dei munere, illum in hoc ergastulo carnis adhuc degentem nouisse, einsque animam ab ipso solutam, hinc migrantem in æterna Tabernacula, vt certò credimus, illicò recipiendam, cum in illiusmet cubiculo tunc adessemus, precibus, votisque comitari datum fuit, adeo semper eius nomen eminentémque sanctitatem venerati sumus, tantáque de ipso à bonis omnibus prædicari audiuimus, vt nihil eorum, quæ in eximio Dei seruo ad veræ perfectionis normam imitanda requirantur, irreprehensibilis eius vitæ rationem, desiderandum reliquisse censeamus. Singularum autem virtutum, quas Spiritus sancti gratia in anima, in qua inhabitat excitare solet, quis in eo argumenta scrutabitur, quamuis innumera quoque extare non ignoremus, dum illarum species, in eius vultu apparuisse approbantur? affirmauit enim nobis Sacerdos quidam Congregationis nostræ, Antonius Gallonius nomine, B. Patris nostri Philippi Nerij intimus, oraniumque eius arcanorum conscius, de cuius fidei integritate dubitari non potest, eundem Philippum, Beati Ignatij faciem, dum adhuc viueret, micantium radiorum fulgore se intueri sæpius testatum esse. Hæc nos de B. Ignatio sentientes, ex publicis his litteris, nostra, nostríque secretarij manu subscriptis, & sigilli nostri robore munitis, in eorum perpetuam fidem, asserere, testarique voluimus. Dat. Romæ pridie Kalen. Septemb. M. D. C. EGO FRANCISCVS MARIA CARDINALIS ET ARCHIEPISCOPVS SENENSIS, affirmo.

Neque vnum hoc Philippi Nerij de Ignatij virtute præconium. Videns die quodam Gabrielem Venustium, & Rubinium in Congregationis suæ templo, rogauit an essent de Societate? & annuentibus, Estis, inquit, filij magni patris. Huic ego plurimum debeo; Magister Ignatius orationem me docuit quæ mente peragitur. Ad eum quoque de suis transmittebat quos ad Societatem censebat idoneos, cuius tanta erat apud eum existimatio, vt quantum mihi certo compertum est, eam suo ingressu, & professione fuerit ornaturus, nisi ampliori fuisset diuinæ gloriæ propagationi destinatus. Habemus denique ex iurata fide Eugubini Episcopi, sanctum senem impetrandis à Deo precum successibus, intercessore vsum Ignatio, iam defuncto, eosque ad eius sepulchrum popposcisse. S. Nerio succedit B. Ioannes Texedius ex Minorum Obseruantia. Hic Ignatium aiebat spiritu Dei plenum, cuius instinctu magna libertate conficeret quicquid ad Dei gloriam

riam mouisset. Nominabat eundem Pacis templum, qui sui aspectu animos solaretur, satiaret verbis, consiliis expleret. Ludouicus Montoyus Lusitanus ex ordine S. Augustini, doctrina meritisque notissimus, qui Romæ animi arcana cum Ignatio communicauerat, Conimbrica hæc ad eum scripsit: [Christus Iesus summum nostrum bonum, sanctæ animæ tuæ semper adsit, eamque sui agnitione illuminet, incendátque noua in dies accessione sui spiritus, sancto amoris sui igne. Amen. Deus me pro sua bonitate in hanc vrbem reduxit incolumem. Vtque P.V. professus sum, nullas istinc reliquias pretiosiores, nullum vtilius retuli confectum negotium, quam quod P.V. vidi, quod me in filium adoptauit, mihique bene precata est, vt hinc per omnem deinceps vitam, indignus licet, inter minimos Societatis Iesu fratres connumerer, quos & semper dilexi, & nunc quam vnquam amantius, eosque in animo gero, vt ipsi quoque me velut vnum ex suis, agnoscunt, & diligunt, tametsi sum eorum amicitia indignus, ob illas tot animæ meæ quas coram P.V. explicui miserias, cum me suo conspectu, affatúque dignata est.] Ludouicus Granatensis ex sacra Prædicatorum familia, scriptorum pietate, ac sapientia de toto hominum genere egregiè meritus, agens Ribadeneiræ gratias, ob scriptam Ignatij vitam, quam Vlyssipone à patribus nostris acceperat, vtpote antiquus, vt ipse se nominat Societatis filius; ait vitam illam archetypum esse absolutissimæ virtutis, sociis omnibus ad imitationem propositum; se illam semel, & iterum lectam, optare, vt mente excideret, quò eadem qua prius auiditate illam relegeret. Ioannes Auila qui præcipua sanctitate Hispaniam, postremo hoc æuo illustrauit, causam sui amoris in Societatem P. Michaëli Turriano exponens, ait, sui hunc esse priuatum amorem, & proprium; suum enim se genium ac spiritum in Societatis genio quòd idem esset cum suo amare, ac se quoque rude atque imperfectum specimen quoddam instituti descriptum animo habuisse, cuius Ignatius non modo formatat canonem, verum etiam in opus lucémque eduxerat. Quare se quidem, cui Ioanni nomen, officio congruum, paranymphum fuisse sponso Ignatio, sibique idem quod puero factum, saxum ingens humo attollere, frustra toto corpore molienti, ob debilitatem virium teneram, quod robustus, & neruis integris, si forte aduenerit, nullo negotio correptum illic statim reponat, quo puer in cassum tentauerat. Sed præstat, opinor, de Ignatij sanctitate, totum aliquem audire Ordinem sanctimonia, & meritis clarum, quam multos seorsim qui eum viderunt testes grauissimos, is est Clericorum S. Pauli Ordo, qui Barnabitæ appellantur, audita enim Ignatij morte, hanc dederunt Consolatoriam ad Societatem Epistolam. [Postquam nobis renunciatus est hinc in vitam meliorem recessus beatæ memoriæ Venerabilis Patris Ignatij, non mediocris cor nostrum pupugit dolor, tum vestri causâ, totiúsque sanctæ Congregationis Iesu, quæ tali magistro, ac parente orbata, dolensque remanserit, tum nostri quorum etiam Pater erat. Dolendum quidem quod

Epistola Barnabitarum in obitu B. Patris Ignatij.

raptus est nobis hoc maximè tempore quo bonorum virorum tanta caritas est, consolandum verò est quod ad meliora transierit. Iustis enim viuere Christus est, & mori lucrum, quia & dissolui, & cum Christo esse multo eis melius: quo fit, vt cum beato Petro Kalend. Augusti corporis soluto vinculis, ad cœlestia lætus migrauerit. Hoc tantùm metuendum est, ne aliquo nostro peccato ereptus sit mundo, & sicut de S. Iosia legimus, quia Iudæorum populo graue imminebat periculum Rex Iustus ante sublatus est. Sicut Domino placuit ita factum est: sit nomen Domini benedictum, sed neque etiam omnino à nobis recessit, viuit apud omnes quocumque se per totum orbem nomen Christi protendit, dulcis, & grata sancti viri memoria, qui tantum de Christiana Republica meritus est. Quo magistro, ac duce, Christi fides, religio, doctrina propagata est, vt ipsos quoque antipodes penetrauerit, apud quos multa millia hominum ad fidem conuersa nouam Ecclesiam primæ illi Apostolicæ æmulam, nouos Apostolos, nouos Martyres legimus extitisse. Præmisit filios, nunc post multos superatos labores pro Christi nomine subsecutus est Pater, non minus magnis curis excruciatus, multarum Ecclesiarum sollicitudine confectus, in otio Martyr, in quem non tantum domus vestra tam magna tot annos recumbit, sed plurimorum aliæ. Communis erat bonorum omnium parens. Et quem mœrentem non est solatus dulci alloquio? cui afflicto non affuit benignus consilio? quem indigentem auxilio non iuuit? non est tutatus? Pes claudo, oculus fuit cæco, pauperibus solamen & miseris omnibus præsidium. Reddat illi Dominus bonorum operum mercedem. Nos in tanto funere sacram, Deo Hostiam non cessamus in altari offerre spargant alij tumulo purpureos flores, hæc Sacerdotum sunt lilia, magísque vernantia, & Deo amabilia mysteria pro sancta illa anima licet iam beatæ vitæ gaudia (vt credimus) perfruente. At his saltem illum quem viuentem nobiscum pio amore coluimus, recedentem ab hoc sæculo, nequam quibus possumus muneribus prosequemur. Dilectionem vestram rogantes, vt has amoris lacrymas, fidei, & obseruantiæ nostræ testes libenti animo suscipiant, mutuoque nos diligant, memores in suis orationibus paruitatis nostræ: Dominus Noster Iesus Christus sit cum omnibus vobis. Amen. Ex cœnobio nostro Mediolani Kal. Septemb. 1556.

Vltimo demum loco, post homines virtutum sanctarum laudibus præstantes, Ignatij merita etiam alij testentur, quos præter virtutem ornauit Maiestas, & dignitas: in iis iure primas tenent Pontifices, sub quorum oculis Romæ agebat Ignatius. Paulus III. qui Societati Religiosi Ordinis formam dedit, existimauit Ignatium Deo plenum, datúmque mortalibus ad instaurandas Ecclesiæ labes. Fuit Iulij III. de illo idem sensus, reuerentia erga illum velut in hominem virtutis absolutæ: vsus est illo familiariter, nec illi quicquam, aut gratiæ, aut prærogatiui iuris negauit vnquam quod pro Societate petiisset. Illum Paulus IV. ita obseruauit, vt ab iis quæ instituerat in Societate abstineret manus, seque adeuntem non sineret de genibus

nibus agere, sed stantem iuberet tectúmque pileolo secum loqui. Sed Marcellus II. parem sanctitatis, & prudentiæ vim veneratus est in illo singulatiter, & amauit; suúmque hunc animum haud rarò, palam ac publicè indicauit, ac nisi hunc Deus Ecclesiæ suæ tantum ostendere, nec vltra esse voluisset, magnis profecto in rebus luculentius spectaremus quanti Ignatium faceret, vix enim sederat cum eius expetiit consilia, viásque opportunas ad eam quam meditabatur in tota Ecclesia reformationem, nec eius modo consilia, sed operam, & operarios optarat; attende, inquiens, scribendis, fingendísque militibus, nos vero iis occupandis. Maius aliquid optasset Ioannes III. Lusitaniæ rex, nempe Ignatium in Petri sede Pontificem, & cœli claues moderantem, illo enim suo Apostolico ardore, mortales omnes illuc inducturum. Pontificum laudem excipiunt Cardinalium studia, de quibus referre sufficiat, quod tres aulæ Romanæ cognitores de eo inter cœtera retulerunt, ad eum scilicet adisse sæpius Cardinales nonnullos officij gratiâ; alios, vt venerarentur virum sanctum; quosdam, vt eius ductu in animi cura, vel in negotiis iuuarentur: vulgo enim constabat, quod toties dictum, summa illum prudentia, & sanctimonia pollere: quare Cardinalis à Cueua vbi de illius obitu accepit, scripsit Ecclesiam prudentissimi omnium capitis iacturam fecisse. Ferdinandus primus Imperator nisi consulto prius Ignatio nihil Romæ tractauit. Iacobus de Mendoza variis casibus edoctus, non dubitauit profiteri, sibi in negotiis Regiis dictata Ignatij prospero semper euentu cessisse; vbicumque ab iis suo consisus iudicio recessisset, semper sibi res in deterius exisse. Tandem inter tot alios de admirandis illius dotibus sapientissimos, grauissimósque testes, duorum tantum consolantium magis, quàm condolentium literas hic dabo, quas in eius morte, ad Societatem dedit Cardinalis Augustanus, & ad Lainium Vicarium Generalem; Ioannes de Vega Siciliæ prorex. Otho Truchses Cadinalis Augustanus in hunc modum Herbipoli scripsit. [Haud facile dictu est venerandi in Christo ac Religiosissimi fratres) sanctissimi nostri Patris ad vitam meliorem excessu, vtrum nobis mœror ac lætitia maior acciderit. Nam si ex huius vitæ calamitatibus ad præmia, quæ promeritus est euocatum Dei bonitate consideramus; impium esset id ei bonum, commodi nostri causa inuidere. Ex altera parte est, cur merito doleamus, vbi relictos nos orbos aspicimus, eóque parente destitutos, qui quauis in difficultate portus nobis tutissimus erat; tamen, quia caduca cum æternis conferenda non sunt, id solatij quod item capiendum vobis est, capimus: certi eam benedictam animam pro nobis, qui in tenebris hisce mansimus, supplicem apud Deum esse; ac precari, vt ea felicitate articulum supremum exigamus, qua exegisse illum cognouimus, &c. Herpipoli 25. August. 1556. Societatis vestræ sanctæ Deuotissimus Frater Cardinalis Augustanus, Ioannes quoque Vega Siciliæ Prorex scripsit, & militari sua eloquentia gratias egit Deo, quod cum ei visum est tempus, ad se famulum suum transtulit, relictis inter mortales tot bonitatis, santitatísque trophæis, quæ

Epistola Cardinalis Augustani.

Epistol. Ioan. Vegæ proregis Siciliæ.

quæ nec tempus, nec aër, nec aqua euersura vnquam sint, vti cernuntur euersa, quæ inanis gloria statuerat & secularis ambitio; ait se considerare triumphum quo receptum in cœlo par foret, qui tot victorias præferebat, tótque feliciter pugnatas pugnas aduersus tot, tamque acerbos ac barbaros hostes, quamque merito sancti huius Imperatoris signum in cœlo possit inter signa statui sancti Dominici, Francisci, aliorúmque sanctorum: quibus Deus dedit vt tentamenta, & miserias seculi superarent, plurimásque animas eriperent è faucibus tartari. Paritérque considero (inquit) quam sit hæc gloria, & triumphus procul ab inuidia aliorum sanctorum heroum, quamque diuersus ab seculi huius triumphis, & gloria, miseriarum, & inuidiæ plenis, & cum damno Reipublicæ, corruptelá-que coniunctis: quæ omnia eo valent, vt ingenti solatio, & firmamento sint nobis ad mitigandum quamuis acerrimum talis iacturæ sensum; vtque expectemus adiumentum è cœlo, quod melius, quam cum esset nobiscum, poterit præstare tum suæ familiæ, tum omnibus, qui sancto viro noti, deuotíque fuere ac sunt.]

Nunc illa priusquam expedio quæ consecuta sunt Ignatij obitum, dandus omnino est hic locus, aliquot eius sententiis sane illustribus, & dignis æterna memoria, vt quæ sint virtutis reconditæ arcana, & diuinæ effata prudentiæ, magno prorsus siue apud Deum, seu nobiscum sit, vel cum aliis agendum vsui futura. Sunt autem ea quæ sequuntur.

Qui se suásque rationes Dei obsequio postponit, huic Deus multo melius consulit, quam potuisset ipse sibi consulere, si Dei obsequium sibi suisque rationibus non dubitasset postponere. Vbicumque vero secundi exitus optantur susceptorum in Dei gloriam operum; ab tenebris æquè, vt luce humana cauendum est. Hoc est ab inani pusilli animi timore, & à prudentia volente nimium sapere; haud ita quidem, vt temerè in res agendas procurratur, expectentúrque in opem miracula: verum sic Deo confidamus, vt indubitanter statuamus, eius velle ac posse nullis teneri perpetuis legibus; nec illa tantummodo cum de illius obsequio agitur, ab eo expectanda, quæ spondet nobis nostra infirmitas: suspendenda quidem fiducia omnis, in suscipiendis rebus huiusmodi, à Deo perinde est, vt si eas solus, miraculo, perducturus esset ad optatum finem; verum in legendis ad eas viis atque adhibendis, sic incumbendum est, vt si nostræ vnius futura laus operæ, & industriæ foret, nihilque negligendum quo possint ad exitum promoueri. In tractandis autem negotiis decere aiebat pauca loqui, & multa audire; pauca vero illa, sic vel vni solum, in aurem credenda, vt si credas vulganda in publicum. Denique qui plura conficeret, nullum esse quàm qui vnum tantum, maximè vero si hoc seruet, quod summè est necessarium, vt rebus seipsum accommodet non res sibi, ne dum suum vitat incommodum negotia corrumpat.

Qui multum homines metuit, grande aliquid pro Deo nunquam conficiet; nihil enim suscipi pro Deo magnum potest, quin suscipienti magnos

metus,

metus, & vexationes continuo homines concitent, omniaque tumultu impleant. Magnum vero illud, in auxilium scilicet animarum volebat intelligi, expertúsque per sese loquebatur, vsque iam ex eo cum se Deo primitus dedicarat. Dum enim sibi pœnitentis vitam in afflictando corpore viueret suspiciebatur ab omnibus cum admiratione sanctitatis, vt autem in curas transiit salutis alienæ, repentè veneficus, hæreticus, sceleroſus euasit, quæstioni, carceri, & rogo tradendus. Haud tamen propterea retro vnquam cessit, nam hac etiam in parte *perfecta caritas foras mittit timorem.* Qua professione salutis animarum cum Societatem informaret hunc illi vná instinctum indidit, ne malis vnquam territa cederet, sed contra impetus aduersariorum inflexa pergeret, qui nunquam essent defuturi, quamdiu officio non deesset. *Societas*, inquit, *mediis humanis instituta non est, per ea nec conseruari nec augeri potest.* Multo minus dissolui, & periclitari: quin ab aduersis metuendis tam procul aberat, vt omen lætius aliunde nullum acciperet, Societatis alicubi rem bene gesturæ, ac feliciter habendæ quam si hostilibus odiis, illic ab omnibus iactaretur: cui eius prognostico, bellè fidelitérque successus responderunt.

Rari sunt admodum qui satis capiant, quid iis esset facturus Deus, si totos se illi permitterent, & elaborandos manu artifice diuinæ gratiæ traderent. Rudis atque informis stipes nunquam suspicetur, fingi se posse in statuam quæ pro artis miraculo celebretur. Proinde nec statuarij se scalpro subiecerit, qui *videt in arte*, quid illo fieri valeat: sic multi quos passim videmus de Christiano vix aliquid sapere, non intelligunt se posse Dei munere in sanctos efformari, nisi eius operam perderent, & designato ab eo labori obsisterent.

Qui auet ex Deo cognoscere quid ab se velit Deus, siue in optando vitæ instituto, siue in cœteris quæ animum spectant, omni se primum affectu priuato, ac propensione necesse est exuat. Dehinc totum Deo se credat penitùs, æqualiter animo paratus ad omnia quæcumque Deus innuerit. Post hæc ne sibi venturas de cœlo Epistolas somniet, quibus sua Deus mandata exponat, sed ex oraculis æternæ, & Euangelicæ veritatis, vtrimque æstimet quid agendum, vel omittendum sit, quæ consecutura ex vtroque prospiciet ad finem referens in quem à Deo est conditus: sub quæ si adhuc hæsitarit perplexus, & dubius, ex morte demum, & supremo post illam iudicio, decretoriè statuat amplecti, quod vellet maximè in eo æternitatis pauendo aditu fecisse.

Deum possidenti, nihil deest, tametsi nihil suppetat; est enim Deus omne bonum, & cum eo nobis quicquid vsquam est boni pariter aduenit: ex quo scribens ad Petrum Contarinum; [cum bono Deo, inquit, satis feliciter nobis hactenus res fluunt, experimúrque in dies certius quàm verè id dictum, *nihil habentes, & omnia possidentes*, omnia, inquam, illa quæ promisit Christus adiecturum se quærentibus primum regnum Dei: nam si præ omnibus, Dei regnum quærentes, accessione reliquorum bonorum cumu-

lantur, iis oro, deesse quid possit, qui præter Dei regnum, prorsus nihil ambiunt, aut volunt? quorum haudquaquam *de terræ pinguedine*, sed de rore cœli, tota felicitas? qui mentem cœlo, ac terræ non diuidunt. Sed defixam in cœlo integrè totam habent.]

Cui Deus hunc principem, ac summum perfectæ virtutis non indixit gradum, Dei vnius possessione abundè contentum; occurrit secundus in quem enitatur, possessor nempe sit eorum quæ habet, nec ab iis possideri se sinat; & esto, propter Deum illa non deserat, cuncta tamen ad eum referat; & quamlibet multa sint, minoris semper ea pendat illo vno quod esse necessarium Christus pronunciat.

Frequentatæ augustissimæ Eucharistiæ fructus est maximè proprius defendere animum à noxis lethalibus: quare non ideo supersedendum illius accessu, quod sensus molliores diuinorum non experiantur; foret enim perinde, vt qui velit inedia perire quod pane mellito careat, & grati saporis insana cupidine, vitam destruere.

Tametsi virtutes, earumque actus, aliis alia, nobilitate, ac merito antecellant. Haud tamen id cuique vtilius semper est, quod per se est optimum; sed quod præsentibus rerum concurrentium momentis, ei maximè conducit. Ergo si nobis precantibus diuina se bonitas infundet, affluxu doloris ex nostris sceleribus concepti, absurdum fuerit, omisso dolore, transferre animum, ad lætas de natura Dei, eiusque gloriis, aliisve similibus cogitationes. Hoc enim licet, sui ratione præstantius, ac pretiosius; sed huic sua lugenti tunc crimina, diuinâque ad hoc gratia affluenti, multo minus conueniens, minusque vtile.

Si tibi Deus vberem præbebit tolerantiæ segetem, argumentum id erit magnæ sanctitatis, in quam te cupit attollere; ac si voles ab eo fieri valdè sanctus, multam ab eo roga perpessionum materiam. Nam diuini amoris luculenta flamma, haud alio surgit, quam ex ligno crucis ardentior, quo Christus vsus est ad sacrificium infinitæ suæ caritatis. Aiebat item, ex floribus, & deliciis hominum quicquid potest mellis exsugi, nihil esse ad suauitatem, quam Christi fel, & acetum affundit, hoc est amara, & aspera quæ Christi amore cum Christo perferuntur.

Magni in Dei gloriam, magno hominum bono aliquando patrandis, non debent postponi, quæ in eundem finem iam manu tenentur, præstantque pauca, sed solidè fundata, & æuum latura, multis, sed insertis, & facilè mutaturis; alioqui non ratò partum amittitur, nec speratum paratur. Quam sententiam, vt verbis, sic rebus agendo confirmauit; ac tum præcipuè cum in Hispania, multis locis deferretur illi collegiorum fundatio, quæ ob professorum penuriam cum admitti non possent, nisi iam admissis detraherentur aliqui professores, spes illas in tempus opportunius reiecit, non passus numerum domus vllius imminui; quòd Collegiorum propagationi præferret religiosam disciplinam, quæ inter paucos ægrè seruaretur; vbi vero illam Laxari contingeret, inde mox ordini graue damnum acciri,

acciri, vrbes autem suis vtilitatibus fraudari, quas ab hominibus solutæ virtutis sperare non possent.

Vt in salutem animarum efficaces sint naturæ dotes, interiori virtutis impulsu eas agi oportet, indeque vires ad rem bene gerendam ducere. Ita illas fortunabit Deus, manúmque iis, vt Ioæ Elisæus, potentem imponet, ne tela sine ictu mittant, sed plagas inferant salutares. Præsidia igitur scripturus quibus Societatis instituti sui tueri animam valerent, hoc cæteris omnibus præmisit [ad conseruationem, inquit, & incrementum non solum corporis, id est eorum quæ externa sunt, sed etiam spiritus Societatis, atque ad assecutionem finis, quem sibi præfigit, auxilij animarum, ad vltimum & supernaturalem suum finem consequendum, media illa quæ cum Deo instrumentum coniungunt, ac disponunt, vt à diuina manu rectè gubernetur, efficaciora sunt, quam quæ illud disponunt erga homines. Huiusmodi est probitas, & virtus, ac præcipuè caritas, & pura intentio diuini seruitij, & familiaritas cum Deo in spiritualibus deuotionis exercitiis, & zelus sincerus animarum ad gloriam eius qui eas creauit, ac redemit, quouis alio emolumento posthabito] hinc Ignatio carior vir simplex excellenti virtute, quam ab scientia doniisque aliis egregiè quidem comparatus, sed modicæ virtutis, quamuis & hos fouebat diligenter, ob vtilem in animas operam. Verum si nihil eos commendaret præter nobilitatem, aut literas; iis Societatem absoluebat, quanquam opinione famáque præstantibus, aut eos tamdiu à ministerio animarum amouebat, dum intelligerent, carere se primaria eius muneris parte, virtutis nimirum pietatisque præstantia, cum ex ingenij ornamentis, supellectilem sibi malè arrogarent, etiam iusto ampliorem: vt enim denique de concionibus Ignatij aiebat Lainius, non fuisse illas Quintiliani, & Tullij incude informatas, sed tamen qualibet eloquentia fortiores; tantùm potest quiuis, quantam Deus illi vim addit; tantam porrò addit, quantò propius atque interius illi coaptatur ad suscipiendos eius motus. *Part. 10. const. §. 2.*

Pietatis cultum, & precandi studium professis, duo par periculum inuehunt; copia, & egestas; animi voluptates, & ariditates: illis procliue est animus intumescat, tanquam meritorum ingentium vsuris, cum excipi debeant in stipem gratuitam, conferri sæpius etiam in eos solitam, qui virtutum sunt egentissimi, his verò facilè tædio, mœrore, ac dissidentia contrahitur animus, velut ab se auersum recogitans Deum, quod sibi frontem non explicet; ac se cum Gelboë montibus, diuina damnatum exsecratione, quod se rore cœli non recreet. Vtrumque igitur hoc tempus mutuo auxilio sustentandum, ne extra officij limites nos ferat. Piis ergo defecti solatiis, repetemus animo consolationes præteritas, olim nobis haud quidem ex merito concessas, cum iis nunc etiam indigni habeamur; sed gratuita Dei miseratione, vt catellis humi, arrecto aspectu aliquid, vt possunt ab hero petentibus proiiciuntur analectorum aliqua frustula. Delibutos vero liquore cœlestium voluptatum, meminisse oportet, quales nudius tertius squa-

lente velut canicula essemus, futuríque non multo post simus, cum is harum deliciarum inhibuerit fontem, qui vti Iob admonet, *Si continuerit aquas omnia siccabuntur.* Cauendum præterea dum huius dulcedinis expertes, aridi, & afflicti iacemus, ne quid eorum inuertamus, quæ affluentibus animi gaudiis constitueramus; vice versa, his pleno alueo mentem ferentibus, ne quam voti legem nobis imponamus, præsertim difficilem, & immutabilitatis perpetuæ, sed hoc differamus quoad deferbuerit is calor, per quem, aut sumus parum nostri, aut nostrum modulum audendo excedimus; maturius postea, consiliaria ratione, non affectus impetu decreturi. Quamobrem etiam quod consueuerint motus animi vehementes, hominem facere ab se tantoperè diuersum, planéque alterum; nullam dabat promissis fidem, quibus interdum exleges ab eo è Societate excludendi, efflagitabant retineri; nec ab iis coram supplicibus, flentibus, iurantibus, si vnquam in posterum; vllo modo se flecti passus est, illum enim affectum exerentem se in iurata promissa, & lacrymas, torrentem esse quantocyus exsiccandum. Etsi verò induxerit animum, vt eorum nonnullos reciperet, sed nisi post probationes multorum mensium, longa peregrinando itinera, ministeria nosocomiorum, ac demum spontaneas inter nostros pœnas, donec rebus ipsis, operibúsque teneretur constans illorum firmáque mutatio.

Franciscus Costerus adhuc tyro, & admodum iuuenis, erat in risum effusior, quòd nouitiis ferè vsu venit. Offendit hunc aliquando vir sanctus, & quidem secum seorsum ridentem; vocato Francisce, inquit, audio te perpetuo ridere: ad hæc ille demittere oculos, & modestè acerbum aliquid expectare; at ego infert sanctus, ridere fili mi te volo, essèque in domino hilarem, nullam habet religiosus mœrendi causam, multas verò gaudendi; proin iterum hortor, animo sis semper alacri, & læto, ac futurus es profecto, si humilis, & obediens fueris. Hoc autem eò dico quòd in te videor non vulgare ingenium cernere, dotésque magnis olim gerendis non impares, quæ tibi si fortè non credentur, nisi piè humilis fueris, amarè, dolentéque accipies. Victum quoque ac cœlum Romanum, minùs tibi propitium aduerto, & voles fortassis in Belgium mitti; ego verò te in Siciliam destino. Iam si tibi certa vel munera vel loca designaris, fiet non raro, aut alia omnia de te obedientia statuat, ex quo tibi mœrorem, & molestiam creare necessariò oportebit: quare vt semper sis lætus, & hilaris, esto humilis semper, ac semper obediens,] quæ planè magis est communis omnibus, & conuenientissima regula, quàm peculiare vnius monitum; nec sanè minùs prodigium religiosus tristis qui extra Deum nihil ambit; quàm lætus, & gestiens qui alia omnia præter Deum quærit.

Quibus est refractaria & vehemens indoles, ac modi nescia, ne ideircò virtutem desperent, tanquam suprà vires, & ambitus positam, sed ingentes ad domandam naturam spiritus assumant, sciántque vel vnam eiusmodi sui victoriam, præstare plurimis aliorum facinoribus præclaris, obsequentis

&

& imperturbati ingenij beneficio editis, nitente in oppositum nemine: hos vero ad Deum per virtutis aspera progressus, Petri fluctus calcantis incessum videri, vbi quanquam semel timuerit, & mergi cœperit; cœteris tamen qui naui ad Christum veniebant, celeriùs, & glorioſiùs appulit. Præterquam quod solet naturæ acerbitas, & cruda temperies si tandem se fregerit, & pietatis ardore excoxerit, magnorum ad Dei gloriam capax euadere: illam enim elatæ ferociam indolis, virtutis arbitrio, vsuíque commissam nec esse contentam vulgaribus; nec debilitari leuibus, aut remitti. Quapropter Ignatius eiusmodi homines frangendi sui serio cupidos, quanquam turbulenter interdum erumperent; ferebat tamen patientiùs, quàm alios quosdam mitiores minúsve culpandos. Sacerdores duos communi ex causa electionem commeritos cum reprehenderet; alter impatientiam verbis liberioribus effudit; vultum alter in sinum turbidus demisit, & petitione veniæ omissâ, contemptum quem silentio premebat, indiciis prætulit. Sanctus exploratum amborum genium probè callens, retento qui magis reus videbatur, secundum hunc sæculo reddidit.

Nisi sit veritas, caritati comes, & humanitati, iam nec humanitas nec caritas fuerit, sed fraus, & vanitas: quare nunquam tantis aures ditandæ sunt promissis, quin facta valeant ipsis ex æquo respondere; expedit quin imò nihil in crastinum polliceri, quod non possis hodie præstare.

Afflictationes vltroneæ mensura æquali diuidi singulis non possunt, nec ab iis eædem perpetuò teneri, non sumus Domini corporis, sed Deus; huius nobis haud magis reddenda est ratio, deliciis in culpam aliquam emolliti; quàm seueritate nimia eneruati, quanquam id diuini honoris, & meriti nostri gratia, effectum: si aduersus mentem perduellis caro, insultus mouerit insolentes, pœnarum vicissim insolentia dometur, subductis quibus oblectatur, incussis quibus affligitur, donec petulantiâ positâ ad seruitutis officium redigatur. Ast vbi cum mente, induciarum, aut pacis fidem seruat; nósque versus Deum, experimur animum adeò constantem, vt mortem obire millies, quàm semel offensum habere malimus; tunc is modus pœnarum corpori imperandus, qui mentis conatus nec impediat, nec retardet; sed in eius obsequia potiùs, attenuatam carnem faciat expeditiorem: quo monito Franciscum Borgiam, priusquam sæculo exiret, sæuientem in corpus immoderatius repressit. Est tamen inuentu difficilis mensura hæc domandi corporis, quæ in medio sita, vltro citroue non excedat; prærigiastrix enim φιλαυτία, leues corporis castigationes, pro immani pondere repræsentat, & valetudinem vitámque oppressuro: quare aduertit sanctus, non esse sensui credendum, mox vt incipit queri, & tumultuari, nec omnibus statim exonerandum molestiis, sed aliis nihilo minoribus mutandas, dum aut rationis, aut diuinæ lucis effulgeat radius, qui nostris viribus æquam nobis earum mediocritatem definiat.

Homines à brutis ratione secerni dictitabat; ratione frænari non animi tantùm impotentes motus, ne in verba factáve nos agant, ab homine, ra-

tione prædicto aliena; sed pios etiam affectus, ne impetum animi, sed delectum sequantur, in quo ipse prorsus excelluit; nam vsque adeò (quòd aliàs diximus) in manu habuit motus omnes, vt iis ratio,& præiret semper, & moderaretur; vnde facto, dictóque, licèt improuisis, nihil effundebat quòd non multo ante diu cogitatum, & pro grauitate digestum videretur. Piis verò sanctísque impulsibus, nihil indulsit, nisi quòd scopo diuinæ gloriæ, quem sibi præfixerat, & conditioni quàm profitebatur optimè conueniret; calcatis fortiter desideriis esto probis, & sanctis, sed priuato magis, quàm Ordinis Patri opportunis; & sui potiùs vnius, quàm hominum omnium vtilitate ardentibus. Ne verò nostris decernendis contingat decipi, spectanda sunt velut aliena, de quibus nostrum quæratur iudicium; non nostri, sed veri studio, rationísque proferendum. Decretum verò quicquid erit, haberi tamen priùs fixum,atque immobile non debet (etsi omnes exhauserit humanæ prudentiæ regulas) quàm eiusdem examen in luce diuinæ præsentiæ integretur, fundantúrque super eo apud Deum preces: fit enim persæpè, vt prospectus humani, excursus breuis, & turbidus,ea non videat, quæ vel precatio humilis,vel per se splendor æternæ regulæ manifestat,quòd vir sanctus vsu inuiolabili obseruabat; quantumlibet enim ad societatis bonum pertinerent, quæ diuturna secum meditatione, precatione cum Deo contulerat; consultorum tamen de iis sententiam exquirens, sic in partem vtramque sincerè ac frigidè proponebat, vt in quam vergeret, diuinari non posset.

Impugnaturus hominem dæmon, primùm circumspicit qua parte debilior, & qua neglectior, eò machinas admouet, illac impressionem facit. Quò vero natura suopte pondere inclinat, illò ruinam impellit, & cum ea in nos ipsos coniurat animi nostri perturbatione, cui permissum à nobis nostri arbitrium notarit. Vtitur etiam præsenti animi comparatione, vt in extrema nos rapiat, nam cuius viderit conscientiam laxiorem, id aget vt fiat licentior; è contrario si piè timidam, & angustiorem, adstringet hunc meticulosius, vt ille ex leuibus in capitalia deuoluatur; hic officiorum minutiis scrupulosius pendendis, discruciet sese, & perplexæ mentis inquietudine ad insaniam agitatus, denique desperet. Nullum ei tempus ad inuadendum commodius nocturno, maximè subito cum euigilamus, ratione adhuc semisomni, & hostis secura solitudo ad hæc; & nullus præter nos consiliarius; nihil enim dæmon, nisi occultis molitionibus magnoperè promouet, iisque palam factis confusus, vix pugnam sustinet. Aduertendum quoque, labendi metum ab eo nobis interdum eximi, vt securiores in lapsum protrudat; monstrosa interdum terriculamenta pauidis obiici, quo diffidentia virium animis fracti abiiciamus spem omnem repugnandi, & pænè victori manus demus. Tunc verò, vt solent feminæ cum maritis rixantes ignauis, & timidis, efferatur insolentius, & insanit. Eius similiter dolus est, cum ab instituta sanctioris vitæ ratione dimouere aliquem non valet, vt reiiciat illum in pristina deuia, depingere illi condi-

tionis

tionis alterius bonæ quidem, sed à proposito alienæ, piam quandam blandámque speciem; vt eius quærendæ studio, quam ei fingit meliorem, quæsitam deserat, quæ optima erat, eique maximè congrua. Sic iis qui solitudinem adamarint, vitam ostentat sudore nobili, in proximorum salutem exercitam, & Apostolorum exemplo consecratam; vicissim hanc profitentibus, eremi silentia, velut beatæ præludia quietis describit. Aliis pariter in rebus, vt affectum iam opus egregium extorqueat nobis de manibus, maioris alterius desiderio nos vrget, & stimulat, quod vafer præuidet nunquam omnino confectum iri, factu tamen interea pronum, & obuium describit, donec illius cupidine à præsenti nos tandem obduxerit. Ab eo autem quo nos incenderat, vt etiam auocet, artes nouas molitur, nodos nouos, & difficultates, quas ante celarat improbus, ostendit insuperabiles. Postremo Deus extra illa quæ seruat, victoribus dæmonum, æterna præmia, hic interim illos in iis efficit fortiores, in quibus fuerint vehementius impugnati, & beatarum voluptatum vberrimam copiam, confectorum certaminum ærumnosis laboribus reponit.

Vsitatum est dæmoni, foris quàm domi res potius gerere, & quoad valet sanctitatis magnificam speciem, rerumque ad sensum admirabilium, incautis inducere, qua illos in tumorem agat, spectatores illorum in fraudem. Contra Deus interius magis, quàm exterius hominem elaborat, & excolit: solidarum virtutum pretiosa structura animum exornans, & vera sanctimonia locupletans; tametsi nonnunquam præter morem, intimè sibi familiares, & in paucis fidos, tot donis animi cumulat, vt in corpus etiam redundent. Documenti huius occasio fuit, ex familia S. Dominici amicus, narrauerat is viro sancto de moniali eiusdem ordinis prope Bononiam; consueuisse illam abduci à sensibus, vt nec acu puncta, nec igne vstulata sentiret quicquam, dumtaxat vno reuocantis antistitæ præcepto, ad vsum sensuum rediret: prodebat quandoque manuum, & pedum vulnera; hiabat ei latus; caput circumfluebat sanguine, velut spinea transfixum corona. Ex quibus Ignatius laudauit nihil, præter illam parendo celeritatem, ad præsidis suæ iussa, in sensus redire docilem: post religiosi vero amici, discessum, Ribadeneiræ quæ mox retuli dixit. Quam sapienter id, quamque prouidè, docuit ipsa res, paulo enim post tota illa scena sanctitatis mirabiliter personatæ, præstigiis dæmonum concinnata, nudata est, merúsque apparuit mulierculæ deceptæ ludus. Quamobrem istos in diuina raptus, alienationes à corpore, & istiusmodi peregrina nolebat ab suis haberi pro legitima trutina sanctitatis, reprehenditque asperius Martinum à S. Cruce, tunc in pietate, vt in Societate nouitium quod illam in Hispania Famosam Magdalenam à cruce, sanctimoniæ nomine laudaret, quam cum multiplex, & stupenda diuini fauoris videretur ornasse testificatio, deprehensa est tandem malefica, & arcani, atque domestici cum hoste maligno commercij, de cuius histrionia ducebat ludos illos, quibus aucupabatur famam inclitæ sanctitatis, donec tandem comperta, tulit ab

sacro

sacro tribunali condignum impietatis & fraudulentæ supplicium. Huic consequens fuit aliud Ignatij dictum. Oportere esse, *hominem interiorem* pluris que ducere compressionem priuati arbitrij, quam vitam mortuo restitutam. Tanti vero apud illum fuit virtus interior, & quæ lucent exterius ac splendent adeo timuit, vt morem spontaneæ afflictationis palam extra ordinem susceptæ subinde suis abrumperet, tum vt meminissent præstare victimis Obedientiam; tum ne adhuc infirmi inde inaniter se efferrent. Itaque Hispanum adiutorem, operis faciendi, & discruciandi sui mirificè auidum tempus omne maioris ieiunij solò pane, & aqua poscentem exigere; nec ideo quicquam de quotidiano labore remittere, permisit quidem suæ obsequeretur pietati, semper enim Deo intra instituti limites vnumquemque mouenti velificabatur. Quod tamen is frater parem in frangendis animi motibus, vt in coercendo corpore, non poneret curam, ac ne item peracto, tam prolixi ieiunij penso, sentiret de se aut æquo altius, aut de aliis abiectius, iussit illum die veneris sancto, in communi mensa piscibus, cibisque vti communibus. Quo facto, eximiè ad intactum ieiunij, in quo pergere parabat meritum laudem Obedientiæ maiorem adiunxit, & priuati affectus, etiam in bonis proculcationem.

Quibusdam publica acerbè dolere solitis, & querimonias non consolabiles in sæculi sui correctionem mittentibus auctor erat, vt eas in se vtilius verterent, quas frustra in aliis conferebant, & hoc illis videndum præscribebat, quorum esset in supremo iudicio repetenda ex iis ratio; parandam de iis satisfactionem, vt quæ propriè nostra sint, non autem aliena quæ sunt extra fines nostri officij posita. Pulchre autem in hanc rem aiebat, cui foret propositum, vel pro potestate, vel pro religione officij, mundum emendare, huic à seipso ducenda esse initia; tum ad familiam propriam; post ad ciuitatem cæterarum primariam veniendum sic processurum feliciter, quod aliàs frustra tentaretur.

Quem tenet labor alienæ salutis occupatum, efficacius semper modestia humilis quam auctoritas iuuerit, vincétque cedendo potentius, quam pugnando. Cum cœpit Romæ docere Societas adfuere quamprimum aliqui externarum scholarum præceptores, quos discipulorum dilabens numerus, & quod consequens erat, stipendiorum, proritabat; indignari ergo, furere, conuitiis nostros fœdè impudentérque incessere, sed modesto ad hæc eorum silentio confusi abierunt. Quod aliis quoque in vrbibus cum credibile esset euenturum, dedit quaquà versum Epistolas vir sanctus, vetans quicquam eiusmodi hominibus nisi humile responderi. Ignorantiam (quod primum obiectabant) si ipsi exprobrarent, de illa ne conteideretur, nec iis deferretur doctrinæ perielitatio; sed hoc tantummodo placidè iis satisfieret, esse nos probè scientiæ nostræ sat modicæ conscios; id exiguum quod sciremus, libenter aliis tradere qui nescirent. Addebat insuper magna felicius ex humilibus assurgere, vtpote solo fundata idoneo. Vnde illud eius Lainio, & Salmeroni præscriptum egregium, Tridenti non ante in synodi

conspectum

conspectum venirent, quàm elementa fidei Christianæ pueros docuissent, & nosocomiis famularem operam nauassent. Iam quosdam homines ardore quam prudentia maiori, qui vt boni aliquid facerent plus mali decuplo conficiebant, qui non verebantur cum præsidibus litigare, & cum aliis dissidia serere, ex quo plus iacturæ quam lucri; offensionis quam exempli, hos inquam aiebat ædificatè altera manu, destruere altera, atque vt vnum lapidem ponerent, aliorum centum quatere commissuras. Sic inter alios Adrianum Adriani vehementissimè improbauit, cuius in adiungendis Societati adolescentibus duobus feruida præcipitatio, Louanienses omnes linguis, & odiis in Societatem armauerat: vt autem cuique censebat vel vnum boni securi gradum, anteponi sexcentis debere, salutis periculo quærendis; haud secus in aliis iuuandis, boni aliquid non magni, sed exemplo bono, & sedato factum, præstare bonis quibuslibet maioribus, sed offensionum, turbarumque causas præbituris. Vnde quibus locis Episcopi, auersum ab Societate gerebant animum, illic patribus nostris, vsum prærogatiui iuris à Pontifice indulti, vel adimebat, vel arctabat; ne si iusto maiora tentassent, turbarum fierent auctores, malens pauca tuto, & placidè ab iis fieri, quàm tumultuosè, & ambiguo successu quamplurima.

Qui religiosi Ordinis homines ad procurationem diuini obsequij adhibent, cum detrimento communis illorum regulæ; arborem perdunt, vt fructum decerpant. Quæ fuit ratio cur Duci Ferrariæ, quamquam Societatis peramanti, valdéque in eam benefico, non potuerit assentiri, cum vnum ex Patribus optaret principi filio præceptorem, sed extra Collegium in aula victurum. Illos item qui Collegia regebant, vetuit sese præsulibus commodare, si ab Collegiis eorum longinquitas, videretur disciplinæ domesticæ aliquid obfutura; & hac potissimum de causa Quæsitorum sacrorum officium defugit, quod Societati deferebatur in Lusitania, damni scilicet timore, quod Societati nimis pronum erat ingruere, si ea susciperet munera quorum administri ab iure obedientiæ, iure eximio immunes fierent, & ab Rectorum imperio soluti.

Trahendis priuata consuetudine ad Deum hominibus, nihil æquè conducere putabat, vt *omnibus omnia fieri*, seque ad ingenium cuiusque conditionem, & habitum prudenter fingere; sic futurum (quod ante adnotaui) vt illorum esset, noster initio cum iis congressus; illorum vero à nobis digressus, noster, & Dei esset: susceptis enim eorum affectibus, & rationibus, transformatóque in eorum genium animo; leni flexu ad salutis negotia veniri, gradu facto per ea quæ sermoni prius materiam dederant. Sic illos suopte pondere, pæne absque sensu induere sese, in solida, & sancta consilia. Qua industria vir sanctus, conuersiones fecit admirandas: in quibus illa meritò censetur, quam dum Lutetiæ daret operam literis peregit, ea in hunc modum confecta est. Occurrit illi per vrbem homo præteriens, ab cultu, & corpore malè habitus, suspiriis, gemitu, pallore, desperationem vndique præferens, quam & Ignatio Deus aperuit; quare

ad socium, perge ait, & hunc assectare; quicquid autem illum parare videris, finge te id quoque animo destinasse; adero interim, & meas partes agam. Abit comes, & desperabundum extra vrbem eò consequitur, vbi semotus ab arbitris mortem sibi violentam decreuerat. Hic versis in eum oculis, anxio & ipse similis, & suas ærumnas lamentabiliter dolenti, quærit ex eo quis? qua causa suspiret? cur eum locum captet? vt vitam, inquit, crudelem abrumpam, & semel moriens longum mori absoluam, quo per gradus malorum perpetuos, peius quotidie pereo, impar deinceps tot infortuniis, nulla spe vllius remedij perferendis: & hoc, subdit comes me item diseruciat, vitæ infelicitas quam traho miser, & calamitatibus afflictus, mortémque continuo in solatium quod vnum supereſt, inclamans, & captans, velut vnum tot aduersorum præmium. His alter iam confidentior, dolori exitum laxare, ac suas retexere, & exaggerare miserias quibus adigeretur ad laqueum; cum superueniens Ignatius, quasi aliquid habens illic negotij, contuitúsque quem præmiserat socium, tristem, obrutum malis, & desperati mœroris inditia toto ore adumbrantem; quid rei sit ex eo interrogat: ille hominem graphicè exhibens, certum manu propria interire, alterius clades, & ærumnas, vt si suæ forent Ignatio narrare, easque proferre perdendi sui causas, quas solent extra se positi qui dolent. Tunc vero Ignatius paulatim verbis lenibus solari, dehortari à cœpto, magno affectu intimæ caritatis, docere atque peruincere, quàm esset improuidum, ac stultum breuissimi doloris impatientia, vitam proiicere, quasi nihil præterea passuram mali; cum è contrario inde esset pœnas initura cruciatuum æternorum. Ad hæc catus socius sensim manus dare, cæcitatem fateri, veniam à Deo poscere, versúsque ad verè desperantem, quem obliquè petebat Ignatius ex eo quærere, quid ei videretur? sibi quidem videri hunc hominem recta suadere, & credi missum diuinitùs ad amborum salutem; addere etiam de suo quæ ad restituendum integrè miserum succurrebant. Et processit prorsus ex animo fabula, suæque infelix dementiæ conscius, & compos, cœpit Deo confisus sperare meliora, rediítque in vrbem, constanti proposito tolerantiæ munitus, ad exigendas vitæ huius ærumnas clementiùs.

Agendi cum feminis, alioqui piis, familiaritas nimia ignem ferè, vel vrentem creat, vel fumum denigrantem. Patri cuidam cum extra socij conspectum ægrotam mulierem audisset confitentem, valuit ad defensionem aliquam quod esset senex verè sanctus, luit tamen exempli noxam publica flagellatione, psalmorum septem recitationi adæquata. Ne apud Indos quidem, vbi tanta paucitas nostrorum, passus est nostros absque sociis ire. Laudauit etiam in nostris senibus munditiem quandam, modestam & grauem, compositi scilicet ornatíque animi indicem: contra iuuenes probabat exteriorem cultum neglectui ducere, placendíque esse incurios, haud quidem in eo sordidum, aut incompositum aliquid desiderans, sed affectatam diligentiam reprehendens, quæ mollius quiddam, & delicatius saperet. Nouitium igitur cum audiret, singulari extra morem cura, sapone manus expolire,

polire, sedulo in eum intendit oculos, vt sciret simplici, & innato nitoris studio, an periculosa placendi vanitate id ageret.

Dei causa ab Deo secedere; seu contemplandi assiduitatem, conuertendorum hominum occasionibus posthabere, iactura est quæstuosissima. Nam præter meritum operæ, cuius pretium, animæ lucrum est, vbi postea nosmet ad Deum recipimus, multo se in nos effundit largius, quàm si intepescendi metu, solitarij semper nobiscum egissemus; vocabátque hunc, influxus mutui circulum, quo nos Dei amore precando inflammatos, emittit caritas, vt eodem alios incendamus igne; & hæc vice versa institutio illorum, qui erant diuinorum rudes, eorúmque ad Deum conuersio facit nos Deo cariores, aptioréisque donis eius precatione obtinendis, tametsi quoque nihil obesset quo minus semper in Deum intenti, prodiremus ad opem aliis ferendam; præstat enim hoc vsus diuinæ præsentiæ, qui Deum vbique in omnibus, & videt præsentem, & diligit.

Qui passim cum hominibus versatur vt eos Deo subiiciat, *in medio nationis prauæ* versari se statuat, valebit hæc illi persuasio ad præuertenda fastidia sordium, quibus vt plurimum inquinantur; vtpote meditato, non ad aurum tractandum, sed lutum veniisse; acuet etiam in sui custodia eius curam, ne in se admittat lepram, & scabiem, quibus illos satagit defricare. Profitebatur nihilominus sibi satis integrum non fore, cum aliquo ex Societate, qui lethali teneretur culpa, noctem vnam sub eodem tecto exigere.

Ne cuiusquam factum criminis damnaremus, spectandam aiebat eius mentem, quæ esset sæpius proba, & innocens, licet facti species culparetur; vbi vero scelus nimium euidens, bona mente prætexi non liceret, excusandam esse tentationis violentiam, cui aut peius, aut pariter cessuri fuissemus; eius tamen fuit acuminis in rebus passim manifestè prauis, bona mente, & probo reorum consilio eleuandis, vt domi in prouerbium abirent, *Interpretationes Ignatij.*

In cœtu sanctorum hominum nequit sceleratus diu consistere, tùm quod sibi vim infert perpetuam, arte coacta simulandi se esse quod non est; tùm quod hunc Deus non diu sustinet. Fuit Romæ frater ex quo frugis non bonæ indicia prodibant, exposuit illa Manareus Ignatio, quærens essetne sacra Eucharistia arcendus, ne abuteretur illa sacrilegè. Minimè vero, inquit, Ignatius, ne ad hoc vsque procedatur, rem Deo permittito, hac ipsa via reum is deteget: & detexit planè, fuítque illi diuina hostia quod Iudæ panis à Christo acceptus, paulo enim post personam deposuit, eiectúsque est è Societate.

Non mutat mores cœli mutatio, & seipsum secum circumferens improbus, vix erit hic quam alibi melior. Quamobrem inquietos, & disciplinæ indociles, spe aliqua emendationis haudquaquam Collegiis mouebat, vt qui essent: vbique aduersantes sibi, & turbandi sui, idcirco materiam nacturi quod eundem vbique religiosæ disciplinæ neruum vigere oporteret.

Aiebat sibi vtilem soli, non esse idoneum ad Societatem, quam instituti ratio, saluti alienæ haud minus obstringeret, quàm suæ. Igitur aliquem perspectæ inutilitatis è Societate dimissurus, nihil mouebatur ab iis, qui dicerent saltem illum in Societate saluum fore; nec esse quæstum vnius animæ spernendum; erat enim hæc eius responsio, ad hoc illi alios ordines in promptu esse, in eum finem institutos. Magni attamen fecit, summéque vtiles censuit viros eximia virtute, sed tenui ad iuuandos homines doctrina, illos enim exemplo concionari eloquenter, & vel sui aspectu persuadere probitatem, etiam nonnunquam validiùs, quàm qui essent dicendi præsidiis optimè instructi.

Qui præest Rectoribus, vel potestatis suæ administris, imprudenter agit, si transfert in se illorum curas, iisque vtitur solum, ad ea in opus conferenda quæ ipse mandarit. Primum quia Deus peculiari ope vnicuique adest, vt concrediti muneris, partes optimè impleat. 2. deinde qui videt sibi præpositum, aratrum & falcem in omnia mittere, omnia illi tacitè remittit; nec ad illa eam industriam, & affectum affert optati euentus, qui potest & solet afferri cum res velut propriæ aguntur. 3. Tertiò quia experientia muneris, multo vsu, tractantem multa docuerit, quæ nequit qui præest de suo cerebro hausisse 4. Quarto loco, multa intercidunt, quorum pendet ex singularibus adiunctis deliberatio, quæ certè qui res per se non tractat, non potest cognoscere. 5. Præstat denique, ministrorum si quà errauerint, emendationem seruare sibi præpositos, quàm si à ministris ipsos necesse sit postmodum corrigi, legémque ab iis accipere velut eorum, quæ iubent imperitos.

Sæpius quidem sancti, sed minus prudentes, res magnas rectius ad felicem exitum perducunt, quam prudentiores, verum minus sancti. Nam cum decernendo, Deum adhibeant consiliarium, eiusque toti fiducia nitantur, vias illis ad conficienda negotia aperit, & eorum conatus fortunat. Vt plurimum tamen regendis aliis manca est, & mutila sanctitas si sola fuerit, magno enim præterea iudicio, magna prudentia opus est. Alioqui totius gubernationis administratio transfertur in alios, qui agnoscuntur necessarij ad præuertendos imprudentiæ lapsus, quos solitaria sanctitas ferè non valet deuitare.

Tironum virtuti, maximè iuniorum, periculosa negotia perperam creduntur; nam & ætas in iis ad bonum, & malum facilis; & nouitia pietas, instar gemmarũ est in plantis, quæ primo vere, se lætæ ac celeres proferunt, sed fluxæ adeo, vt pæne contactu exarescant. Ab iis quidem sanctus experimenta illa seuerè exigebat, quæ constitutionibus indicuntur; nam Societatem inituris, non debet, vt minimum, virtutis solidæ deesse is gradus, qui prorsus ad hoc necessarius. Verum in aliud periculosius certamen illos non mittebat, veritus ne nondum satis firmo pede consisterent. Vnde per parentum impugnationes constanter deuictas, adscriptos in tyrocinium, procul ab iis semouebat, etiam extra Italiam. Inde illa quoque suauitas, & miseratio

miseratio, cum hominum suasu, aut dæmonum impellerentur ad deserendam stationem; illa item in eos asperitas à quibus aliquid inconsultè, iis in hoc genere, offendiculi poneretur. Patrem enim quendam, & arguit, & castigauit seuerius, quod piis de rebus cum nouitio colloquens, exempla proferret alieni ab nostros instituti, velut, inquit, deessent domestica, & magnæ virtutis homines in Societate, qui possent produci, absque periculo tironis à proposito suo commouendi, asficiendique ad aliud.

Non potest religiosa familia, quæ aliunde non victitat nisi quotidiana stipe, primigenium institutum diu retinere, si asperitatem vitæ, cultu austero nec præferat, nec suam iuuandis aliis operam impendat. Quod eius ad quosdam monitum, vt docet optima ratio, ita res ipsa confirmauit. Mouentur enim ad religiosos piis alendos subsidiis Christiani, vel vtilitate animorum quam ex iis percipiunt; vel reuerentia sanctitatis quam iis conciliat austeri cultus, & habitus religiosus horror, summæque asperitatis opinio. Imò & de illo quem, vt libro secundo memini, Hieronymus Natalis initio hæsitans consuluit, Antonio Maioricensi eremita, quod prædixerat Ignatius euenit; Romam enim peregrinatus est anno 1546. suisque cum Ignatio prolixè pertractatis, illum miratus est, haud tamen pariter ab eo probatus; quod pondus in se suscepisset asperitatis tantæ, cui perferendæ nunquam esset futurus. Igitur Natali interroganti, ecquid illo denique visum esset? Respondit non abiturum triennium, quin solitudini, & voluntariis pœnis, valediceret eremita. Cuius responsi prudentiam ratam fecit illa mutatio, ratione illi & experientia præmonstrata, quibus vti tunc in rebus diuinis pro certa regula poterat. Nam cui non adest id robur animi, ac virtutis, vt dilabente corpore sustentare se fortiter valeat innixus corpori animus; is immodica, & cruda sui ipsius afflictatione attritus, & confectus, cogitur eam deserere; cum valetudine per eam amissa, ineptus euadit ad teneritates illas dulcium sensuum fruendas, quibus inter orandum mergebatur, & quas habent pro sanctimoniæ medulla, qui nihil præterea in ea grandius, excelsiúsque norunt suspicere. Sed hæc de Ignatij effatis prudentibus, & sapientia cœlesti sufficiant.

XXXVIII. *Sepultura Ignatij & in ea miraculum.*

Vulgata statim viri sancti morte, tanta mox confluxit veneratura sanctum corpus, omnis generis multitudo, vt vnus ex Cardinalibus ægrè totis suorum viribus turbam perruperit, osculaturus eius manus, & earum attactu consecraturus precatoriam coronam. In templo vero postquam publicè collocatus testatur Fabritius de Maximis nobilis Romanus, se tunc iuuenem, vt erat, & robustum, nullis conatibus per confertam multitudinem valuisse penetrare ad sacrum cadauer; quod propterea validis defendendum fuit repagulis, ne pietas populi vestes illic carnésque detraheret, cum alia quæ eius fuerant, iam sibi vi quadam extorta abstulissent viri authoritatis præcipuæ. Postquam biduo inhumatum seruari placuisset, Augusti primo post vesperum ligneo inclusum sarcophago, in Societatis templo conditum est quod S. Mariæ de via dicebatur, in sacello maiori, & Euangelij

ad latus. Inter hæc Romana mulier Bernardina, vxor Andreæ Neruecij Pisani, interfuerat concioni quam de beati vita, & meritis Benedictus Palmius habuit, duxerat secum annorum quatuordecim filiam strumis fœdum in modum deformatam, & ab quatuor medicis qui frustra illam, quinquennio amplius, curarant pro insanabili destitutam. Sensit mox dicente Palmio, magna se confidentia animari, exorandæ pro filia intercessore Ignatio sanitatis, cum antè iam deliberasset de illa in Galliam deducenda, vt regis Christianissimi solemni attactu curaretur. Sed cum in cassum tentasset omnia, vt filiam suam ad sacri cadaueris contactum applicaret, priusquam sepulchro clauderetur, spe tamen erecta patribus supplicat ne grauentur aliquas beati reliquias ægrotæ filiæ applicare. Fecit id P. Cornelius Vischauenus, panniculum admouet quo vsus erat Ignatius, cum repente multorum in oculis vlcera obducuntur, sanatur puella, mater incredibili gaudio gestiens domum redit.

XXXIX. *Translationes corporis S. Ignatij, & quæ in iis contigere.*

Quieuit in eo sacello sacrum corpus, dum anno 1568. dandus fuit fundamentis locus, quæ ædificando domus professæ templo pandebantur; tunc vero Iulij 31. aliam in partem veteris templi translatum est, à Francisco Borgia Societati Præposito. Romæ per id tempus agebat Iulius Mancinellus magnus in paucis Dei seruus, & crebris ab eo supra humanam consuetudinem, priuilegiis auctus: is translationis designatæ, omnino inscius, pridiè quàm ea fieret audire sub noctem musicorum concentus Dei laudes canentium cœpit, suauitate vocum, & simphoniæ tanta, vt se inter beatos versari crederet, & perfunderetur iucunditate mirabili pietatis. Noctem totam tenuere hi cantus, nec illos postridie audire desiit, donec translatum viri sancti cadauer suo deponeretur loco: agnouit autem tunc, fuisse festis beatorum quoque lætitiis celebratum. Templo domus professæ, cui nomen Iesus, Alexandri Farnesij Cardinalis regali magnificentia absoluto, easdem reliquias in illud retulit Claudius Aquauiua Præpositus 19. Nouemb. anno 1587. in conuentu Patrum, qui procuratores ex omnibus Societatis Prouinciis tunc Romæ aderant, & sub dextrum latus aræ maioris lapide condidit, breui hac Epigraphe insculpto. *Ignatio Societatis Iesu Fundatori.* Quæ quidem translatio altera, miro est ornata spectaculo; nam cum in Sacrario prope quod effossa fuerant, beata ossa interquiescerent, confluerentque interea multi ex Patribus ad eorum venerationem, videre illa quidam stellulis vndique conspersa splendore viuido, & magnitudine aureos totidem assimilantibus.

Et planè videbatur Deus Ignatij filiis animos subdere ad venerationem tanti Patris, priuatis augustiorem affectibus, qui licet arderent magnoperè, sed inhibebant se arctius, ab omni indicio, quod cultum publicum oleret; idque tum summæ modestiæ, tum quadam illorum temporum ratione: imò tantum abest, eius cultum re vlla nostri promouerent; vt nec pietati alienæ argumentum vllum venerationis ad eius sepulchrum permitterent, contigitque, vt vno, & eodem die appensas illic ab homine, voti concepti reo,

reo, lucernas septem, amouerent. Sed Præpositi Aquauiuæ duriorem hac in re modestiam, fregit propensus Bellarmini, & Baronij erga B. Ignatium animus, cum in Sacro Collegio auctoritate præcipua eminerent. Anno enim supra sesquimillesimum nonagesimo nono, sibi vltro depoſcit Bellarminus, vt ad sepulchrum Ignatij nouos in se ac nostris in communem parentem affectus, priuata moueret allocutione. Imminebat anniuersarius eius obitus dies; & Cardinalis Baronius rem edoctus adesse decreuerat, vt eius viri memoriam, ac merita coleret, quem patri suo S. Philippo Nerio, & olim superstitem, & defunctum; semper honoratum, semper sanctum fuisse didicerat. Fructum tulit panegyris argumento, & dicenti parem, Ignatij virtus, & merita, ex singulis probata capitibus, quibus debet perfecta sanctitas constare; atque vt erat sacrorum rituum mirè intelligens, ex probatis confecit, nihil ei deesse, vt in album sanctorum referretur. Quibus omnium mentes cum vehementer commouisset, tum Baronij præsertim, qui ad sancti sepulchrum prouolutus, post precationem bene longam, multis osculis humum pressit quæ ossa illius contegebat. Surgens inde, & ad Patres conuersus; auditor, inquit veneram, non orator, sed egit in me Bellarmini oratio, quod aquæ fluuiorum quæ pistrinenses molas circumagunt quantumuis per se graues, & immotas; aliisque in laudem Ignatij præclarè additis, interrogauit cur eius tabulam nondum sepulchro appendissent, & benignè carpens quod timidiùs modesti, viderentur de illo sentire humilius, & in illum parcius affici; afferri tabulam ad se iussit, scalísque conscensis, eam suis ipsemet manibus sepulchro affixit, vnáque hinc inde anathemata, quæ piorum liberalitas ante obtulerat. Post quæ denuò proiectus in genua preces fudit, simúlque Bellarminus, idemque cum iis Patres omnes, manantibus præ gaudio lacrymis præstitere. Nacta hunc aditum populi pietas, eo in dies euasit auctior, quo non Romæ solum, sed orbe toto magnis eam diuina bonitas incendebat miraculis interceſſore Ignatio patratis. Quibus permotus Paulus V. Pontifex maximus anno 1605. probauit de vita, & miraculis serui Dei Ignatij legitimè inquiri, & cognitionem iuridicam instrui: his ritè denique peractis, rogatu summorum totius ferme Europæ Principum; votis item supplicibus Aragoniæ, Valentiæ, Castellæ ac Toleti Regnorũ, & Catalanẽsis principatus, anno Christi 1609. de more Beatum pronuntiauit Ignatium, missáque & officio coli eius memoriã concessit. Verum ad summos sanctorum honores solemni ritu ei decernendos, quam densa miracula, quot regum ac principum supplicationes concurrerint, ex Nicolao Zambeccario Pontificij confessus patrono quàm ex me gratius legetur. Hic in eo concessu coram Gregorio XV. orationem ad eum supplicem de adscribendo sanctis Ignatio sic clausit. [Hæc inquam omnia effecere, vt de eiusdem honoribus, qui sanctis viris exhibentur, ab hac sancta sede impetrandis tantoperè laborauerint non modò ciuitates, ac populi qui perennibus Ignatij perfruuntur beneficiis; sed missis supplicibus litteris iam tum ad Clementem octauum Catholici Hispaniarum Reges, Philippus secundus,

cundus, ac tertius; Sigismundus Poloniæ Rex, Maria imperatrix; Margarita regina Hispaniarum; aliique principes, ac sacrorum Antistites id postulauerint: idemque à Paulo V. iidem principes, quibus Christianissimi regis Henrici quarti postulatum accessit, enixè repetierint. A te verò Beatissimè Pater vbi primum ad Apostolatus fastigium, totius Christianæ Reipublicæ gratulatione euectus es, nosti quo ardore Ludouicus tertius decimus Galliæ Rex Christianissimus efflagitauerit, vt in sanctorum numerum referas eum, quem adoptatum esse à se patronum ad regnum suum ab hæresi purgandum, testatur, in litteris ad te tanta efficacitate conscriptis, vt affirmare non dubitet fauores, ac beneficia quamuis magna, quæ à liberalitate tua susceptus est, non tanti apud se futura, quanti hoc vnum Ignatij decus merito existimabit. Cuius tu flagrantissimis, ac sæpè iteratis precibus benignè annuens confectam iam huiusce causæ relationem delectis Patribus ex hoc amplissimo Senatu commisisti. Accessere sub idem tempus, & Maximiliani vtriusque Bauariæ ducis; & Ferdinandi Imperatoris litteræ, tanto studio, votisque idem contendentium, vt alter hoc vnum pro suis in Pragensi bello laboribus præmium ab Apostolicâ sede postularet; Alter ad Germaniæ præsidium, ornamentúmque pertinere diceret; si inter sanctos coleretur is, cuius tum vita, tum ordo ad defensionem Germaniæ à Deo electus sit, &c.]

Hæc coram Pontificè aduocatus. Horum ergo excellentia meritorum, & tantarum pondere intercessionum permotus Gregorius XV. (Cuius propterea æternam memoriam colet Societas) anno 1622. 12. Martij quiS. Gregorio Magno celebritate anniuersaria sacer est, communi totius Ecclesiæ adplausu, eum more solemni retulit inter sanctos, eique sanctorum honores decreuit. Qui vero Gregorio successit Vrbanus VIII. Ad inserendum Romano Martyrologio eius nomen, ac diem, inter alia quæ proponebantur elogia, hoc legit planè argumenti dignum maiestate, & vero etiam ex parte composuit. *Die Iulij XXXI. Romæ Natalis S. Ignatij Confessoris, Societatis Iesu Fundatoris, sanctitate, ac miraculis illustris, & in propaganda orbe toto religione Catholica ardentissimi.*

LIBER

LIBER QVINTVS

LIBRI SYNOPSIS.

Centum miracula ab Sancto Ignatio, adhuc superstite; post in cœlis Beato, edita.

SVPERSVNT mihi hoc Libro narranda miracula, delectu præcipuo è multis deprompta, quibus Deo placitum indicare, quàm esset apud se gratiosa, & potens S. Ignatij interceſſio. Quanquam si foret ex suis miraculis vir tantus suo pretio æstimandus, omnium instar esse posset, quod gestis eius attentè perlectis magnus Dei seruus Ludou. Granatensis in hæc verba expressit. [Quod enim miraculum maius quam lectum à Deo militem, illiteratum, passimque hominibus inuisum, ad fundandum Ordinem tantorum feracem bonorum, ac tam breui, tam latè, vbique gentium diffusum?] Quod idem videtur postea à Cardinali Vbaldino dictum cum apud Gregorium XV. de S. Ignatio ageret in album sanctorum cooptando. *Quotquot sunt vbique terrarum Societatis Iesu, in hanc sanctam, & Catholicam religionem egregia merita, tot profecto habemus B. Ignatij Loyolæ miracula, tot argumenta sanctitatis.* Sed præter hæc, paucis iusto examine librari solita, multa sunt alia quibus Ignatij sanctitas glorioſam famam quam promerebatur illustrauit. Etsi enim viuens Deo supplicasset, ne sui gratia miracula ederentur quæ sibi facerent sancti nomen; etsi Ribadeneira, primis de illo scriptis tradidisset, occultis à Deo virtutum opibus, quam exteriori mirabilitate factum esse locupletiorem: at compertum habetur, agnouítque id tandem Ribadeneira, Ignatium dum in viuis esset miracula parrasse nec pauca, neque vulgaria. Quale est, excitatus in vitam mortuus; aridum brachium fœminæ restitutũ, homini manus quam ignis perdiderat; tabidæ sanitas, cuius planè nulla spes iam erat; arreptitius à dæmone liberatus; à comitiali morbo epilepticus; ab tormínibus stomachi alius; à Febri pestifera, & lethali complures. Romæ tempore eodem & Coloniæ conspici, spectari vultu circum radiante tùm alias, tum Romæ Alexandro Petronio medico suo, & amicissimo, quem officij gratiâ ægrotantem visens Ignatius diuina illa specie valetudini reddidit; videri non raro quatuor, & quinque cubitis ab terra sublimem; exili voce, ac debili loquentem, audiri tam

Miracula & vaticinia Ignatij inter homines agenti.

procul quàm posset vox stentoris perferri; introspicere arcana pectoris; metus eximere, & tentationes, spectráque dæmonum dissipare (quod Ribadeneiræ, Pontano, Manareo, Balduino ab Angelo, & aliis præstitit) nosse absentia longéque dissita; vt fugam vnius ex nouem sociis, obitum amicorum trium, Hozij, Codurij, Agnetis Pasqualiæ; vaticinari quæ essent futura; Petro Quadrio, & Michaëli Rodesio quid essent facturi pro Societate, multis inde annis fundanda; Ioanni Pasqualio, Michaëli Zarroiuræ iurisperito, Martino Helartio, & Francisco Dalmauo, vitæ cursum quem essent habituri minutim describere; Rodericio, Ribadeneiræ, Baroclo, & Ferrio, sanitatem, à medicis licet depositam spondere; Francisco Borgiæ ingressum in Societatem, eidem, & Lainio successuros sibi in Præpositi munere; sua Romano, Germanico, Neapolitano, & Toletano Collegiis incrementa, & progressus; Societati labores sub vno Pontifice vorandos; Toleti mutationem Archiepiscopi, vehementer à nobis auersi, in alium, alterum tantum beneuolum, quæ prædictiones numero quatuor & viginti notatæ sunt. Porro hæc mira, ex parte serius quàm quis forte optasset in publicum missa, non debent aut veteres qui ea tenuerunt negligentiæ suspectos facere, aut credulitatis nimiæ scriptores nouos qui ea retulerunt, nec enim prius proferri sat tuto poterant, quam iuratis, & publicis auctoritatibus constarent, ex quibus illi delatum est nomen, & honos Beati. Ab obitu autem viri sancti, tot eo in preces, & opem vocato Deus miracula exhibuit, vt vel ea tantum quæ iuridicis probationibus asserta sunt ad centenarium numerum pertingant. Quæ vero hic pono, præter pauca olim in typos data, deprompsi ex Pontificio diplomate, relationibus Rom. Rotæ cognitorum, actisque legitimis, ad sanctorum cultum ei tribuendum confectis; ex singularibus denique variorum locorum tabulis in probationem eorum iuridicè scriptis: in quibus placuit varietatem potius placituram spectare, quam rerum, locorum, aut temporum Ordinem.

I. *Hemina prope Albengam, viso mirabili, & ope Ignatij aquis erepta.*

Iuerat Maria Nateria, anno 1618. die altero Pentecostes Loano Arasium veneratura B. Virginē à Carmelo: distant ab se ij pagi duodecimo milliari, & Genuensium fluuio imminent, redeuntis iter, tempestas imbrium noctem vnam & diem perpetua occlusit; resumit illud die Mercurij, littus maris legendo, quòd terra interior altiori luto tunc esset inuia: præcedebat matrem quæ vnâ venerat, passibus fere quinque, & viginti, cum nihil minus aduertens in alueum subit torrentis Antognani, tunc magno impetu in mare præcipitis: vociferatur à tergo mater discrimen conspicata, sed monentis vocem maris strepitus extinguit; infelix filia fluento rapido intercepta, gressum ad matrem referre nisa est, sed supplantatâ mox aquæ impetu fugâ deiicitur, & in mare abripitur: hic morituram in oculis filiam, & frustra contuens, & gemens mater, B. Virginem à Carmelo inuocat, quod facit etiam filia cum fundo iam tertium emersa aquis supernatasset mortem vicinam operiens. Erat hæc Virgo, Deiparæ cultui mirificè addicta, tantùm scire optasset sua obsequia Deiparæ grata accidere, ita vt pridiè confessario

confessario dicere ausa sit, incitati magis affectus impetu quam arrogantia non videri sibi ab Dei matre tantopere diligi, & foueri, quantum ipsa suis apud illam obsequiis esset promerita, in quo quàm longè à vero abesset, Deipara in præsens ostendit. Vix poposcerat ab ea auxilium, cum cœpit aquis innatare vultu in cœlum verso, distentis brachiis, pedibus ita iunctis, vt si forent arctè colligati, eoque situ, nulla vi, sed vltro quicquid hauserat maris reuomuit. Pergebat interea Deiparam vrgens, & quòd altius in mare, videret se rapi, & quòd morderent tunc animum quæ de suis in eam meritis dixisse meminerat; rata se pœnam eorum luere: vocabat & alios in opem beatos quotquot in mentem succurrissent, inter quos sensit magna se S. Ignatij fiducia erigi, quòd fratres duos haberet in Societate, & ante sex dies per somnum vidisset à B. Virgine de Carmelo, & ab S. Ignatio, se in mare prolapsam, ad terram subduci, quod quanquam illi tunc non aliud visum quàm imago somni; sed impressit versus Ignatium mentem pia confidentia imbutam. Quare hanc illi nunc precationem concepit, O beate Ignati! serua me, scis enim me fratres in tuo Ordine habere duos; dixerat, eratque intra mare mille passus proiecta, cum repente illi ex mente, & oculis, mare, terra, mundus, adeóque præsens periculum vanuit, totámque hanc sibi, visi pulcherrimi species abstulit. Videbatur sibi candidissima nube cingi vsque ab cœlo circumfusa, & lucem complexa longè gratissimam, qualis est, aiebat, solis proximè orituri, quàm benignè ferebat oculus etsi multo vehementiorem: theatrum exhibebat ea nubes, stantibus Angelis confertum, eleganti forma, splendore tam acuto, vt conniuerent ad eum oculi. In his duo hinc inde, quorum alter vestem fusci castanei, alter maximè candidam tenebat, agnouítque in iis Carmelitarum habitum, quem multos iam annos ex voto gestauerat. Sub hæc videndi vim sibi addi persensit, vt qua erat lux maior, & densior, in nubis excelsissima eam intenderet; illic sed longis semotam spatiis conspicatur matronam, forma mirabili, cuius è sinu lucis tam viuidæ manabat flumen, vt ab aspectu oculos arceret. Orat ergo S. Ignatium eos corroboret, ad contuendam spectaculi tanti præstantiam; cum ecce tibi de repente in editiori supráque Angelos comparet Ignatius, apertis brachiis, ardenti vultu, conspectu hilari, eamque paulisper silendo contuitus, delabitur propius, sic vt commodè posset oris lineamenta discernere. Hic autem Deipara, porrecta manu, monstrare illi Ignatium digito, velut indicans esse quem inuocauerat, & iubens se illi commendare. At ipsa nouo dolore icta, vocémque attollens. Ignosce ô Beate Ignati! nunc enim memini, sanctitatem tuam laudantibus obstitisse sæpe incredulam, & exprobrasse fratri meo Antonio ingressum Ordinis, cuius Fundator, Sancti nomen ab Ecclesia non obtinuisset. Agnosce igitur, infert Deipara sanctum esse, & ex iis quos subsidio aduocasti; vnum aduenisse, téque illius gratia seruandam. Quam quidem salutem animæ, puella interpretabatur, aliud quodlibet periculum oblita, & pro illa Ignatium instanter precaba-

tur; qui tametsi fileret perpetuo, sed aspectus, & oris explicata serenitas, & arrisus quidam, mirificè illam solabatur. Horas quatuor iam totas extra se positam hæc detinebant spectacula, quæ, vt se recepit, breuem se morulam putasse asseruit. Mater interea, filiæ mortem in momenta expectans, circumcursabat eiulans, & implorans misericordem alicuius manum, quæ opitularetur pereunti. Promisit operam peritissimus è vicinia natator, & suam Deiparæ salutem commendans, mari, sed magno cum labore nam intumuerat, nec minori alea, se dedit, natandóque perlatus, puellam brachio prehendit; cui tunc viso penitus dilabente, rediit maris, & periculi conspectus idem, & horror qui ante fuerat, auctúsque accessu natatoris, quem esse dæmonem, vel inde certius coniecit, quòd ab eo tenta, cum eo mox sub aquas depressa est; sed ab eo amissa, situm illicò eundem recepit, clamans, & Deo, parenti Virgini, S. Ignatio supplicans, vt se à potestate dæmonis eriperet. Natator expertus quid posset, & videns contra vsum naturæ aquis superferri, inuento felici, quasi tabula foret cœpit eam ad littus impellere, & eiecit denique in terram tam facili, & tam celeri natatu, vt non ambigeret miraculo factum. Multos inde à principio acciuerat matris miseræ clamor, & lacrymæ, vel opem laturos, vel tristem spectaturos casum, inter quos Petrus Maria Torreus Abenganus, magnam viderat lucem puellæ imminere, & intermicare ex ea stellulas, siue vt apparebat splendidos vniones, essèque id à Deo coniectans qui saluam vellet quam pridem alioqui, torrens, & mare, sorbuisset; gemino inde milliari per certum hominem, aduocarat quem dixi natatorem Thomam Marenum nomine. A quo in terram exposita, genua statim flexit, rogauítque adstantes ad agendas secum Deiparæ, & S. Ignatio vitæ sibi seruatæ gratias: fuit ex ea qui quæreret, ecquæ lux fuisset quæ procul ex littore impendere illi cernebatur, & num aliquod visum interim spectasset: at illa penitus omnia tacuit, vestibúsque vt potuit mutatis, ad S. Francisci de Paula perducitur, vbi mater pro illa Deum precabatur, ad matrem prima vox eius fuit, quod ante sextum diem in somnis viderat exitum habuisse; intelligi volens à B. Virgine de Carmelo, & S. Ignatio se mari eductam. Peruagata vero tam euidentis miraculi nouitate, Patres Carmelitæ Lonnenses, de illa iuridicè interrogandam iudicarunt, quibus fassa est quidem liberatores suos fuisse B. Virginem de Carmelo, & S. Ignatium; speciem tamen quam viderat omnino siluit, seu religione scrupulosiori non ausa quam viderat dicere Dei matrem; seu metu quodam inanis gloriolæ: quanquam viris aliquot religiosis eam aperuit, sed secretè fide ab iis sanctè prius petita, & accepta. Verum non diu post nocte quadam oranti suísque liberatoribus Mariæ, & Ignatio gratias agenti, en adest iterum, Dei Mater, eadem qua nuper specie; nisi quod adspectu seuero, & digito minax. Quibus inhortuit afflictissima, & longo fletu ac precibus institit ex ea cognoscere, ecquam suam ob culpam, eius minas, & iram esset commerita. Cumque illa repente se subducens, visendam de cætero non præberet, conuersis ad

Christum

Christum precibus, idem trium horarum spatio ex eo contendit exorare, dum mœrore, & labore fracta faciem in manus inclinauit, tantisper interquietura. Hic vero incredibili gaudio impleri, & vocem audire ter sibi hæc iussa repetentem. Narra ingenuè filia quæcumque de matre mea tibi monstrata sunt; qua voce respirans,& minarum quas extimuerat edocta causam, simul eam fuisse Dei matrem quam viderat, imperata perfecit, & authoritate legitima, quod pro testimonio dixerat, estque hic à nobis recensitum firmari voluit; supperadditis tamen quæ mater, natator, & rei spectatores iuati addidere.

II. *Miraculorum S. Ignatij derisor, morte id luit Arbosii in comitatu Burgundiæ.*

Conciones habebat Arbosij in Comitatu Burgundiæ propè Dolam ex Ordine religiosissimo vir quidam. Hic à Doctore Gillabodo virtute ac literis noto, vocatus ad prandium, indignè accepit efferri ab eo Ignatij merita, & sanctimoniam, ausúsque infelix in sanctos ludere, Iesuitarum, inquit, Fundatoris eò summa pertingit potestas, vt sanet dolorem dentium non plus vltra. Quæ vox ab homine tam spectatæ professionis, & habitus, liuore sacrilego expressa, offendit grauiter conuiuas, & mœsto silentio excepta est, erat enim S. Ignatio addictissima illa domus. Accidit ea res die lunæ, mediæ quadragesimæ proximo, quam vt concionibus expleret qui cœperat, vindictam sceleris, Deus in gratiam populi distulit. Sed altero à Pasca die, ab eodem denuo inuitatus, temeritatis impiæ pœnam luit. Manu pateram tenens, vt biberet, improuiso inhorrescit, vociferatur sibi dentes dissilire, & os prorsus occludi, planéque post hæc confixis veluti maxillis, verbum nullum misit, sed mugitu, & fremitu desperabundi more adstantes exterruit; sub hæc enim miserè abripi, furere, conuelli, exagitari tam valida rabie, vix vt quinque, aut sex hominum manibus teneretur. Adhibentur, sed frustra medici, nam inductus à Deo morbus, at expugnabilis hominibus non erat. Inter hos angores triduum superstes,eloquenter populo reuerentiam beatis debitam suo supplicio suasit; ac finem denique viuendi fecit, nec pœnitudinis, aut alterius cuiusuis bonæ mentis indicium verbo vllo dedit.

III. *Simile præcedenti prope Cordubam.*

Ante hunc anno 1610. luerat idem scelus in Hispania, laicus alterius Ordinis. Hic prope Cordubam, cum in Societatis adiutorem incidisset, fœdis modis aggressus est, illum, Societatem, maximéque S Ignatium ludere, haud pridem beatis adscriptum. Conuitiorum, & sarcasmi satur, vestes exuit, séque nudus in riuum moletrinæ mittit. At ecce dum natat, in quo erat expeditissimus, videt iterum adiutorem nostrum, & O! inquit, tenerem hic Patrem vestrum Ignatium: ego illum potarem tam liberaliter, vt in posterum sitiret nunquam. Fuit hic eius & verborum, & vitæ horrendus finis: subito enim velut plumbeus in ima deprimitur, & aquis præfocatur.

IV. *Arreptitia quatuor mutinæ liberantur.*

Mutinenses quatuor nobiles, Ludouica Fontana, Franciscа, & Anna Brancolinæ, ipsius ex matre Sorores; & Liuia, Alberti Fontanæ filia compertæ sunt ab dæmone possideri anno 1598. Harum Ludouica Paulo Gui-

doneo nupserat, Anna eatenus nemini. Franciſca, & Liuia inter Vrſulinas, erant Virgines coronatæ. Tam Chriſtianæ domus virtuti egregiæ, magníſque in publicum exemplis, inuidiſſe ſe dæmones faſſi ſunt, ac tentaſſe num poſſet ex iis aliquid extorqueri, quod earum profeſſionem dedeceret. At Deus munito illarum pudore, vexanda dæmoni eo conſilio corpora permiſit, vt tolerantiam decoraret, celebrarétque S. Ignatij nomen, potenti earum liberatione. Vexationis præludia fuere, pertinaces morbi & ignoti, qui medicorum conſultationes, & ſumptus ingentes in caſſum exhauſerunt; de morbo in morbum iactabantur, planè oppoſitum, nec vllo ſui præuiſum prognoſtico, nec vllum præteriti veſtigium retinente: hodiè ſanæ, & alacres; cras in extremis, & pœne mortuæ: inde vigore repentino, quaſi è tumulo rediuiuæ, ſtatímque recidiuæ, nouis ſemper, & inuſitatis acceſſionibus vrgebantur. Quà illineretur conſecratum oleum vel aqua, illinc euaneſcebat malum; ſed mutata cum loco natura alibi naſcebatur. Ad has corporis tam duras, & triſtes moleſtias accedebant in animo incentiua turpitudinum, & acres ſtimuli, quibus honeſtiſſimæ feminæ quoſlibet corporis cruciatus ferebant tolerabilius; cum autem intactæ ab omni labecula cœlitus ſeruarentur; quod vnum poterant dæmones, earum linguas in verba laſciua, & turpia fingebant. Orare, quod olim tam gratum & procliue, tunc ſupplicium erat. Multo grauius ſacro intereſſe. Id cum inciperet animo linquebantur, erántque aliò deportandæ, vt reſumerent ſpiritum, obmuteſcebant apud confeſſarium, & exertu linguarum deformi eidem illudebant. Sed quod erat maximè timendum, tanta ſui necandi rabie furebant, vt ſe interdum clam ſolæ ſegregarent in penetralia domus conclauia, illic parieti caput alliderent, terram toto corporis pondere ferirent, atque in ſe tamdiu ſæuirent ictibus, dum eorum ſtrepitu acciti familiares ſuccurriſſent. Ac Ludouicam ſemel repentina inſania in ſummas ædes abripuit vt ſe præcipitio perderet; quod ſuſpicatus maritus, eamque conſecutus, tempori adfuit. Sed qui eam in exitium agebat hoſtis, ſolo tunc tanta vi alliſit, vt pro mortua iaceret. His malis, quæ poſſunt feminas præſertim Virgines, quales in his tres erant, variis ex cauſis inuadere, curari tamen conſuetis Eccleſiæ remediis placuit. Aduocatur Benedictus Merla ex S. Dominici Ordine, & Hieronymus Fontanus è Societate. Ille in depellendis maleficiis verſatus; hic trium ſororum germanus, patruus iunioris. Nihil omittunt, vt poſſint argumento aliquo minimè dubio, de poſſeſſione maligni ſpiritus affirmare. Verum, vt erant aliquando exorciſmis de more occupati, Hieronymus Bondinarius è Societate, confitentes audire ſolitus, ingreditur, & clam nulla earum aduertente, imaginem S. Ignatij parieti affigit. Hic vero denique maligni ſpiritus coacti prodire: furere, exagitare miſeras diris modis, & quærere ex Bondinario cur eius iconem illuc intuliſſet quem ſolum extimeſcerent, in eum deinde probroſa conuitia iactare, poſt ad reſiſtendum inuicem proritare, quod nefas eſſet vni claudo, depili, ſemicæco cedere innumerabiles, ita Ignatij crus læſum, exeſos lacrymis oculos,

oculos, & caluitiem notabant: cessit tamen sua cum turma ex ducibus vnus, nec valens vel primum imaginis conspectum sustinere, stationem inquam deseruit, puella semianimi concidente, quæ breui restituta, confirmatam se ab Ignatio præsente, & aspectabili, narrauit, & iussam sperare integram liberationem. Educti semel è latebris spiritus tortuosi, euidentius deinceps se prodere; latinè, arabicè, quod feminæ nunquam didicerant, & linguis aliis expeditè loqui; referre quæ procul gerebantur velut præsentia; ventura diuinare, immotis genibus de genibus progredi, loca designare quibus reliquiæ conderentur quas nec inferri viderant, nec efferri. Tantæ igitur tamque iam manifestæ calamitati, par remedium quæritur, ad B. Virginem Rhegium perducuntur; ad S. Agatham Sorbaram; ad S. Geminiani sepulchrum, loca dæmonum expulsionibus nobilitata, ex quibus, Deo ita visum, absque leuamine rediere. Quòd ergo vno Ignatij nomine viderentur rebelles spiritus vehementissimè percelli; maluisséque vna eorum turma profugere quam ad eius conspectum imaginis durare, persuasæ sunt fiduciam omnem ex Ignatij ope suspendere, seque illius intercessioni prorsus committere; quare voto spondent. Si liberarentur anniuersarium S. Ignatij diem festo cultu, vigiliam celebraturos ieiunio. Pietatis huius fiduciam auxere sancti reliquiæ Roma recens allatæ, importatæque in earum domum, tanto tumultu, mugitu, vlulatu, tanta dæmonum in eos execratione qui eas misissent, atque attulissent, vt fatererentur tandem illuc eum venisse, à quo essent inde profligandi. Hoc autem verè futurum fuisse dies idem ostendit; vnus enim ex primis ducibus, audacior cæteris, & insolentior, cum miras egisset tragœdias, negans Ignatium & eius similes se pili facere, seque illius causa moturum pedem; repente væh mihi! inquit, væh misero! falsò ista iactaui, vibrant ossa illa flammam, qua vror, & crucior, ferendo non sum, S. Ignatius me pellit: quod tertio cum repetiisset; subiunxit, breui alia eiusdem spectatum iri miracula, compellendósque ipsos dæmones ad vrgendum clamoribus coram Pontifice, vt adlegeretur inter sanctos. Quibus dictis abscessit. Secutus hunc è primoribus alius, post multa fœdè, ac impiè aduersus Ignatium iactata, & probri damnatam fugientium comitum vilem ignauiam, iurabat se non abiturum at hic etiam hæc dicens abire cogitur, sed flexis ad spinam è Christi corona, quæ ibidem venerationi prostabat genibus. Hæc me, inquit, hæc spina, non Ignatius fugat, hoc ego contestor, nihil hic Ignatio defero, quæ dum verbosiùs ostentaret, manebat nihilominus, dum stridore ingenti flexis, vt erat genibus, ad S. Ignatij effigiem adrepens, coramque prostratus. Fateor coactus fateor, Ignatij, ait, me fugant merita, post quæ dicta se proripit, aliique complures, contestati se histrionicè hic vnius, ille sancti alterius gratia exire: demum coram S. Ignatij icone terram lambere adacti, asserebant se ab Ignatio ad inferos retrudi. Fuit in iis qui suam Lucifero imbecillitatem, & inertiam exprobraret, quod non valuisset possessionem tueri, quam eius fiducia iniuissent. Sic suis paulatim cum manipulis

exibant

exibant prima quæque dæmonum capita Verum haud paulo plus valuit ad eos euertendos, & eiiciendos, præsertim qui magno numero, nidulabantur in lingua vnius, vita S. Ignatij, fœminis tradita ad legendum: vt enim cœpta est ab vna legi, tunc primum spiritus linguæ latebras iam exosus abiturum se potius affirmauit, quam vt librum scelestum perlegeret. Fugítque reipsa cum aliis, aduersus Deum expostulantibus quod sibi gloriam abstulisset quam claudo presbytero dabat. Ita variis tandem successibus quos foret longius scribere, ab infestatione maligni hostis ereptæ, primum Franciscæ, tum Annæ, inde Ludouicæ, Postremo Liuiæ, redditæ sunt pristinæ sanitati, quieti, piisque studiis, cum magno etiam fœnore liberalitatis ob seruatam constanter Deo fidem inter tam duros, tamque ancipites insultus: maximè vero Ludouicæ, precandi donum singulare adepta, & familiaritatis cum Deo summæ, auelli ab eo nec mente poterat, nec de aliis sermones miscere. Asperitati autem sic erat dedita, vt esset ab confessario inhibenda ne vltra quam vires sinerent seipsam afflictarent. Hoc vitæ genere quinquennium explebat, cum pridie S. Ignatij obiit, ac (si qua dæmoni aliquando fides) ab S. Ignatio in sedes beatorum tanquam filia inducta est. Certo quidem Dariæ filiæ, mane die quodam spectabilis adstitit, candida in veste, ac soli similis, eamque adhortata ad professionem perfectæ virtutis quam sibi legisset strenuè defendendam, ad hoc eam prolixè rebus admirandis de beatorum gaudio narratis animauit. Anni fluxerant duo ex quo erant ab dæmonibus immunes, cum denuo Liuia repente ab iis abrepta est. Primum sui fecere indicium insanis vocibus, ne tunc quidem sibi per Ignatium licere in pace agere, primos sibi contemptus, & ludibria integrari; ad hæc vultum puellæ, & capillitium lacerant, & linguis variis desperabundè multa deblaterant, sed hæc domi dumtaxat, velle siquidem aiebat S. Ignatium, vt sacrorum vsu, & diuinorum auditu placidè in templo frueretur. Imò, & domi præsens subsidium aderat, cognata prope adhuc infans, quæ aduersùs furentem ducto crucis signo, quietem Ignatij nomine imperabat, statímque obtinebat, veste quin etiam prehensam circumducebat quo lubitum foret; quod ridens ex dæmonibus alter, elephantem iocabatur à formica trahi. At negare superbus se infanti parere, sed eius custodi genio, quem destinaret ad hoc Ignatius, & qui abigebantur exorcismis, vociferabanturi magno Ignatij custode Archangelo se fugara. Puella vero sibi crebro adstare virum sanctum vidit, specie graui, & maiestatem præferente, qui flagello terreret dæmones, cuius sustinendis ictibus impares abibant. Atque hoc modo hæc item conualuit.

V. *Cretensis pueri vulnus repente sanatum.*

Hieronymus patre Onophrio Estraschio Gandiæ natus, latum vulnus supra cilium ad tempus alterum accepit, vulneri accessit totius oris tumor, & febris vehemens. Suspicatus chirurgus ex puris copia quam exsiccare non poterat, latere aliquid in capite, consensione, vt sæpe fit, vulneris eiusdem læso, cogitabat de terebranda caluaria vt fistulosum saniei fluxum, illo

illo exitu purgaret, quod cum esset audax, & lubricum, adhiberi secum peritissimum chirurgum voluit. Adsunt, puerum inspiciunt, vulnus nudant, vt vndique explorent; vixque cicatrix leuissima comparet, sanati vulneris exile vestigium. Stupet chirurgus vulneris conscius; patat socius se delusum. Mater admodum læta, & alacris, doctioris Podalirij opus ait, sanatum ab S. Ignatio puerum; nam se audita ossis terebratione exterritam, ad eum confugisse, votum pro puero nuncupasse, altare illius nouem diebus adeundi ad agendas si eam concedere dignaretur sanationis obtentæ gratias.

VI. *Secundus ob suppressam vrinam repẽte sanatur.*

Iacobum Mongiardinum Chiensem, quinque & viginti annorum iuuenem vehemens Febris lecto affixerat. Sed suppressa iam quinque diebus vrina ad extrema deduxit, cum ne violentis quidem remediis, mali pertinacia laxaretur; cum ergo tumore, deliriis, aliisque lethalibus indiciis terreret medicos, chirurgo denique traditur ad aperiendas ferro vrinæ vias; at nec chirurgo suscipitur, nisi pro mortuo, & sanationis desperatæ, in qua fas esset artem experiri. Explicata iam erant ferramenta, & fasciæ, totúsque carnificinæ apparatus, cum adest officij gratia, ægroto amicus è Societate Sacerdos, qui animæ primum iectâ curâ, inde pro corporis salute hortatur, vt S. Ignatium inuocet, paret æger quam potest piissimè, hinc Pater beati eiusdem imaginem pectori admouet, atque hic illicò obstructa natura tam subito discuti, vt præfestina lectum omnem, & cubiculum inundaret; ac paulo post non ab eo tantum, sed alio quouis morbo sanus consurgeret.

VII. *Oppilatio triennis in hydropem effusa repente sanatur.*

Magdalenam Talaueram oppilatio triennis in hydropem egerat, & tumor ex cruribus tam graui pondere sensim viscera occuparat, vt gressum mouere vix posset, & insanabilem censerent medici. Ergo spebus humanis destituta, melioribus cœpit confidere, eas omnes in S. Ignatij intercessione posuit qui eo anno, huius sæculi primo, Gandiæ vbi ea morabatur, magnis erat nobilitatus miraculis. Voto se obstringit quotidiana dum viueret orationis Dominicæ, & salutationis Mariæ recitatione S Ignatium venerari, tum Sancti eiusdem imaginem pectori applicat, eóque mox salubri contactu se voti compotem persentit, detumescere enim aluus, paulatim humores transpirare, & euanescere, minus triduo iis exonerata, æque sana, & habilis, vt ante morbum fuerat euasit.

VIII. *Post mortem ex sociis visendum se præbet.*

Iacobus Tirius, Patria Scotus, donis ab natura non vulgaribus cumulatus ad Societatem venerat adolescens. Probatus de more in tirocinio, transcriptus est in Collegium Romanum literis operam daturus: illic dulci captum scientiæ poculo, pietatis colendæ deseruit sapor: tempus diuinis sacrum, examinandæ conscientiæ, lectioni sanctæ, locupletando ingenio totum dabat, quantò in dies scientia ditior, tantò pietatis egentior; neque illum prius sensus tetigit vllus contractæ ex eo imbecillitatis, quàm eum vrgeret necessitas ad exerendas vires virtutis arduæ quibus pridem minui cœperat. Nam extra sæculum agenti, & irritamenta vitiorum, mediocris

probitas intactum conseruat thesaurum diuinæ caritatis, quamdiu nulla impugnationis obstinatæ impressio, quietum animum quatiet. At si valida pertináxque institerit, sentiet plane tunc alio robore opus esse ad sustinendum hostem, & vincendum, quam quo se placida statio facilè tuebatur. Quod iuuenis de quo hic sermo est, nimis sero aduertit. Lactabat illum dolosa pace cacodæmon, vigorem virtutis, & animi vltro per se in libris stolidè absumentem; viribus accisum, & prope attritum conspicatus, nec repugnando satis parem, tormentum admouet misero tentationis vehementissimæ, pœnéque adigit ad deditionem. Quòd tamen esset adolescens mentis valdè bonæ, diuinam manum in auxilium poscebat, atque vt poterat, sustentabat sese; hic eius misertus Ignatius, qui decennio ante obierat, cogitationibus suis malè colluctanti, & tantùmnon victo, spectabilem se sistit, seueritate paterna obiicit quod postposuisset virtutis studium literis; haudquaquam enim eo consilio ex mundi nugis in Societatem euocatum, claudénsque hoc epiphonemate reprehensionem, plus, inquit, virtutis, literarum minus ambiendum, móxque ex oculis recessit. Quibus iuuenis ab sæua qua distrahebatur animi tempestate liber (nec enim tantum correcturus, errantem aduenerat) ex eo tempore, diuinis addictissimus perstitit, eóque virtutis pertigit, vt Germaniæ Assistens fieret, quo simul & munere, & vita defunctus est Martij 21. anno 1597. Sed triduo ante, Antonio Menageo cui postremùm ad mortem se comparans confessus est, hoc vti narraui aperuit.

IX. *Romæ viuens adhuc, coloniæ se sistit uisendum.*

Emendando alumno, hanc sui copiam fecit, mortuus pridem pater; alium viuens, & Romæ consistens, eodem tempore adspectu suo consolatus est Coloniæ commorantem Leonardum Kesselium Societatis operarium insignem, & primariæ virtutis, videndi Ignatij incredibile desiderium tenebat, quod de illius sanctitate sæpius audiret quæ omnem vincerent admirationem. Scribit ad eum enixè flagitans, sibi vt Romam Colonia liceret excurrere, vt eius conspectu frueretur. Erat id iter longissimum, Leonardus affecta ætate, & valetudine, sed Coloniæ imprimis necessarius, ob eum quem illic edebat in animis fructum sanè ingentem, propter quem nullis laboribus parcebat. Optabat tamen Ignatius eius desiderio obsequi, & credibile est quod ei respondit à Deo accepisse; rescripsit enim, non esse quod tantum itineris videndi sui causa susciperet, nec defuturam Deo opportunitatem qua se inuicem Coloniæ viderent. Hæsit responso Leonardus, diuinare non valens qui posset tandem id fieri, donec aliquando iam nihil minus expectans, aut cogitans, videt sibi obuiam venire Ignatium, corámque consistere, vt qui ad hoc adesset, quo ab eo commodè spectaretur: cernendum se illi per otium præbuit, vicissim illum interea, ore spectans, tam læto, atque propitio, vt se deinde oculis subducens inexplicabili gaudio cumularit.

X. *Limæ in Pe-*

Aluarus de Molina ex S. Dominici Ordine Definitor, regendis cœnobiis, aliisque honorificè perfunctus, doctrina, & virtute notissimus, Limæ

ex

ex paralysi iacebat. Anni fluxerant octo, membra officiis ita penitus intercluſa, vt pedem nec poſſet figere, nec manum mouere, nec articulare lingua voces quæ perciperentur. Cadaueris inſtar è lecto, collocabatur in ſedili, vbi totos dies immotus tranſigebat: tam obſtinato morbo & cruciabili, iam omnis ceſſerat Medicina, fruſtráque ſe vel in remedium, vel in leuamentum exhauſerat: reſtabat vnum ſpe omni deiecto, patientiæ ſolatium, & lectitatio piorum, ad quam etiam adeſſe oportebat qui folia verteret. Voluebat octennium is labor, cum Iacobus de Oheda eiuſdem Ordinis, Theologiæ profeſſor; Societatis, & Ignatij mirè amans, vitam huius ægroto tradidit ab Ribadeneira compendio ſcriptam, quæ volumine altero de ſanctis habetur, rogauitque eam vt legeret. Fecit vltrò quod ſuadebatur, admodum ſtudiosè, illámque animi conſolationem, ac robur, inde illicò ſenſit, quæ ſemper creſceret legendo. Acceſſit iniecta menti fiducia viri ſancti apud Deum potentis, ſed adeò fixa, vt cum eò veniſſet, vbi de miraculis Ignatij Ribadeneira narrat, quod lingua non poterat, accenſo ad Deum animo, ſcis, inquit, Deus, quæ hoc libro de Ignatio dicuntur ſeruo tuo admirabilia, pro indubitatis me habere; eius mihi quoque meritis, valetudinem reſtitui peto; qua ſi dignatus me fueris, religione voti perpetua eius diem feſtum præmiſſo vigiliæ ieiunio colam; & ad matutinos, & veſperæ cantus precentionem, & orationem eius, quotidie adiungam, futurus illi, & eius Ordini deinceps gratus, & addictus. Agebatur cum hæc nuncuparet, ſanctis omnibus feſtus dies anno 1607. ſuiſque his votis in octauum diem confidenter productis, ſub ſerum diei moneri ſe audit, interiori iuſſu, ac ſubito, ſurge, & ambula, cui voci comes impetus quidam animi adfuit, quo excitabatur ad exiliendum è ſedili, tentat igitur, & ſtatum, & greſſum, experitúrque crura iam firma conſiſtere, poſſéque ſecurè progredi; brachia, linguam, corpus omne, nouo vigore expeditum, & habile; dat ſe in viam audenter, & facilè; quò reliqui Patres conuenerant ad Theologicam publicarum theſium propugnationem adeſt improuiſus: quantus omnium ſtupor ad eius conſpectum? quàm ſuis quiſque incredulus oculis? quoad ex ipſo didicere, S. Ignatij miraculum id eſſe, reique totius ordinem eo narrante cognouere: tunc verſo in feſta gaudia ſtupore, diſputationibus intermiſſis, ad agendas Deo, & Sancto gratias incenſi Euchariſtico ſolemni, *Te Deum* decanunt. Hinc noſtris Patribus rem, vt geſta erat confeſtim nuntiant, quam, & poſtea inſtrumento legitimo, & auctoritate munitam iuridica iiſdem conſignarunt. Quo die iſta gerebantur Chriſtophorus Meſa Societatis adhuc tiro, ſupremis iam ſacris ad æternitatem ſe expedierat; audit religioſum S. Dominici ab ſancto ſuo patre Ignatio perſanatum, videt noſtros quoque conuenire miraculi gratias acturos; Deum rogat ſibi liceat ſurgere, ne communi deſit lætitiæ, ſed cum iis hymnum exſoluat gratiarum, rata mox fiunt eius vota, exinde iam melius, poſt vero paulatim integrè conſaneſcit.

nouies octennis paralyticus ex S. Dominici Ordine ſanatur.

XI. *Florentiæ, domus ab cõparente S. Ignatio incendio liberatur.*

Anno huius sæculi primo. Februarij 26. Florentiæ subitus ignis cuiusdam ædes corripuit, nox erat media, ventus prævalidus spargebat incendium in alias ædes, iamque ad Donatum Franciscum Galligaium pertigerat. Ergo is quicquid erat domi pretij alicuius, in tutum eiicere; post in edita ædium scandere, volaturus inde cum aqua, & accitis fabris, quo periculum propius vocasset. At ecce tecto septem iam orgyis flamma superior; tectum ipsum viuis instratum carbonibus, & impluente à flatu, & incendio fauilla; quodque his terribilius; incussus impetu in os vapor, non opitulandi modo spem, sed spirandi præcludens. Quare in genua prouolutus, appressisque in crucem pectori brachiis, tutelares suos Ignatium, & Xauerium largo fletu in auxilium aduocat, spondens fore, si domum ab igne defendissent, nunquam se diuinæ maiestatis offensam admissurum. Sub quæ mox sublimes in aëre ambos videt, duabus inter se distantes sexpedis. Ignatium vero hæc sibi dicentem: Abi modo, voti compos futurus. Ad hæc flammæ grassantes momento subsidere, recondi ædibus quas corripuerant, tandemque absumi, Donati domo quàm circum obsederant vndique illibata.

XII. *Hispali mulier ab incubo septenni liberata.*

Hispali mulier septimum iam annum consueuerat incubo, hominis speciem induto, cuius denique horrore flagitij tacta, exosaque amores belluinos, adit è nostris Sacerdotem, cuius instructa, & corroborata monitis domum redit, confessionem serio paratura. Redeunti occurrit eremita, qui defixo in eam obtutu, similis miserenti, quærit vnde is animi eius mœror, cuius in fronte indicia legeret? mulier arbitrata hunc esse quem vestis simulabat: ecquid tibi, ait, curatio est, tristis siem an læta? Tua, infert dæmon, causa, id quæro, tuo enim bono studeo plus quam putes. Adsum Roma nunc recens, vnde mecum thesauros porto, efficaciſſimæ veniæ sub horam mortis obtinendæ. Felicem te! potes pergendo, vt hactenus, tàm esse nihilominus secura beatæ mortis, & salutis, quàm ipse sum, qui me tamen hac vita quam vides, & habitu macero. Credis stulta, tuis te rectè factis, non sola Dei misericordia seruandam? pluriſque apud illum tuas lacrymas fore quam eius sanguinem? mitte quæso nunc, de sacerdotibus, & confessione esse sollicita, viue sis, vt maximè lubitum, tantum Dei confide bonitati, alia omnia arrogantiæ deputa. Sensit hic mulier, Deo mentem illius aduertente, nec esse hunc hominem, qui nosset, quæ vni mortalium confessario explicarat; nec bonum genium qui scelerata suaderet. Implorata Dei ope, iubet facessere, aiens palam abundè sibi factum, quemnam heremitæ larua contegeret, ad quæ ille mutato stylo, qui vero ego sim, & scies, & longè aliter quam reris senties. Tuas ego turpitudines vulgabo, & faxo præter infamiam quæ te inde sequetur, vt etiam viua comburaris. Quibus dictis repente dilapsus est. Metum inter, & conscientiæ lanienam confusa, & afflicta mulier, ad confessarium refugit, domum pergere non ausa: intentari illi has minas à dæmone terrendi gratia confessarius docuit, nec esse illas in eius potestate, sed ab eo id agi, vt

metu

metu illam euerteret. Cæterum haud vanè coniiciens, non hoc vno insultu confectum iri negotium, sanctis eam consiliis armauit, stata illi edixit religionis officia, & S. Ignatij effigiem tradidit, vetans illam vnquam ab se amouere, his erectior facta, domum redit, abditque se conclaui sola, vt vitam retexat confessione expiandam. At ex templo adest eius nefandus amasius, cubiculum tamen reueritus, subsistit in limine, deridens simplicem, quòd frusto cartulæ obarmata tutam se ab eo crederet; iubénsque eam abiicere, ni mallet experiri, læsa indignatio quid posset. At illa hòc diligentius sancti effigiem sinu concludere, eiusque opem flagitare. Quare blanditiis agere impurus hostis aggreditur, rogat per quicquid septennio gratum illi feciſſet, cartam proiiciat, nam per Ignatium cuius impressam habebat imaginem non licere sibi conclauis ingressum, vt ad eam accederet propius. Hoc si ab ea impetrasset futurum se illi, nihilo quam ante minus beneuolum. Quæ cum surdis auribus nugaretur, horrendo tandem cum fragore abscessit. Postridiè vero mutato schemate, anumque indutus reuertitur: aiebat eodem se confessario cum illa vti, adesse se illius nomine, oranti enim pro illa confessario Deum obstitisse, vetuisséque de ea imposterum apud se agi, quæ se commercio dæmonis tàm detestabili temerasset: eius esse damnationem ratam, & extra spem positam: quamobrem Soror, concludebat anus, viue dum viuis, & hic genium cura, nam illic tibi quod expectes nihil restat. Verum ne hic quidem suus hosti vaferrimo processit ludus, diuino instinctu, & confessarij monitu versatilem Protheum detegente, conuitiis improbum abegit. Quibus in rabiem efferatus, auulsam ex eius manibus S. Ignatij imaginem, in ignem coniecit, sed intacta ex flammis in mulieris gremium confestim resiluit, ex quo magnos animos illa sumpsit, gnara quanto, & quam propitio intercessore niteretur. Purgatis demum hexhomologesi accurata criminibus, ad suscipiendam postridiè Eucharistiam adornabat sese, cum nocte crudelem in modum ab suo dæmone impugnata infelix succubuit. Non viso aliquo pauendo prostrata, nec vocis vllius persuasione, sed alte præcordiis expresso immanis suæ impudicitiæ portento syderata, cuius explendæ libidine concubinam dæmoni se dediſſet; horrore sui, & odio, diuinam misericordiam desperauit; aptauit collum laqueo, semel, iterum, tertio, nodis semper quos nexuerat, corporis pondus fallentibus, sic vt suspendio non potuerit fauces elidere; quod animaduertens non aliunde quam à Deo, & præside suo Ignatio proficisci, repetita spe meliorum, summo mane insultum dæmonis, & triste facinus quod eius impulsu destinarat confessura in templum accurrit, ritéque expiata, & solidiori firmata proposito, cœlesti mensæ accubuit. Die insequenti, vltimùm denique se sistit pœnitenti dæmon, qualis tot annos ab ea videri solitus, forma scilicet iuuenili; sed irato, ac tristi simili, professus illi vt vocabat sceleratæ imagini, & conscelerato Sacerdoti coactum se cedere, illáque relicta abire, quæ vbi dixisset, horrendo fragore amissæ prædæ dolorem testatus, in perpetuum recessit.

XIV. *Moribunda Gandia sanatur.*

Thomasam Baionam, Febri dudum hectica tabidam, & exhaustam; pronunciauerant medici, restitui nisi miraculo non posse, nocte etiam quadam, accessu doloris vehementi, & cordis palpitatione ad extrema redacta, commendabatur Deo, vt statim obitura. Verum illi succurrit interea, vt vitam ab S. Ignatio peteret, quam & sine mora impetrauit, mutato placidissimum in somnum agone in quo luctabatur, ad diei exortum quieuit, experrecta nec febris, nec morbi præteriti quicquam sibi residuum comperit, præter lateris dolorem exiguum, qui detersus quoque est illitu olei, quod ante effigiem S. Ignatij Gandiæ ardebat, vbi hoc gestum est, anno huius sæculi primo.

Hyppolitam Bartholomasiam, Mutinæ in S. Geminiani monialem dirum carcinoma, iam triennium exedebat, arrosóque intra nares palato, & faucibus; vultúque deformato, graueolentiam expirabat tam tetram, vt ipsam & sibi fieret intolerabilis. Medicos, & chirurgos inexhausti humoris malignitas, & pertinaciter hians plaga exhauserat, in ferro & igne remedij vna spes, ex duobus enim eiusmodi, quibus manum chirurgus commodauerat ægrotis, alterum aiebat interisse, alterum secando, & vrendo seruatum. Aderat condictus curationi dies, cum ægrotantem soror miserata S. Ignatij potentem manum implorauit, vt & malum informe, & atrox mali remedium ab ea depelleret: virginem adhibet Deo sacram, per quam Deo promittit, se diem sancti præmisso ieiunio quot annis culturam, sacrum curaturam illius honori, & appensuram argenteum anathema. Nec fuit pluribus agendum, impetratum tulit quicquid optauerat, pridie quam esset secandum vlcus, sub serum diei, ex palato, & faucibus erupit frustum carnis latum digitos quatuor, duritie cartilaginea, secumque morbum omnem ita penitus abstulit, vt nec igne nec ferro deinceps, nec alio medicamento eguerit.

XV. *Siliqua semen ex aure octennis pueri post septennium miraculo eductum.*

Octauius Benedicti Dandoli filius Chiensis octo annorum puer ab colludentibus illusus coæuis, siliquæ semen auriculæ indidit; spondebant illi per nares rediturum, experturus ipse digito primum, post etiam fuso, quam altissimè valet inserit, intróque propellit. Sub noctem exoriri dolor, incrudescere die insequenti; chirurgi accurrere, volsellas, instrumentáque alia extricando grano admouere, quibus nihil effectum, nisi vt puer cruciatum non ferens in deliquia laberetur. Extra spem igitur sanationis destitutus, præter surditatem quæ consecuta est, acerbis identidem doloribus capitis torquebatur. Iam septennium exibat ab eius mali exordio, cum Societatis ineundæ cœpit puer desiderio ardere, communicauítque hanc suam mentem cum patre suæ conscientiæ arbitro, qui surditatem intelligens votis eius sine dubio obstituram, suasit eam rem S. Ignatio commendaret, quem ea domus venerabatur impensius: erat is haud pridem relatus inter sanctos, eiusque tunc festi octiduum agebatur: paruit monenti iuuenis magna voluntate, & pro more illius regionis paucillum gozipij quod S. Ignatij contigerat tabulam, auriculæ ingerit. Sed vix domum reuersus tam sæuo capitis

capitis dolore cruciari, vt ex eo in delirium subiret. Quod familiares subueniri ne de gozipij vitio aliquo nasceretur, detrahendum auribus putarunt; at ecce dum trahitur, tot annos sepultum siliquæ semen, gozipium sequitur, humore turgens, & parte altera germinans, secumque omnem capitis dolorem abstrahit, facultate auditus in posterum sana, & integra.

XVI. *Collegium Societatis Laureti ab infestatione dæmonum purgatum.*

Societatem Laureti Virgo Dei Mater exceperat, cum statim dæmones artem omnem mouerunt, vt eam inde expellerent; spectris & strepitu horrendo, habitatione prohibitam. Moueri subinde concussu tam valido solum, vt videretur domus corruere; subinde quasi latronum turba ædes percursare, ac supellectilem asportare, quæ tota susdéque ire cernebatur. Noctu vix dari somno locus, nam velut incusso turbine, pandi derepente fenestræ ac fores, lectis stragulæ, ac lintea detrahi; fœdæ bestiæ dormientibus prorepentes terrorem iniicere, clamoréque pauidos extorquere. Quos vero hic terror mouebat leuiùs, eos acerbius vexare. Nam angli iuuenis dum mensæ assidet tam fero impetu dæmon latus percussit, vt semianimum humi extenderet. Erat illic Rector Manareus cum aliis tredecim à S. Ignatio missus, qui cum vir esset insigni caritate, suorum magis quam sua incommoda dolebat: vt ergo noctu interquiescerent, multas horas obambulabat eorum cubiculis, quò præstò sibi opem adesse scirent, si qua re poscerent. Accidit autem dum aliis excubat, vt quà vocem, aut strepitum audiebat, illuc accurreret, quati pulsu ingenti totam domum audit, simul edi fragorem tantum, vt si parietes, & tecta ruinam traherent. Pergit animosè Manareus quo fragor tumultuosiùs exterrebat, cum sentit aduersum accedere, eoque inhorruit, sed cruce se muniens pergere institit, & cernit obuium prodire, igneis oculis, & truci aspectu, ingentis magnitudinis immanem molossum, qui toruùm intuens, & propius quidem, innoxiè tamen, præteriens ter tantum allatrauit; contento, sed obtuso latratu, velut ex obuoluto capite ederetur; præteruecta vero bellua, tremor ædium fragorque conticuit. Inter hæc vigilando, satagendóque fractus Manareus in morbum incidit, ac ne suis deesset ab ægro præsidium, quod à valente perceperant, omnibus edixit, Dei nomine iuberent infestos dæmones ad Rectorem adire, & quam sibi ferrent molestiam ad eum deferre, ita suorum quam sui amantior, ad ægritudinem corporis, insultus dæminis adiunxit, qui suam in illum rabiem depromens, haud tamen ab cæteris sese abstinebat. Nocte quadam ineunte somno (quo pridem caruerat) pulsari audit cubiculi fores, suspicatus aliquem de suis quem metus ad se compulisset, intrare iussit: iterato pulsu, ne forte minus auditus esset, inclamauit intraret, nihilo secius pergentem crebrius, & turbidius pulsare, facilè diuinauit qui esset pulsator adeò modestus, vt data toties facultate intrandi, vti ea nollet, signo itaque crucis obarmans sese; noui ego te, ait, age sis, & Dei nomine facito quicquid tibi per eum licuerit. Vix ea, & velut ab turbine, conclauis ianua & fenestræ pandi, totúmque cubiculum intremere, nec

nec aliud valuit importunus pulsator exequi. Ac si hæ laruæ molestæ corporibus fuissent tantum, ferri æquius potuissent, & patientius: ipsam animi petebant arcem, & in periculum adducebant; nam præterquam quod interstrepebant matutinæ meditationi, quibusdam etiam diuersa specie vt eos perderent illudebant. Horũ primus fuit adiutor tiro natione Belga, hunc dæmon conuenit cultu viridi, maurico schemate, ore toto Æthiopem præferens, condolentique similis, interrogat cur stultè adeo induceret se in vitæ genus, quo intra quatriduum esset tabe siccandus; consultius fore si pedem referret, ac dum sinit iuuentus, vita vteretur, nunquam ad lugendum, & pœnitendum, quantum sat esset temporis defuturum. Sed fallendi aditum versipellis perperam legerat; tunc enim iuuenis meditando animum exercens auersabatur sæculum cui vale dixerat, tantum aberat, vt id redamaret. Cruce igitur iustóque diaboli, & damnati conuitio obiurgatum ab sese depulit. Haud tamen prorsus innoxiè, ad nouitium versus forma repentè fœdissima; quando, inquit, tibi meum consilium non placet, ole sis, an flatus placeat; quibus illi tam tetram, & pestilentem niephitim inhalauit, vt ea tantumnon iuuenem præfocaret, certè cubiculum fœtoris grauitas biduo non siuit habitare. At longè alia sors fuit alterius è Sardinia oriundi. Paulum assimulans fraudulentus hostis se iuueni exhibet, quædam grammatica discenti, & erecto supercilio ex eo quærit, an religiosum hæc satis decerent, & quale ipse sortitus erat ingenium? velut, inquit, meæ deessent Epistolæ? ac propterea necesse sit tempus, & cerebrum terere in Epistolis Tullij lectitandis, hominis ethnici, & damnati? nugas illas iuberet facessere, & digna homine deinceps tractaret, nec cuiuscumque domestici persuasionem contrariam festuca penderet. Vbi enim iuberet S. Paulus, mortalium nemini aliud iubenti Obedientiam deberi. Hic tanti Apostoli tam honorifica admonitione nouitius, cœlum iam ratus se digito tangere, clam Pauli Epistolas in manus sumere iisque chimeras cerebri sui attexere, quod sanè tantulum erat, vt nosset legere: vix quicquam præterea, redit ad eum non multo post suus Paulus, collaudat positum in suis Epistolis studium, & quando in eo tam bellè priora monita illi processerant, adiungit altera quæ potissimum spectarat, de Societate scilicet deserenda, repetendóque in sæculo arbitrariæ vitæ iure, quo posset in posterum sanctiorem, & austeriorem viuendi normam sibi præscribere. Nec fuit pluribus ad defectionem euincendam opus. Postridiè dum alij orant, suæ quisque seorsum intentus meditationi, insalutatis hospitibus aufugit, & aliquanto post cum facti pœnitens, esset in adiutorem laicum receptus, sua quoque illum obstinatio animi eo bono priuauit. Is erat apud nostros Laureti rerum status, & infestorum dæmonum is furor; cui inhibendo, nec exorcismorum intenta flagella, nec consecrati agni cera, nec rei diuinæ celebratione; expiata domus totius passim loca, profuerant: profligandi hostis nefarij laus omnis Ignatio seruabatur. Perscriptis ad eum à Rectore quæ gesta fuerant, imploratísque illius precibus

ad

ad afflictissimos filios, aliquo solatio leuandos, qui sese iam frustra in omnia verterant; miseratione illorum præter solitum affectus; solebat enim iis patientiam ad incrementum meriti inculcare; dedit se in preces pro eorum liberatione, illamque impetrauit: scripsit enim consolatoriam ad Collegium Epistolam, qua perlecta Rector, vt vidit sanctum suam apud Deum intercessionem iis polliceri, pro exorata rem habuit, coactisque Patribus mirificè lætus Epistolam legit. Quæ velut exilij, foret lex inuiolabilis hostibus indicti, nunquam in posterum aut visu, aut strepitu quicquam domi molestiæ intulerunt. Nec mirum spiritus malignos fuisse Ignatij alumnis vsque adeo infestos, qui agentem in viuis Ignatium tam crudeliter habuerunt. Aliquando enim tentarunt præfocare, correptáque quasi manu fauces presserе, vi tanta vt elisa voce, & halitu pæne deficeret, donec ægrè tandem pronunciatum Iesu nomen homicidas abegit: Læsis tamen faucibus raucedo diu mansit. Alias item noctu atrociter ab iis cæsus est, vt crepitu verberum, sanctique gemitu excitus socius in cubiculum ad eum accurreret, inuenirétque residentem in lectulo, & anhelum: cum autem secundò redisset eodem plagarum strepitu perculsus, vetuit Ignatius moueri quicquid tandem exinde audiret. Suntque hæc odij argumenta quo vt meminit præcedens liber, contestabantur dæmones, nullum sibi hostem orbe toto esse Ignatio peiorem, hostili sanè barbarie tam ipsum, & illius famam, quam eius filios vexarunt.

XVII. *Gandiæ à morbo comitiali liberatæ.*

Iosepham Castelliam Gandiæ, morbi sontici tenebat genus quo efferabatur in rabiem, & in se dentibus sæuiebat, lacerandis insanè carnibus propriis, aut si vetaretur, in eos morsum stringens à quibus vt arreptitiam coherceri necessariò oportebat; mali vero accessu ponente, tam alto mœrore ac tædio demersa, tanto corporis totius, quasi fustuario tusi, cruciatu afflicta, & debilis iacebat, vt mouere se lecto biduum non posset. Annos sedecim curam medicorum, remedia, & sumptus, morbi peruicacia fatigarat, cum auditis prodigiis quæ Gandiæ anno illo 1601. S. Ignatius edebat, certo quoque se in eorum partem venturam sperauit, si ei pro remedio supplicasset. Nocte igitur post morbi accessum quem passa fuerat, sibi iam reddita, implorare viri Dei manum; exponere illi diuturnitatem, fœditatémque mali, misericordiam flagitare quâ mirè beneficus tam multos, etiam non ita egentes dignabatur. Huic precationi orationem dominicam, & Virginis salutationem in eius honorem quinquies subiecit, quæ vix absoluerat recitando, cum fructum mox cepit petitæ intercessionis: nam illa cordis deiectio, tristitiæ, cruciatuum, languoris calamitas, recedentis accessionis consuetæ reliquiæ, vanuerunt; ipsa perinde sana, & libera, vt si nunquam antea ægrotasset, comitiali quidem morbo nunquam dum vixit correpta est. Ab hinc decimus ibat dies, cum torminibus colicis paucas intra horas in supremum adducta discrimen, probatum suo vsu remedium iterat, & S. Ignatio confisa, recitatis vt ante quinquies, oratione Dominica, & Angeli salutatione ex templo vt antè integrè valuit.

XVIII. *Puella linqui animo solita ibidem sanatur.*

Nec fuit minoris prodigij, puellæ annorum quindecim, eodem ferè tempore ac loco reddita valetudo. Huic in Gandiæ comitatu ex spectri cuiusdam obiecti terrore, hæsit cordis ægrotatio tam fera, vt eam ab se, atque à sensibus abalienaret, cum horarum interdum quatuor, & quinque deliquio; rabie interdum, morsu manus proprias appetentem, ac principio quidem exerebat se quot hebdomadis mali furor, post iterum ac tertio; demum ita crebro, vt decies octies diei vnius spatio rediret, qualis fuit supremus eius morbi dies. Videns enim Lustrica eius mater nunquam illi fuisse deterius, S. Ignatium lacrymis & precibus conuenit, cuius multa narrari prodigia audiebat, infelicissimam puellam, nullaque iam spe nisi cœlesti nixam eius commisit bonitati. Quo puncto temporis cum iaceret collapsa, oculos aperit, assurgénsque admodum reuerenter, iubet sedes poni duobus Patribus, quorum alter erat Ignatius; ab eo se sibi redditam; se manu prehensa erectam; se promissione illius factam certiorem comitialis morbi nunquam de cœtero reuersuri. Credita est primum animo exerrare, at Sancti vultum, & habitum describens, & valetudine in posterum gaudens constanti, & integra, visi ac miraculi veritatem cumulatè probauit.

XIX. *Moribundus oculo chirographi S. Ignatij repente sanatur.*

Sub annum huius æui sextum vocatus est in Societatem Hieronymus Faconius Barcinonensis, sed compendijs domesticis infatuatus parens Michaël Baptista, obstare non destitit quoad negotium disturbasset. Neutri tamen impunè res fuit: missus à patre Leridam iuuenis, faucium inflammatione corripitur, quam ex linguæ tumore, ac nigredine, lethalem medici iudicant, cum ex centum eo malo affectis, solerent vix quatuor sanari. Edoctus periculum parens, fassúsque non dissimulanter veram mali causam; indignum se clamat qui viuo filio potiretur, quem rationibus terrenis familiæ, quàm Christo seruire maluisset; peccatum ab se vehementer dolet, poscítque multis cum lacrymis ab S. Ignatio veniam, mira spondeus si ab interitu filium vindicasset. Inde citato Leridam peruectus incolumem offendit filium, & qua hora illum sancto commendarat, eadem, & febrim extinctam, & faucium æstum: causæ vero ignari medici, peritè statuerunt non potuisse momento pestilentem febrim constanter desinere, stabulante introrsum mali origine, sed hoc fore recidiui lethalis præsagium: visa certè est beneficio exorato suspendi morbi vis, potiùs quàm sanari. Itaque duodecimo post die violenta febris accedere, ingraueíscere decimo septimo, tumere pectus, spiritus via, pituita obstrui, denique medici affirmare altera hora post mediam noctem, accessione decumana periturum. At Pater cui animo hærebat ratas fuisse quas fuderat Barcinone ad Ignatium preces; illas geminato affectu repetit, Societatis patres per nuncium rogat, ne grauentur eius Chirographum ad ægrotum deferre; quod cum penes priuatum esset, diu reperiri non potuit. Adest interim prædictum à medicis supremum discrimen, sine pulsu arteria, sudores frigidi, vicina mors, parens vltimum filio piè adprecatur, nunquam ab se

se postea reuisendo. At ecce occurrit exeunti Sacerdos è Societate chirographum ferens tantopere antea requisitum; redeunt patri spes, redit ipse S. Ignatij fiduciam filio facturus, hortatur ab eo vitam petat, allatum ad hoc à Patribus eius chirographum; quod vbi Patres detexerunt, admouerúntque iacentis osculo, reuiuiscere puncto temporis visus est, febris continuo absceſſit, & cum ea quicquid exitium minabatur, ipseque haud diu post lecto sanus, & valens exiliit, verum suo doctus infortunio in rebus diuini obsequij melius sapere.

XX. *Hydrops & aliis ex oppilatione morbis S. Ignatij reliquiis repẽte sanatur.*

Maria Bonnieria, Philippo & Anna parentibus Antuerpiæ nata, sub annum ætatis vigesimum, obstructione viscerum grauiter laborauit, quæ cum nullis remediis cederet degenerauit in scirrhos nulla iam arte curabiles, biennio toto inualescens morbus lecto affixit immobilem, ex quo tanta defectio virium, vt ne ori quidem manum valeret admouere. Accedebat crebra destitutio animæ, ad horas decem ac viginti, subinde etiam quadraginta; tumores præterea tibiarum, & ventris, hydropis indices; contracti genuum, & plantarum nerui; palatum interius vlcerosum, epigastri dolores peracuti, corpus omne sparso liuore maculosum, ex quibus medicorum prænotio, vitæ illi spem residuam, in paucos dies contrahebat. Erat illi iam annos decem à confessione Sacerdos noster, vnicum afflictæ tam longi supplicij leuamen. Hic motus quandoque diuinitus insinuare illi fiduciam, & interceſſionem S. Ignatij, eamque vt efficacius postularet, aliquid illi ex eius reliquiis tradere, sed hac lege, vt sibi post dies aliquot redderentur. Cæterum qui confessario erga S. Ignatium hanc mentem, eandem ægrotæ indidit, sed comparatione animi tam firma, vt statuerit nec ante precando absistere, nec prius reliquias reddere, quam voti se compotem videret. Erat Iulij dies 24. annus 1635. pater domum nostram receſſerat; illa magno labore inuitis brachiis, id tamen adepta est, vt reliquias collo iniiceret. Tum sublatis in cœlum oculis, Domine Deus (sunt hæc ipsamet eius verba) quatuor iam annos voluntati tuæ morem gero, te per Sancti Ignatij merita supplex rogo, mihi quoque, vt semel morem geras, sana ægrotantem, & spondeo quod vitæ reliquum dederis, me tuo cultui perfectè daturam, tu S. Ignati cuius sola effigies dæmonem toties abegit, per has tui sanctas reliquias, obsecro, hunc etiam à me, vt morbum depellas. Post quæ horas quinque placidum in somnum obdormit, cum per octiduum molesta insomnia laborasset. Experrecta vero est, bellè & integrè valens, tam multiplici miraculo, quam multis ante cruciabatur malis. Surgit itaque absque mora, Deo, & Sancto gratias actura, vestes reposcit ab sorore pridem repositas, induitur per seſe, ac scalis numerosis per se nullo adminiculante ad parentes descendit, terruítque illos aspectu inopino, suspicantes non illam, sed eius animam simulacro vestitam se cernere, quæ piacularia sibi subsidia rogatum veniſſet. Postquam autem ex ea rei gestæ ordinem didicere, incredibili sua voluptate comitati sunt illam ad exsoluendas cum illa S. Ignatio grati animi laudes.

XXI. *Ab hæretica dæmon expellitur.*

Quantum sequenti prodigio gloriæ vera religio, tantum accepit dedecoris Caluini hæresis. Editum est anno 1627. Ostrogij Poloniæ vrbe, in luce totius populi: illic nobilem feminam, verum cum suis hæreticam inuaserat dæmon, huius indicia linguarum varietas, latinæ, germanicæ, Ruthenicæ ac similium, quibus interrogata respondebat, etsi aliud nunquam didicisset præter maternum idioma; ad hæc maximè occulta pandere, narrare quæ procul fiebant, vires prodere supra feminam haud paulo maiores. Itum ab hæreticis in consilium sæpius de illa ab hoste liberanda, sed eam prouinciam aggredi cum illorum auderet nemo, Societatis Patribus committi debere statuerunt, rogaruntque Rectorem Collegij vt eam susciperet: at is primum ex iis audire voluit, num extra dubitationem posslideri eam à dæmone crederent; idque magno omnes consensu fassi sunt; quod autem qui omnium maxime instabat Rectori, Caluini esset tam insanè tenax, vt malle se profiteretur in canem, aut porcum, quàm in papistam transformari; hunc deinde adortus; vos, inquit, quibus ritus Ecclesiæ superstitio sunt, & exorcismi deliria, quî fit nunc illa requiratis? fidene, an necessitate? vestros accersite prædicantes, qui mero Dei verbo tantoperè tument, suum huc Euangelium applicent quantum valent: adsint quoque Sacerdotes schismatici, experimini quid ij possint, ac tum demum nos adiutores succidaneos habetote; id enim æquum est, non agnosci modo qui sint potentiores dæmonibus, verum etiam qui inferiores. Ad prædicantes quod attinet, respondent hæretici, artem illos nescire curandi arreptitios exorcismis. Quæ res si patribus ex animi sententia cederet, habituros se Romanam fidem longè alio loco quam ante habuissent. Hinc domum subitur ad explorandum certius possessæ feminæ dæmonem, qui statim de facili compertus est, nam vt aqua lustrali, ex ritu Catholico eam Rector aspersit, & de reliquiis S. Ignatij, clam ei aliquid applicuit, distorqueri mox, tremere, exclamare se Ignatij ossibus cruciari. Quod autem Rectori hæreticorum sanatio, quàm energumenæ esset antiquior, mandat ab iis proferri Caluini institutiones, cum aliquot eius sectæ libris, & dæmoni obiici, quos ille contra quam audacter expectarant, mirificè gratos, & iucundos testari, excipere, dissuauiari; receptos vero ab Rectore, & inclusa latenter S. Ignatij effigie, denuo porrectos, furendo vlulandóque refugere, coactúsque fateri quid in iis timeret; quam tu, inquit, iis iniecisti imaginem S. Ignatij: quod ab hoste promptum ita confudit hæreticos, vt eorum vnus inuidiæ impotens, bellè vobis papistis, ait, cum diabolo conuenit, & eum ex pacto circumducitis quo lubet: mouit stolida, & væcors interpretatio cuiusdam ex Patribus ardorem, palámque compellans hæreticum, agite, inquit, conditionem æquam fero, precabor Deum, vt si quam profitemini doctrina vera est, in me transeat hic dæmon, & pro sua rabie cruciet; sin è contrario, vera est, certáque Catholica, idem subeat in vos, Veri hostis, & vel vna hora vos torqueat. Excepta conditio meticuloso vniuersorum silentio, & ab eorum

nemine

nemine admissa. Tantum ab iis Rectori supplicatum enixè, si quid ipse valeret ad liberandam infelicem, ne id illi negaret. Promittit Rector se facturum, atque in eam rem, ieiunium tridui, largitionem in pauperes, flagellationes, & alia pietatis officia Collegio indicit, Patre interim vno arreptitiam subinde reuisente, ad cuius aspectum efferari semper dæmon & furere; contra, hæreticos adeuntes, vrbanè alacritérque accipere, nominaréque illos caros, & amicos. Sub hoc porro temporis, quædam vi & vltro locutus est dæmon, minimè omittenda. 1. nempe Iesuitis Ostrogiensibus nullos sibi esse inimiciores, seque id agere vt essent aliis exosi, ad eorum labores suo fructu priuandos. 2. dein semel ab se tentatum, ignem Collegio subdere, cœpisséque iam famulorum stationem corripere, sed restinctum prius quam posset illum occultare. 3. tentasse pariter patrum conclauia intrare, factutum quicquid valuisset mali, sed illinc à Maria & Ignatio repulsum. Venerat conditus celebri exorcismo dies, Virginis purgationi sacer; locus Societatis templum, hæreticis diu frustra nitentibus, vt domi eorum priuatim haberetur: verum sectæ illorum, debebatur hic in publicum pudor, & nouum hoc Catholicæ fidei, potestatis summæ aduersus dæmones trophæum. Vincta mulier, multorum manibus in templum inducitur, statuitúrque ante aram, B. Virginis, & S. Ignatij memoriæ positam, vbi rugitu horrifico populum, qui confertissimus ad spectaculum aderat consternauit. Vibrandis in hostem exorcismis, præmisit Rector breuem ad omnes allocutionem qua illis acerbum ob peccata dolorem commouerer, inde fletus omnium communis, piique affectus, diuersis multorum vocibus expressi. Compulsus dæmon effari, quis esset? cur eam feminam occupasset? diuque restitans, Ruthenum tandem se esse respondit; ab Ruthena saga in id corpus immissum, veneficio incantati fili quo sertum floreum ligabatur, de more gentis à femina, capiti ornando impositum. Adactus iterum efferre cuius esset præcipuè post Deum virtute pellendus? multa fremens, ac frendens, denique Mariam, & Ignatium contemptim nominauit. Quare horas duas, exorcismis ardenter incumbitur coram S. Ignatij tabula, & cum Beatissima parente Virgine in opem vocatur; cui ne qua fieret alicuius flagitio mora, impetrandam gratiam inhibente, iterato populus admonetur de peccatorum venia serio petenda, iterandísque pro miserabili femina precibus. Quod factum à populo contentis vocibus cum esset, correptam violento impetu ex retinentium manibus, dæmon solo allidit, ac velut mortuam, sed penitus liberam, & sanam relinquit. Paulo post enim ab circumstantibus erecta, ante Augustissimum sacramentum perducitur, vbi cum vniuerso populo præ gaudio lacrymans, eiurato Caluino, Catholicæ fidei nomen restituit.

XXII. *Cæca visum recepit reliquiis S. Ignatij.*

Ioanna Clara ætatis annorum sex & quinquaginta Maioricæ vidua, post acerrimos oculorum dolores, alterum amisit, cui reparando dum medicorum adlaborant artes, paulatim alter extinguitur, ita vt nostrum in templum se conferens, excæcaretur prius, quam ad templi fores perueniret, do-

mumque reditura viæ duce egeret. Quo die Sacerdos è Societate, illius frater consolandi gratia, afflictam visens, de S. Ignatij ossibus schidiam, eiusque subscriptum Epistolæ nomen ad eam detulit; iussaque tum ab iis qui aderant, tum ab ipsa ter Oratione Dominica recitari, ter Deiparæ salutatione, cæcis oculis reliquias admouit, quibus tanquam rosis, vt quidem ipsa sentiebat recentibus, mirificè recreata, & sensu doloris deinceps caruit, & cœpit oculis iam vti; post vero precum earundem, & reliquiarum iterata applicatione facultatem videndi adeò integram recepit, vt si nunquam oculis laborasset.

XXIII. *Senis ex febri maligna sanatus.*

Ex tribus Lusitanis Romam vna profectis, Genuæ primus, Romæ alter, vt primum appulit obiêre; tertius Paulus Caruallius adiutor iam quatriduum febriens, Senis subsistere cogitur; ad mortem nisi S. Ignatius adfuisset, parandam potius, quam recuperandam sanitatem: enimvero Febris vehementer anhela præfocati cordis anguſtiis, malignitatem exeruit, & intendente se sub noctem malo, lethalibus signis spem sanationis medicis abstulit, nostris necessitatem iniecit admonendi fratris, vt ad mortem vicinam in procinctu staret. Verum is interea quærit S. Ignatij num quod domi esset Chirographum. Allatum, lecto se attollens, magna veneratione sæpius osculatur; fronti, & pectori imponit; tum ad eum qui id attulerat, sanus sum inquit, & vitæ securus, non vult P. Ignatius suum hunc filium nunc mori. Cui ille occasionem commodè hanc vertens ad significandum illi propinquum discessum, at si te inquit P. Ignatius in cœlo secum velit, (quod abesse videtur propius) an non libenter iturus sis? tibi dico, ait, me ab eo sanandum; nam si cæcam curauit feminam, quòd vni è nostris soror esset, mihi filio suo vitam scilicet non seruabit? hac noua confisus argumentandi forma, cordi chirographum apprimit, præsentissimum statim morbi sui antidotum; nam cum ante ab cibo abhorreret, cœnam iucundè, & appetens sumpsit, noctem solidam quieuit, ac postridie valuit.

XXIV. *Ab chiragra, & carcinomate sanata.*

Maioricæ, crudeli chiragra Spes Castillia tenebatur, huic ad cruciatus assiduos, qui ægram interquiescere non sinebant, accedebat sua quot mensibus doloris intensio, tam interdum acuta, vt defectionem animi pateretur; iamque altera manu capta, eius vsum omnem amiserat. Ad hæc vlcus pectori adnatum carcinodem chirurgis, & medicis minabatur, qui demum à curatione idcirco destiterant, quod & inutilem, & malo peiorem aduerterant. Quare humani iam inops remedij, intercessorem apud Deum S. Ignatium adhibet, seque illi ex animo committit, spondens si per eum sanaretur, nouendiali se precatione veneraturam ipsius altare. Aderat tertius à promisso dies, Augusti nonus, anno 1601. cum se chiragræ, vlceríque expertem, ac persanatam mirata est.

XXV.

Chij Theodora septem circiter annorum græca, boæ papulis sic deformata est, vt ei læuus efflueret oculus, vnaque expectatio omnis remedij. Aduenerant illuc recentes nuncij de S. Ignatio inter sanctos adlecto, isque sancti

sancti honor publicis lætitiis colebatur. Hic deformitatem filiolæ iniquissimè ferens mater, spem animo cepit, noui huius sancti meritis emendatum iri. Pergit in Societatis templum, orat magno affectu, petit à patribus paucillum gozipij quo foret tacta S. Ignatij tabula, domum redux familiam conuocat, iubet votis communibus secum poscere quod expetebatur; excæcato filiæ oculo gozipium imponit, promittens S. Ignatio cereum, festique ipsius annuam celebrationem. Post quæ amoto gozipio, en cernit oculum restitutum, & nihilo quam ante fuerat minus vegetum, & viuacem; audítque filiolam conquerentem quod sibi tamdiu obscuro tegmine pressisset oculum, & prohibuisset à videndo: nempe cæcitatem vt poterat, sic pueriliter explicabat.

XXVI. *Varia animorum ab eodem sancto miracula.*

Habent animi, vti & corpora ægritudines suas, cæcutiunt, obmutescunt, surdescunt, febriunt, & intercluſis facultatum muneribus iacent immobiles, provt vltro se vitiis, & perturbationibus variis mancipant; atque haud paulo glorioſius est, & prodigij mirabilioris reuocare illos ad sanum bonúmque habitum, quam humoris corporum dissonos, natiuo concentui reddere, & membra perdita instaurare: prorsus in hac parte admiranda omnino, & patrauit Ignatius, & pergit nunc etiam patrare. Erat Romæ in obsequio Vrsinorum miles, qui ex tibia confracta iacens, sospitatorem optauit Ignatium; eius ergo subscriptum Epistolæ nomen, affectæ parti vix applicuerat, & ecce vi pharmaci, quà minus putauerat, sed quà grauius dolebat ictus est. Cœpit enim obortis magna copia lacrymis (à quo erat alieniſſimus) præterita scelera detestari, Deóque supplicare non iam comminutæ tibiæ ossa committeret, sed vitæ in posterum erectæ gressus ad salutem recta dirigeret. Gandiæ anno 1602. flagitioſissimam feminam adeo sorbebat inueterata peccandi rabies, vt ne volens quidem, posse videretur ab impuro diuelli amasio. Hæc S. Ignatij effigiem ad lectum appendere monita, repente sic immutata est, vt exinde impurum exhorruerit criminis socium, nec eius conspectum ferre deinceps potuerit. Ibidem alteri qui non erat integrè confessus lethalia scelera, quinque in mentem reuocauit, quæ sua graui omiserat culpa. Quadam etiam Italiæ in vrbe vbi multi ex nostris dant literis operam, si quem mannæ nausea vertisset ad repetenda Ægypti allia, moris fuit ex S. Ignatij reliquiis eius pectori apponere ad stabiliendum vacillans propositum, quo salubri tactu reualescebat vocationis primæ vigor, & cœpto itinere pergebant. Quo in genere plane singularis, fuit laici adiutoris correctio, Alfonsus Vela dicebatur; degebat in Collegio Baëzano; in desertionem ita impudenter peruicaciam obstinarat, vt insanire magis ac furere, quam sollicitari à dæmone videretur: desertionis illecebra, quam crasso capiti subtilem, dolosus hostis obiectabat; cupiditas erat, multas quotidie precationi horas tribuendi, ex qua illud facilè sequebatur, vt domesticæ operæ quicquid insumeret temporis iacturam arbitratus, vel exilis meriti laborem; impatientissime id obiret, suo ergo vnius vsus consilio, & fallaci serpentis deceptus sibilo,

Adiutorem ad desertionem obstinatum, præsentia sua obiectu reuocat.

sibilo, pro afflatu diuini spiritus, S. Francisci Ordine reformato Societatem mutare constituit, in idque animum vsque adeò fixit, vt rationes, non dicam expendere, sed ne auditu quidem vellet admittere, quibus illum periti diuinorum, & amiciſſimi, ad artes dæmonis introſpiciendas inducebant; dæmoni ſcilicet, ſi excuſſum ex Societate, in qua locatus à Deo fuerat, ſemel in alium ordinem, fucatæ quietis illicio traxiſſet, non defuturas alias quibus illinc item eum euerteret plauſibiles ſtrophas. Scribit ad Præpoſitum Generalem animi tædia in Societate, nouóſque ad alia impulſus: ſibi ratum eſſe ac deliberatum tranſire in Ordinem in quo mens diuinis vacaret tranquillius; proin ſibi facultas concederetur abeundi. Sub hæc neque regulas videre, nec vitam legere ſancti Fundatoris, ſed exterminare cubiculo vtraque, & eorum loco in lectitandis B. Franciſci annalibus totus eſſe, audito quin etiam vel S. Ignatij nomine, ſubſultare illi ſtomachus, & moleſtè ferre. Illas porro tot diei horas vt pronum illi erat, tantum abeſt orando inſumeret, vt nec matutinæ meditationi ſtatum tempus cum aliis daret. Quare illum Rector qui cum externis tunc confabulantem animaduerterat, ex eo petiit; cur ipſe qui ſtudio prolixius cœteris orandi dimitti volebat è Societate, ne tantum quidem quantum cœteri oraret? quo ille monito indignatus retruſit in cubiculum ſeſe, & proiecta veſte, cannabinam induit, ſiſténſque ſe Rectori, ait ex quo Romam ſcripſiſſet ſupputatis diebus, non ambigere ſe, quin ſibi facultas abeundi iam eſſet expedita, & hæſurum ſe quidem in Collegio dum eſſet perlata; verum haud alia conditione quam ſeruorum, quæ tandem hominis intemperiæ potius quam tentationes, patres qui aderant illius miſeratione commouerunt, inter quos fuit cui validiſſima ad figendam inſtabilitatem pondera expendenti, ſuccurrit animus, curandum S. Ignatio illum committere. Igitur velut phreneticum, & medicis ac remediis dementer iratum S. Ignatio commendat, tum rogat miſerum, ne grauetur ſaltem nomine gratiarum, Pater, & Aue quotidie in eius honorem recitare; quod etſi perleue non leui tamen negotio ex eo obtinet, nec mente meliori quam ad flagitantis importunas preces ab ſe amouendas. Recitandi promiſſo ſatisfacit illo ipſo die, ſed ita contemptim, vt eſſet pœna quam gratia dignior. Emolliri ſe tamen illicò miratur, & proteruum illud ac inſolens obſtinatiſſimæ leuitatis remittere, cui mutationis initio plurimum iratus: precum vice quas iterare debuerat, ſibi ac precibus quas recitauerat indignatur, tentátque omni modo retundere motus illos quos videbat ad meliora conſilia tendere. Verum quantumuis, & ſecum rixatus, & cum Deo luctatus, nunquam potuit animum ſedare, nec auertere ab Societate qua ſe magis ac magis affici dolebat, ferebatque adeò impotenter, vt nocturnæ quietis momentum capere non poſſet. Surgens itaque in hortum profilit, ad laxandum ſub dio pectus iactatione incondita, & clamoribus inſanis, cum ecce tibi lucis pulcherrimæ circumfuſus ſplendor medium illi Ignatium exhibet, ſic vt poſſet illum manu contingere. Viſi huius ſubita ſpecie confuſus, iamque alius à

primo.

primo. Hanc,ait,Pater sanctissime Itáne?& pro recitato semel;Pater,& Aue, tantum mihi abs te gratiæ ac boni ? ad quæ Ignatius, fili mi, intulit, paruo contentus sum, & sereno intuitu,miréque beneuolo dignatus, videri desiit: atque hinc Alfonsus humi prouolutus gaudens,& lacrimans noctis reliquum exigit. Mane aduolat ad Rectorem, postulationes damnat stultas, & fatuas, quibus tam proteruè Societatem fatigasset,quas deinde pœnis vltroneis grauibus eluere sategit, quoties vero in posterum, obiecta species,& S. Ignatij verba in mentem rediret, toties in lacrymas totus soluebatur.

XXVII. *Febri tabidus sanatur.*

Ioanni Parentio Mutinensi, annorum duodecim, puero, cruentæ excreationis labor, tabidæ febris, & medicaminum diuturnus, biduum vitæ reliquerant, vt quidem medici diuinabant, credebatúrque quantocyus animam acturus, cum à patruo suo Societatis Sacerdote inuisitur,docetúrque votum Ignatio ad seruandam vitam nuncupare. Ille, promitto, inquit, Beate Ignati, si per te incolumis euasero, & Deo placuerit mentem religiosæ vitæ mihi iniicere, me Societatem initurum. Interea Romam ad sepulchrum tuum, beneficij monumentum ex argento missurum. Verborum hic fuit, & mali finis. Moritur febris, redit corpori vigor, surgit paulò post cum sodalibus pueris lusurus. Eidem cum triennio post cœnanti spina faucibus transuersa intercluderet animam, mater intuens singultantem, remedio quo nullum habebat præsentius succurrit. Fauces signat reliquiis S. Ignatij, adolescens mente Ignatium inuocat, moxque gestiens exclamat mater, spinam S.Ignatius, & periculum abstulit, & abstulerat reuera, nec enim aut illam eiecerat, aut deglutierat iuuenis, reperiri tamen diligenter quæsita non potuit.

XXVIII. *Stulta,menti restituta.*

Campi Gaiani rustica puella in agro Mutinensi, primum phrenitide, post mente quoque omnino capta est, atque vbi furor eam inuaderet, egebat custodia diligenti, ne manus aut sibi, aut aliis inferret. Huius vicem dolens Mutinensis Matrona, vsaque prudenter interuallo, quo mali accessus resederat; hortatur, vt semel quotidie oratione Christi, & Virginis salutatione S. Ignatij merita veneretur,seque ad hoc præstandum quamdiu viueret, voto apud Deum obstringat: vouet illa, seu mater potius præstituram se votum pro illa suscipit:demum à matrona reliquiis S. Ignatij signata ita conualescit, vt nihil exinde phreneseos, aut emotæ mentis prætulerit.

XXIX. *Respondet infans velle se vocari Ignatium.*

Gaspar Marescanius, Catanzari pauperum patronus, duobus filiis tutelarium ciuitatis indiderat nomina, Fortunati, & Vitaliani; tertio, si hunc susciperet, nomen seruabat Irenei; inter vrbis præsides tertij. Cum autem vxore partui vicina è nostris adiutor fortè domum intrasset, illa tertium hunc partum ei plurimum commendauit, vt felicem à Deo impetraret. Frater preces modestè pollicitus, significauit S. Ignatium in fortunandis partubus esse mirabilem, illum inuocaret, sponderétque se, si foret masculus Ignatij nomine dicturum, nisi quid secus forsitan decreuisset. Promittit paritque feliciter, & ex promissi fide infantem vocat Ignatium; pater

flocci pendens promissum coniugis, appellat Ireneum, lis inter eos longa, & pertinax, isto pietati pugnante erga præsidem vrbis sanctum; illa promissæ in S. Ignatium fidei, neutro mutuis precibus, aut rationibus, inuicem concedente, ac ne conueniente quidem in vnam gemini nominis impositiorem, cum in ea vterque primo loco sanctum suum vellet nominari. Tandem igitur ad hoc deuenitur, iocone, an maiore instinctu dubium; infans ipse litem decideret. Quare ad eum pater, nunc demum fili mi! dicito, ait, qui velis vocari, nondum verba conari pusio cœperat, nec cœpit nisi post aliquot menses, mox tamen patri distinctè respondit *Ignatius*, ita litem pro matre, & S. Ignatio diremit.

XXX. *Moribūus S. Ignatij imagine sanatur.*

Ferdinandum Pratellum de Mendoza, Marchionatus Lombaiensis administratorem, ducis Gandiæ quædam negotia Vallisoletum euocarant anno 1603. illic pestilens febris eum lecto affligit, quam fore lethalem archiatri ex eo statim augurantur, quod purgatione iam triplici nihil remitteret, & ei domandæ fracta viribus natura non esset. Sacro erat viatico, & oleo munitus, iamque triduum cibi expers, stupidus, & semimortuus iacebat; cum ad eum defertur S. Ignatij imago, vitæne exorandæ, an ad mortem parandæ haud scio: certum eius aspectu quicquid supererat animæ in precem collegisse, qua ingenti affectu sanitatem ab eo petiit, & eius illicò pignus tulit; nam placidissimo captus somno post horas aliquot cibum sumpsit, consanuitque tam integrè ac robustè, vt post quintum diem, iter repeteret, & sæua hieme per montes, Vallisoleto Valentiam, nouem dierum spatio perueniret.

XXXI. *Mamillæ dolor repente sanatur.*

Ioannam Pignatelliam ducem terræ nouæ, Caroli Aragonæ, ducis Castriuetrani viduam, cruciabat periculosus mamillæ tumor; exibat iam mensium quatuor exquisita, sed inanis, & cassa curatio, nec detumescebat, nec molliebatur, & eò increuerat, vt ad quemlibet motum discerpi sibi viscera crederet. Humani ergo inops præsidij, diuinum ab S. Ignatio requirit, eius à matre Hieronyma Columna effigiem accipit, eius auxilium flagitat, & ecce illo ipso quo id egerat die mamillæ tumor, durities, dolor, penitus euanescunt.

XXXII. *Puellæ lemurum infestatione liberatur.*

Vincentio Callo tormentorum muralium Melitæ libratori, filia erat circiter nouennis. Huic mense integro ludos in somnis faciebant miri promissores, magnásque illi spondebant diuitias. Quod illa postridiè narrabat parentibus, & promittentium habitum, ac lineamenta seorsum singulorum (erant enim iidem perpetuo) describebat; cœpere exinde post illum mensem, interdiu quoque ab ea videri, vnus primum, post duo, dein multi simul, & in iis etiam feminæ, quos probè illos esse meminerat, qui sibi toties in somnis adstiterant, & suo quisque nomine notabantur Ioannis, Bernardi, & similium; iis item quibus antea promissis lactabant simplicem; fore illam, si modo annueret Melitæ totius ditissimam, prouehendam in summos honores eius familiam; habere se desertis in templis auri copiam, & gemmarum; hæc illi ab se omnia seruari: Præter Spem (erat

puellæ

puellæ id nomen) domi hos hospites videbat, audiebátque nemo; quanquam se nimium apertè, adesse indicabant, allatis puellæ munusculis quà pecuniarum, quà fructuum, & istiusmodi aliis, quibus admittendis, vel adeuntium accessui, principio cautior, verita ne deciperetur; paulatim denique assueuit, & securam præstabant cum dicerent, quòd ab se metueret nihil esse; se quoque, vt ipsa, Dei opus à Deo conditos; penes se thesauros subterraneos esse, quibus illam essent ditaturi; templa vnde illos effodi oporteret, esse S. Catharinæ de Turba, S. Sophiæ, & S. Andreæ. Confectum iri perfacile si eorum in altero, gallina mactaretur alba, in alterum mel importaretur, in tertium piscis. Pergebántque nefarij lemures conspici, blandiri, afferre munera; etiam semel, ficus mense Ianuario recentes; imò sæpius ruri mensam instruebant, accumbebant, cibis coram velut sensim absumptis, haud secus ac ipsa edere videbantur: postremo etiam ortam in eius capite vomicam, malagmate sanarunt. Tenuítque biennium sceleſta fabula, patre quòd filiæ nihil inde damni accideret, pro re iocosa perperam id habente: nam vt sibi quoque spectabiles fierent cupiuit, ac per filiam petiit, sed tristem repulsam ab iis tulit, non posse quidem tunc ab eo videri, fortassis tamen sub mortem videndos. Erat Puellæ domi clericus frater, qui Sacerdoti ad aram quotidie ministrabat, ex tota familia hunc vnum ferre non poterant, vbicumque is superuenisset fabulantibus cum puella, impuri ora distorquebant, & sannis deformibus spernebant. Quibus indiciis, [& quod puella iam adolescebat, suspecta patri deinceps hæc amicitia esse cœpit, incertúsque an essent homines qui videri nollent, an dæmones qui vellent aspici, vtcumque ij forent statuit domo abigere, primósque ab arte quam profitebatur, ducens exorcismos, catapultam multis glandibus egregiè armat, tum filiam iubet, cum primum redirent, & cum ea in horto sub arbore vt consueuerant sederent, condictum sibi signum dare. Adsunt de more, sed irati, vultuosi ac multum queruli de infenso parentis animo in tam beneficos, & amantes, clauémque tendendæ catapultæ quam suffurati fuerãt ostendunt. Ex quo tandem pater liquido cognouit hos esse spiritus, reque Sacerdoti, vtcumque indicata, domum ab eo exorcismis, sacrísque precibus expiandam curauit. Quod is dum obiret, inclamantes se lamentabiliter dæmones audiebat puella, heu! Spes heu! cernebátque cum impetu in supremam ædium partem procurrere, inde in hortum se dare præcipites. Ibat iam annus 1603. & Zurriccum in pagum vbi hæc gerebantur missus venit ex nostris Sacerdos ad conciones Maioris ieiunij; huic puellæ parens totam ab ouo retexit historiam, & molestissimam exponit filiæ, domúsque infestationem. Cui noster ante omnia auctor est, sacra confessione tum animum purget, tum præcipuè filia, quæ iam ætatis agebat vndecimum. Huic vero deinde S. Ignatij effigie tradita serio præcipit, eam lemuribus, vbi comparerent, confestim exhiberet, iuberétque illos facessere, nihil secum illis in perpetuum esse velle. Fecit animosè quod imperabatur, maligni spi-

ritus ad primum imaginis conspectum, horrendùm fremere, ac vociferari, dira omnia iactare, imprecarique Iesuitis, & peiores diabolo dicere, fuga demum se tenebris condere, ausi tamen post paulum reditum tentare, longe alij videri voluerunt, nempe humanam exuti laruam, monstrosa specie, cornutis frontibus, ignem ore proflantes, quos illa denuo S. Ignatij subito prolata effigie sic ab se abegit, vt nunquam se illi quamdiu vixit spectandos dederint. Verùm formis eorum immanibus quasi siderata mensem vnum infirma iacuit, ipsaque familia multis deinceps calamitatibus id peccatum luit.

XXXIII. *Captus pedibus, & truribus sanatur Monachij.*

Sub annum 1628. Graffio cuidam, annorum tredecim puero, contractis obduratísque crurum neruis, carne ac suris ossium tenus exsiccatis, etiam pedes transuersim in globum obtusi sunt, ita vsu eorum captus, genibus solis, & manibus reptabat, suas ponè trahens inutiles tibias; sic miserabiliter affectus Monachium in Noricis ex pago suo vicino perductus est; illic egit sex menses mendicans, dum eius misertus nescio quis, narrauit aliqua non pridem ab S. Ignatio mirabiliter edita, suasit ad eum confugeret, expectationem mouit sanitatis ab eo exorandæ, aurem præbet monenti, ac studium mendicus, maximè post quoddam de eo læti somnij omen, vouet se spatio hebdomadarum trium, quotidie altare S. Ignatij, nostro in templo aditurum, & recitaturum illic rosarium Virginis; incipítque statim quod vouerat exequi. Trahi se curat ad templi fores, inde manibus nitens adreptat ad Sancti altare; instaurat votum quod nuncupauerat; confitetur; sacræ mensæ accumbit; precatorium rosarium pie orans exsoluit; & sentit interea reualescere sibi crura, distendi neruos, redire & euolui pedes. Experturus itaque an posset consistere, orantis ibidem feminæ vt assurgeret, manum rogat; sed eo subsidio iam tùm sanus minimè indigebat, constitit firmus, securè ac liberè ambulauit, Deum laudans, & agens Sancto Ignatio gratias, magno populi spectatoris, & testis concentu, & applausu.

XXXIV. *Aliud ibidem simile præcedenti.*

Triennio post, ibidem aliud editum, non minus illustre præcedenti. Erat Anna VVolffleberin annos nouem, & decem nata, pede altero plane inutili, & in oppiduli sui nosocomio vtcumque victitabat, huic S. Ignatius Iesu nomen manu altera gestans, altera vero librum, Sacerdotis ornatu adstitit; hunc enim fuisse, visum referens intellexit, cum ante quis esset Ignatius nunquam scisset. Vnde optimè coniecit non esse inaniter hanc sibi obiectam speciem, nec tantum spectaculi gratia, sed offerendæ potius sanitatis, ad eam petendam supplicem animum conuertit, promisítque se ad eius altare formam cerei pedis appensuram, & sacrum semel curaturam. Sed enim miselle, cum vix mendicato victum in diem colligeret, voti fidem per menses aliquot non licuit liberare, præterquam quod distabat Monachio milliaribus aliquot, nec valebat se illò conferre, nec præsto aderat à quo duceretur; aliquando tamen sibiipsa vim faciens, tentare iter aggreditur, trahítque se ingenti labore, piæ comitis brachio subnixa, donec

vlterius

vlterius non valens, in publicam viam se abiicit, vnde illam casu præteriens rusticus, sublatam in carrum, Monachium vehit, & pro templi nostri foribus deponit. Ingressa tunc quidem sat habuit se sancto sistere, & aliquid olei quod ei ardebat in lampade petere, quo mortuum pedem inungeret. Die postero reuersa, ritéque confessa, rei sacræ adest, sub cuius exitum, probare placuit, num suus pedi vsus rediisset; duarum igitur quæ simul aderant manibus in pedes erecta, vsque adeò valuit, vt omisso subalari fulcro ad sacram Eucharistiam processerit sola, suumque se bellè ac integrè sana, in pagum retulerit.

XXXV. *Saga quatuor cum suis dæmonibus ex Panormitano Collegio S. Ignatij aspectu fugantur.*

Regebat Panormi Collegium anno 1574. Paulus Achilles magnis viris dotibus, & sanctimonia; isque tum per se eximiè, tum per suos, conuersioni animarum magnis progressibus incumbebat. Hæc damna rei suæ inferri pati non potuit Dei animarúmque hostis, vindictam adornauit qua nulla poterat detestabilior. Sagas quatuor meretrices instigat, vt se concordi nequitia, suo quæque ab dæmone intra Collegium importandas curent, omnésque flagitiorum artes expediant ad labefactandum alicuius pudorem. Nocte igitur quadam in Collegij aream simul inferuntur; inde in summos gradus quâ porticuum aditus ad cubicula inducit. Illic occulta vi defiguntur, repellente magno impetu infames furias, quoties progredi conarentur; exstimulabant illæ pegasos suos amenti rabie, videbantúrque illi ad perfringenda obstacula conniti; verum, vt olim prophetam belluinum, sua docuit asina; sic sceleros as veneficas, vectores sui capri docuerunt, maiori se potentia retro agi, quam nec vngue transuerso valerent transilire, si vel vna quæque sexcentis dæmonibus potentissimis insideret. Ita derisi spretique paredri suas in prostibula amicas reportarunt. Sed earum vnam vt forma, sic turpitudine & impudentia cæteris præcellentem, indignatio incessit tentati frustra apud nos facinoris, cui nullum alibi impedimentum eiusmodi obstitisset: integratura nefarium crimen, sacrilegis apud nostros confessionibus, molitur cum iis falsa pietate, amicitias in sceIus faciles, vt cum denuo in Collegium referretur, clandestinum illic receptorem in promptu offenderet. Verum ne hac quidem via quicquam egit: Quamobrem eandem iterum aleam quatuor furiæ repetunt, reuehuntúrque in Collegium ab suis dæmonibus intempesta nocte, penetraturæ se in cubicula si possent. Vix intra septa peruenerant, cum S. Ignatij occursu veluti fulguris, luce terribili splendentis, impurissimum choragium dissipatur, nec voce opus, nec manu fuit ad indicendam fugam dæmonibus: primo Ignatij adspectu exire præcipitant, & suas secum asportant venefi-

XXXVI. *Lethale vulnus adiutoris egressi ex Societate repente sanatur.*

cas. Harum postea vna ad frugem reducta, rem, vt à me narrata est referebat, confirmabátque distincta minutim eorum recensione quæ in Collegij atrio, & scalis viderat.

Admissus est Hispali adiutor laicus in Societatem, vt vero solet bonum absens quæri ardentius, quam partum seruari, sensim intepuit prima illa in Deũ pietas, vt necesse fuerit iuuenem vltra legitimũ biennium probare, priusquam

quam votorum nuncupatione adscriberetur in Ordinem; qua ille offensus medicina, tanquam iniuria, retrorsum abiit, significatione minimè obscura, religionis solo, quam leuiter hæsisset. Siue autem familiarium oculos non ferens, seu lucri fame, Indiam petere decreuit; & iam cum Nauarcho transegerat, expectabátque proximè conscensurus, cum ecce à tergo transuerberatur pugione; manu, tantum abest inimica, sed eius quem nunquam nouerat: cultus enim, & habitus similitudine errauit in eo homicida, capitalem falso hunc esse arbitratus, quem repositum animo gerebat inimicum. Adest extemplo confessarius cum chirurgo, plus ille necessitatis inuenturus, quam hic spei: confessionis, & viatici sacris mysteriis procuratur; tum ad medicationem venitur vulneris, cuius vbi locum, & altitudinem explorauit chirurgus, facilè intellexit nihil sibi quod illic ageret restare; ne tamen nihil egisse videretur, vt postmodum fassus est, albumen plagæ illitum adstrinxit, & Sacerdotibus animandum ad mortem Christianè obeundam reliquit. Inter hæc infelix nimis gnarus ferrum longè alia vibratum manu, ab ea quæ vulnus fecerat; totus erat in culpanda sua, lugendáque volubilitate, cuius præter acerbissimum dolorem, & pœnitudinem nullum caperet fructum, iam iam moriturus. Se quidem si vitam, diuinæ bonitatis miraculo retineret, iurabat illam Deo & Societati in perpetuum redditurum. Ad hæc S. Ignatium quamuis seriùs agnitum, patrem nihilominus appellans, mira polliceri seruitutis æternæ obsequia; rediturum se domum mercenarij, ac mancipij titulo, non filij iure; indignum se tam dulci nomine; flens, dolens, supplicans, noctem illam traduxit quæ illi suprema credebatur. Dedit sanctus precanti aures propitias, flexúsque misericordia, non vitam modo seruauit morienti, sed repentinam contulit sanitatem; mane de illa mortifera, altéque dorso infossa plaga nihil comparuit præter inductam cicatricem, testem vulneris persanati. Hac duplici animæ, & corporis valetudine donatus, ex promissi fide, Societatem diuturnis tum precibus, tum sui experimentis repetitam, tandem obtinuit.

XXXVII. *Dolore capitis, & oculi liberatus.*

Bartholomæum Contestium Maioricæ chirurgum discruciabant capitis dolores tam feri, & crudeles, vt amentis instar volutaretur humi, & rabie percitus videretur: alterum deinde oculum inflammatio vrebat tam intolerabili tormento, vt (quod postea iuratus asseruit) chirurgi sodalis peritissimi operiretur in vrbem reditum, ad eum radicitus eruendum; tenebris interim conclauis inter defectiones animi se clausum tenebat, lucem quamlibet tenuem deuitans, quòd sanum etiam oculum ex affecti consensu vexaret. Illic nescio quis officiosus consolator, mœrentem inuisens. spem facit leuaminis de cœlo, narrat quantis S. Ignatij gloria clareret miraculis, nominatim vero applicitum subscriptionis chirographum, quàm præsens esset morborum medicina. Mittit absque mora qui enixè rogent vt ad se deferatur; curritur, defertur, & tam præsens secum ac subitum remedium inuehit, vt eo vix in cubiculum illato, omnis planè oculi, & capitis

pitis dolor euaneſceret; in lucem prodit iam oculis gratam, cibum ſumit, quem auerſabatur prius. Beneficij gratias ſancto agit, & noſtris chirographi. Ægrè ab ſe illud amouerat, cum mali prima vis tota denuo repente ingruit; reuocatur de via qui chirographum referebat, recipitur, adhibetur, morbus omnis diſſlatur; quas eaſdem vices toto quatriduo toties probauit, quoties ab ſe chirographum abſtulit, donec tandem illud repetentibus patribus, valetudinis ſecurus reſtituit.

XXXVIII *Simile præcedenti.*

Huic ferè geminum euenit in Colomna Correia item Maioricæ quoad cruciatus capitis, & alterius oculi, quem ſubinde credebat euulſum ſtirpitus; ſed malo inſuper cæcitas acceſſit; cum referente aliquo didicit quod ante biennium in Conteſtio factum narrauimus, impetrato igitur chirographo, adhibitóque ad oculum, cæcitatem vnà omnémque alium dolorem depulit.

XXXIX. *Simile item Romæ.*

Ante hos Romæ iiſdem in morbis virtutem chirographi ſenſerat Olimpia Marina tam immani tormento capitis extra ſe poſita, vt continenda eſſet vinculis, ne ad parrietes caput allideret. Hæc item chirographi, contactu triplici, ſic perſanata eſt, vt è veſtigio, & febris qua detinebatur, & capitis dolor abſcederet.

XL.

Sed adeò multa ſunt hoc ſolum chirographo prodigia diuinitus edita, vt iuſtum volumen poſſint conficere: nam puella cæca Valentiæ, lumen eius attactu recepit; & quidam ibidem ex miniſtris aulæ primariis vertiginem diſcuſſit, quæ poſt ſex menſium irritam medicationem degenerabat in apoplexiam; & Madriti è Societate Ioannes Rojas, torminibus ſtomachi periclitari de vita ſolitus, illius tactu ſic valuit, vt ad confeſſiones in templum ſtatim deſcenderet; & è noſtris item Martinus Gardius, diuturnum dentium dolorem momento diſſipauit; & Domnus Ioannes de Aquilera Toleti Chartuſianus ex neruorum contractione crure altero captus; ac Michaël Gloſiùs S. Martini prope Heſdinium Abbas ex præmonſtratenſium Ordine, brachiorum & crurum parayſi, eiuſdem remedij mirabilitate ſanitatem adepti ſunt.

XLI. *Concionator è Societate egreſſus S. Ignatij chirographo oculum amittit.*

Verum vt alia taceam, quæ habentur in actis ad ſanctitatem Ignatij probandam confectis, vnum addam exempli quam prodigij non minoris. Romæ Sacerdos è Societate concionibus & fama notiſſimus à nobis diſceſſit, abeundi cauſa ex iis fuit, quæ perſeuerantis conſtantiæ iactura puniuntur. Hic anno ſeſquimilleſimo nono, & nonageſimo, altero oculo grauiter laborans, tandem illum amiſit: conuenit illum officij gratia adiutor è Societate, qui S. Ignatij admoto chirographo mira conſueuerat patrare: Optauit ægrotus huius quoque beneficij fieri particeps, cæcoque oculo chirographum appreſſit, ſanctum rogans, vt lucem redderet; ſed euentu rogantis commerita, non preces ſecuto, poſt amotum chirographum, altero etiam quem ſanum habebat oculo, cæcatum ſe comperit, ſancto arbitror id volente, vt ea cæcitas excæcati animi collyrium fieret.

Michaël

XLII. *Ex lapsu moriturus sanatur anno 1600.*

Michaël Hokolzerus in Collegio Sallienſi ædituus campanatiæ turris ex culmine in præceps ruit, & mirum tam alto alliſu non fuiſſe ſubito extinctum: attrito tamen grauiter corpore, capite ſaucio, & emortuis ſenſibus in proximum lectum coniicitur. Chirurgi, vt caput hiare conſpiciunt tot, ac tam lethalibus fracturis, & ex valido afflicti cerebri recuſſu conuelli hominem ſæpius, pluſque vicies breuiſſimo tempore epilepticis affectibus corripi, vitam illico deſperant. Sacro itaque oleo vngitur, magiſque de mortis quàm vitæ præſidiis illi proſpicitur. Succurrit nihilominus Patri cuidam, vt S. Ignatio illum commendaret, cuius effigie capiti iacentis pie impoſita, cum domo vniuerſa quæ tanquam morituro ſuis precibus aderat, eum à S. Ignatio petit, fuitque illicò rata petitio. Redit ſenſuum vſus, monetur ſanctum inuocare; interrogatur num eius imaginem agnoſcat? Ego vero, inquit, hanc probè agnoſco, ſed alia ſpecie, ac multo illuſtrius illum vidi. Quonam autem modo tametſi neſcitur, at ſcitur quamprimum valuiſſe, nulloque in poſterum ruinæ illius ſenſu ſolita miniſteria integraſſe.

XLIII. *Grauiſſimè ægrota viſa S. Ignatij ſanatur anno 1598.*

Reffredam Floſiam Duaci in Belgio natam, morbi diuturnitas vix iam curabilem fecerat; cumque indormiſſet, duos videt in ſomnis Societatis cultu Sacerdotes, quorum alterum ſatis norat Maximilianum Capellium, quo dum is viueret, à confeſſionibus vſa erat; alterum quis eſſet ignorabat. Maximilianus accedens propius, vides, ait, iſtum qui mecum huc venit, is eſt Pater Ignatius, proin ſi quid eſt quod à Deo velis, illo vtere precatore, certóque, quid vis impetrabis? Hic virgo pridem S. Ignatio imprimis addicta, reſpondit ſe tantum optare temporis, quantum ad componendum negotium ſat foret, quod alioqui ſe tunc moriente peſſum ibat. Quæ dum diceret attendebat defixis oculis, ecquid optatis Sanctus annueret. At is placido vultu, & ſilens annuit, manúque bene adprecatus abceſſit. Excitata Virgo talique ſomnio mirè læta, multo effuſius gauiſa eſt cum ſe voti compotem aduertit, lecto enim ſurgens inopino conſpectu familiares territauit; quoad recenſita miraculi ſerie, cum iis Deo & & S. Ignatio laudes meritas perſoluit: ipſa non modo conualeſcens, ſed primis viribus redonata, domeſticas operas repetiit.

XLIV. *Nauis manifeſto naufragio eripitur. anno 1601.*

Soluerat nauis S. Thomæ Philippinas verſus magno militum, & vectorum numero, inter quos nonnulli è Societate. Poſt duorum, & ſexaginta dierum nauigationem, comparet terra quam arbitrati ſunt nautæ caput ſpiritus ſancti eſſe. Hanc tempus obortis nebulis per obſcurum oculis eripit; inde mari torrente in incertum abrepti, deferuntur in locum ſcopulis, præterquam à puppi circumſeptum, ex quibus nauis, duabus iiſdem quà ſe induerat faucibus, nulla velorum, & venti diſpenſatione, eximi potuit, pertinaci aura ſemper in ſcopulos ad certum naufragium repellente. Nox inter hæc ingruens, in anchoris, ad metum; in votis ad Deum exigitur, iamque illuxerat, cum tempeſtatis aucta violentia proximum exitium indicebat. Quare datur tormento ſignum ad reuocandum nauigium quod plagæ explorandæ

randæ causa dimissum fuerat, vt posset naufragis subsidio esse. At hic, nauis Prætori, Antonio Maldonato Riberææ, cogitatio incidit, eius in cultum S. Ignatij præclarissimo studio mirè quadrans, implorandi nimirum ipsius auxilij tum vt atrox discrimen discuteret, tum quantâ esset in cœlis gratiâ palam incredulis faceret; pridiè siquidem de sanctimonia illius, nondum videlicet Beatis adscripti altercatio fuerat, & quantùm ad aliquos minus honorifica quam deceret. Vt autem constaret gratiam quæ postularetur, eius beneficio deberi, rogauit vt horis ante meridiem duabus, ventum, qua valebat apud Deum potestate mutaret, quo possent iis defuncti scopulis portum tenere incolumes. Supererant quatuor ad dictam decimam tantùm horæ; quidam è Patribus, temoni S. Ignatij imaginem appendit; atque illa omnino quam Prætor statuerat decima, tantum ventus remisit, quantum definite opus fuit ad explicandam nauim ex illis faucibus, implicandam prorsus nautarum iudicio, in alios scopulos, si quauis alia venti mensura veheretur, sic salui, læti, & alacres portum breui tractu optatum attigerunt.

XLV. *Ex lethali vulnere sanatur.*

Transibat Mediolano Philippus Lopesius Villanouanus, vbi iurgatus cum quodam sibi noto, etiam ad manus venit, ac dum colluctantur, detractum ille Philippo pugionem sub eius mamilla defigit, inter nonam & octauam costam. Increuit vulneri febris ingens, pulsus durities, & sudor frigidus cum deliquio spirituum, & ægro anhelitu: chirurgus plagam palmi altitudine metitur, & tàm ipse cum perito sodali, quàm medicus, ex communi examine non plus ei vitæ, horis quadraginta restare pronuntiant. Iam quidem peccata expiarat apud Sacerdotem quem primum necessitas obtulerat, sed quod Castellanè non satis caperet, ne quid resideret animo scrupuli Sacerdotem acciuit è Societate, qui postquam audiit confitentem, plurimum suasit, vt in patrocinio S. Ignatij vitam deponeret, peterétque ab eo seruari, si è re animæ futurum prospiceret: morem saucius gessit, vouítque se ad eius sepulchrum, si sanus euaderet, donarium ex argento missurum. Quibus ita peractis febris ponit; redit spirandi facilitas; vulnus postridie, bolidem vix vno digito admittit; quod suspicati medici ex tumore ortum, futuri abscessus prænuntio, noua consilia distulerunt quoad clarioribus indiciis docerentur. Sed erat hæc conglutinatio, non tumor vulneris, quod intra quartum diem cum planè coiisset, septimo ægrotus lecto se expedit, nono iter quod cœperat in Belgium repetit.

XLVI. *Quadrimus puer Varsauiæ sanatur anno 1611.*

Fuit Stanislao Philippouizio Varsauiæ proconsuli quadrimus filius Hiacinthus vitæ ex morbis conclamatæ, cuius in momenta mors expectabatur. Auctor fuit matri Sacerdos Canonicus, ferendi puerum in Societatis templum, nuncupandíque pro illo ad S. Ignatium voti. Paret pie suadenti mater, patre licet admodum repugnante, quòd moriturum prius crederet filium, quàm ad templi fores ventum esset. Verum longè secus quam metuerat euenit; tulit puerum mater, toto sacri tempore coram

S. Ignatij effigie sustinuit brachiis, flens sancti suffragio commendauit: peracta re sacra, sic sanum deprehendit, vt impositus altari, per se in pedes consisteret, quod piæ matris acerbas lacrymas gratulatoriis mutauit.

XLVII. *Paralytica sanatur.*

Annam Barcelloniam sexagenariam, ea biennium tenebat paralysis, vt gressum nisi misere se trahens, & fulciente aliquo, non moueret. Huic interuenit apoplecticus affectus, & intercluso medio corpore, lecto affixit immobilem, ad hæc sæui dolores partem apoplexi superstitem, ita cruciarant, vt toto octiduo oculos in somnum non clauderet. Nihil ergo deinceps humanitus ab hominibus expectantem, adegit necessitas eò fidentius ad S. Ignatium confugere, ac inuito licet membrorum stupore, obstinauit animum per se illi se sistere, confisa illum haudquaquam passurum, vt domum inanis rediret; nec eam sua persuasio fefellit, adminicula sibi tot adiunxit, vt exiguum illud quod intererat spatij ab suis ædibus in templum nostrum, duabus horis demum confecerit. Ibi sancto promittit, nouendialem precem, sacrum vnum, cereum anathema, confessionem peccatorum, & in eius sacello sacræ Eucharistiæ sumptionem. Votum ediderat, & miratur se repente sanari, reuiuiscit, excussisque tot morbis domum redit absque adminiculo sola; postridie integrè iam valens, templum repetit liberatura promissi fidem.

XLVIII. *Crure capta repente sanatur.*

Est Manebrega Hispaniæ oppidũ duabus ab Calataiude leucis, illic in æde curiali Valerius Piquerius è Societate per quadragesimam concionatus est anno 1623, cumque in templi sacrario animaduertisset S. Ignatij tabulam, stantis & caluam mortui altera, librum manu altera præferentis, rogauit eam in templum transferri, & ad publicam venerationem in sacello reponi. Quod solemni ac frequenti pompa die altero paschæ peractum est, verba fecit ad populum pater de sancti laudibus, & miraculis, eius deprecatione impetratis. Quibus in eius fiduciam ex iis qui aderant mulier, accendi se sensit: erat hæc Hieronymi Ladronij Gueuarensis vxor Mariæ Gasconiæ nomine, & crure altero deformiter claudicans, procedere tres passus non poterat nisi aliquo sustentante. Promisso igitur se S. Ignatio obstringit si valetudinis optato se dignetur bono, ex templo miraculum voce contenta vulgaturam. Vix precationem votumque clauserat, cum enodari pes, laxari producique nerui, ipsa consurgere, staréque in pedes tam firmiter, vt si nunquam iis fuisset affecta. Voce ergo quantum potest elata mixtis præ gaudio lacrymis Miraculum inclamat, procurritque ad sacellum festina in quo sancti effigies locata fuerat, stupente populo, quam dudum viderat incessu priuatam momento valuisse.

XLIX. *Brachio capta persanatur.*

Nouitatem rei spectabat Maria Parientia Alfonsi Boëssij coniux, & liberalitate permota S. Ignatij, tantulis precibus tanta indulgentis; eadem qua prior conditione ausa est petere læuum brachium sibi restitui, stupore emortuum, & medicatione chirurgorum, quam suopte malo deterius. Auditur precantis fiducia, ex crepitu ossium, & peruadente brachium vigore insolito sanari se sentit, experturáque rem brachij motu, vbi valens

&

& viuidum deprehendit, assurgit, & absque dolore illud circumagens, inclamat & ipsa, se Sancti Ignatij inuocatione ac miraculo persanatam.

L. *Visum prope caca perspicacem recipit.*

Nec huius diei beneficentia, hic finem habuit. Mariæ Sanctiiusiæ ad cæcitatem nihil deerat præter extinctionem tenuissimi luminis quo solum admota propius, tametsi confusè, & quasi per nebulam cernebat. Sibi hæc etiam integram visus facultatem à sancto petiit, seque rem sacram in eius honorem semel curaturam; & exorauit confestim quod rogarat. Velut enim quiddam euelli sibi ex oculis visum est, quos in diuersa repente coniiciens eminus, cominus probauit esse vbique perspicaces.

LI. *Multis diuturnis, & grauibus morbis implicita sanatur.*

Excellit tamen in his Munebregæ diuinitus gestis, Bernardæ Benediddiæ Philippi Gomesij vxoris sanatio. Nam cum esset annorum duorum, & triginta, postremos octo cõflictata fuerat tot malis, vt prodigio haberetur quod viueret. Brachium vlcere, pulmo tabe, pectus plaga languebat, ore sanguinem purulentum mittebat sæpius, cruciatibus stomachi acerbissimis torquebatur, iamque sexennio quicquid cibi sumpsisset, reiectare post paulum cogebatur. Ac demum subinde patiebatur animi periculosa deliquia: huic erat filius adolescens, qui edita illic quæ dixi prodigia, quorum & ipse spectator fuerat, matri referebat, rogans confidenter & supplicans, vt se quoque vellet in beati sacellum, quocumque tandem modo importari, vbi cum aliæ vsque adeò facilè fuissent morbis expeditæ; multo procliuius id esset adeptura quæ grauius aliis, & miserabilius laborabat. Verum mulieri deferri ad templum, quasi efferri ad tumulum videbatur, ita erat viribus destituta, sed eius interuentu Valerij, à quo imaginem S. Ignatij narraui sacello illatam, erecta est in spem remedij, edocta est opem ex eo quærere, applicitas sibi eius reliquias reuerenter excepit, marito simul nouem sacra vouente ad sancti altare celebranda. Ipsa voluntate quam potuit maxima, eius apud Deum merita implorauit. Atque hic illam subitus occupat animi defectus, & toto corpore ingens sudor. Post quem restituta exclamat, salua sum prorsus, & morbo plane omni soluta; lectóque mox surgens, & valida, eo ipso die, in S. Ignatij sacellum se confert valetudinis ac vitæ meritas gratias professura.

LII. *Puella mortua vita redditur.*

Aliquanto post hæc admiranda, in pago, cui Pardo nomen, duodennis puella ex profluuio sanguinis diem obierat. Flebat mater dolore confixa coram S. Ignatio, flagitans vt suam, hoc etiam in filiæ casu, potentiam celebraret, nec enim illi operosiùs futurum mortuo vitam à Deo obtinere, quam membrorum officiis capto, restitutionem. Horas iam quatuor iacebat mortua, cum ecce vocem appellantis se, mater excipit, Viuo, inquit, mater, S. Ignatius me vitæ reddidit; surgénsque, non modo sanitate, sed plenis viribus donata, paulo post ad oues pascendas rediit.

LIII. *Infans mortuus suscitatur.*

Neque huic vni puellæ mortuæ, vitam S. Ignatius exorauit; Munebregensis Medici filium fere adhuc trimestrem, offula ex vino præfocarat, dabátque iam parens de illius funere mandata, ex opposito mater eius vitam ab Sancti Ignatio reposcens, infantem oleo liniuit quo lampas in

eius sacello lucebat, statimque infans, fletu vitam rediisse testatus est.

LIV. *Miracula centum & eo plura mensis vnius spatio Munebregæ patrata.*

Sed hæc, gesta dumtaxat Munebregæ, extra modum ferantur si velim singula persequi, vno enim tantummodo mense supra centum illic, virtus S. Ignatij patrauit miracula. In iis paralysi annorum duodecim absolutus; elingui vocem articulare vix vnam valenti explicata est lingua; cæcis quatuor, data videndi facultas, & eorum vni labra exedens cancer extinctus; multis brachiorum, & crurum stupor emortuus, actuoso spiritu animatus; cuidam ex iis pes putridus proximéque resecandus, ad vsum pristinum reductus. Ferunt nihilominus acta illic iuridicè confecta, & scriptis inde relata literis, sanatarum prodigia mentium plura fuisse quam corporum; hominésque sceleratissimos in ipso aditu sacelli, ad aspectum illius imaginis magnoperè permotos; dolore, ac lacrymis emolliri, nec prius egredi, quam confessionis veræ piaculo admissorum conscientiam purgarint. Hæc dum venerabilis fama, vicinis circum oppidis ostentaret, vir pius Calataiudensis quæ spectauerat ipsemet, multa cuidam amico memorabat, sed is amici credulitatem inurbanè, sancti debilitatem impiè illudens, itáne ait, Ignatij miracula Munebregæ? quid potest miraculi præstare tabula? versúsque ad asserem qui magna mole innitebatur parieti, quasi supplicabundus sannio; facere, inquit, Munebregæ dicunt miracula tabulam, fac tu hic item Calataiude ô mea tabula. Mimum vix egerat, cum resiliens è muro, magno impetu asser in eum reuoluitur, & graui pondere caput, corpúsque sacrilegi atterit, condigno sanè precatione illius miraculo.

Irridens miracula S. Ignatij punitur.

LV. *Monialis ex confractis ossibus repente sanatur.*

Isabella Rosellia Barcinone, S. Elizabethæ monialis, annum agens à sexagesimo septimum, lapsa ex edito, coxendicem fregerat, ossibus in schidia comminutis anno 1601. hanc carnificina medicationis per dies quadraginta, vt cruciatibus ita patientiæ merito auxit. Accessit tumor cum acutissimo dolore, aliaque subinde, ac demum amens furor ex quibus omnibus vltra paucos dies non fore in viuis medici affirmarunt. Tota ergo ad S. Ignatium ab inanibus præsidiis conuersa, soluit coxendicis fascias, emplastra proiicit, S. Ignatij reliquias, comminutis ossibus apponit, tertio Pater, & Aue recitat, sancti viri implorans salutarem manum. Postque tam breuem precatiunculam, en ossa committi, & conglutinari, detumescere carnes, dilabi dolor; illa miraculum exclamare, vestes poscere vt illicò surgeret, quod cum facere vetarent moniales, vt nihil iam obstare, vetantes doceret; quod prius sine cruciatu non poterat crus coram expeditè ac facilè mouit. Iusso itaque valere lectulo, & vltro citróque ambulans, parti sanatæ plus inesse vigoris ostendit, quam vnquam affectæ.

LVI. *Desperata curationis Febriens sanatur.*

Ioannes Leida Maioricensis anno huius sæculi quinto, ex febri acuta iacuit tam impotenti stomachi nausea, morbíque augmento, vt fore lethalis primum creditus sit; deinde sanationis expers ob neglectam sanguinis missionem quæ præscripta ægroto fuerat. Verum vt erat in S. Ignatium mirè

mirè pius, audita medicorum sententia, ad superioris medici tribunal prouocat, eius præsidium implorat, post quæ in somnum lapsus, tamdiu placide quieſcit, dum ingenti splendore excitatur, & Anna Blanca! inquit, (erat hæc eius vxor) videsne hanc lucem, & in ea S. Ignatium qui mihi salutem attulit? Ac visum quidem mulier non vidit, sed eius illico fructu gauisa est; surgens enim maritus, seque nullo iuuante vestibus induens in Societatis templum festinauit gratiarum officio pro vita, & valetudine functurus.

LVII. *Adolescens à dæmone cui se tradiderat liberatur.*

Michaëlem Ludouicum nobilem germanum miserat parens in Lotaringiam, vt Gallicam linguam in aula Ducis condisceret. At enim iuuenis præter linguam, mores didicit parum sanos, inter quos ludendi væcors, & impotens libido pænè illi exitio fuit. Amissis enim foliorum ludo quascumque habebat pecuniis, solúsque secum iacturam suam dolens, versabat animo si dæmon pro fictis, vt vulgo facere dicebatur, veros sibi ac notæ optimæ nummos daret, nullam se ab eo conditionem reiecturum. Hæc mente conceperat tantum, cum ei extemplo se sistit æquæuus iuuenis, præstanti gratáque specie, & cultu nobili; cuius tamen etsi elegantis, multúmque vrbani aspectu inhorruit, suspicatus haud falsò hunc esse dæmonem; at is ei arridens, & humerum palpans, homo nihili, ait, quid tute hic metuis? tibine adeò insulsus videor, & ore deformis, vt fastidio sim. Age modo, vide ne tantum argentum an velis? Familiari hoc affatu factus audacior infelix, argentum? inquit, verum cuiusmodi? adulterinum, vmbratile, meo nobilis sumptui indecorum? perbonum dico, subinfert dæmon, sincerum, ac probatum. At scin qua copia? quanta tibi lubitum fuerit. En, & manum pecunia onerans, vide, examina, vtere ac si qualem tibi ego illam præsto probaueris, redi vt de cœtero condicamus. Hac instructus pecunia, sodales reuisit ludo adhuc immersos, ludum instaurat, iacturam resarcit quam fecerat, nummis omnes exhaurit, redítque alacer quo illum hostis opperiebatur, qui obuiam misero procedens sumne, inquit, iam verax, an non? nummi ecquid veri ac boni? imò optimi ait adolescens. Alterum tantum vtinam habeam: alterum tantum? dic sodes, velim, in promptu fuerit; subdit dæmon. Sed tu mihi vicissim quid dabis? Excusanti egestatem in præsens Michaëli; deest tibi, vrget cacodæmon aliquid sanguinis? non potes mihi quatuor stillas dare? prehensáque eius læua nullo sensu doloris, visus est musculum brachio eximere, & inde guttas sanguinis aliquot putamine glandis excipere, porrectáque carta, & calamo, scribe, ait, dictátque caracteres omnino decem, quorum in huius miraculi tabulis formam vidi, suntque maximam partem græci, sed nullum quod quidem significet vocabulum componunt. Multo vero plures iussit altera in carta scribere prioribus similes. Post hoc, tua esto, inquit, hæc cartula, eamque inseruit vulneri ex quo seu duxerat, seu visus erat musculum ducere, idque momento ita copulauit, vt vna eius appareret cicatrix. Pergénsque porro. Vi huius cartulæ, quæcumque ait

optaueris, à me feres, quodcumque iusseris impetratum, & factum putabis, idque per solidos septem annos, quibus expletis meus futurus es, id enim hac altera in carta quam penes me seruo, tuo chirapho promittis. placétne tibi conditio? ad hæc altum suspirans inconsultissimus iuuenis, assensit nihilominus, móxque dæmon eius se oculis abstulit. Postridie tamen, bene matutinus, ad eum reuertit, suasitque quarundam precularum quas consueuerat recitare, deinceps morem omitteret, pios quoque ex eo libellos quibus vsus fuerat emunxit, vt possimus, aiens, frequentius inuicem, maiori consensu, & alacrius agere. Exin vaferrimus adolescenti diu noctu adesse, famulari qualibet specie, quacumque in re voluisset, docere illum maximè curiosa, sed nunquam non pessima, nouos illi quotidie flagitiorum modos, ac figuras describere. Iamque condicti septennis bona pars fluxerat, attigerátque ætatis vigesimum, cum domum à patre reuocatur, expectante ab aula filium liberaliter institutum, nec generi suo indecorem. At heu! nihil eo turpius, nihil profligatius, pauci menses tempori deerant quo se dæmoni manciparat, & quà eius impulsu, quà detestabilis conscientiæ furiis se ipse desperans, cœpit absona quæuis, & alienissima tentare, sed semper sceleratissima: nam parentem vtrumque venæno petiit; igne castrum paternum; etsi neutrum Deus licere dæmoni voluit, à quo ille magicum puluerem ad hoc acceperat; vt nec miserum fuit manus sibi violentas inferre, bis enim laxata in pectus catapulta, ignis vltra fomitem non iuit. Quæ postrema hominis rabies, calamitatis execrandæ quam mente premebat, inditium fecit: sororibus si quidem furioso adstantibus, ne idem tertiò in se nefas tentaret; alteráque earum rogante cum lacrymis, vnde illi tàm demens, & abominandum consilium? quive illius aut mœror, aut timor tantus, cui non posset nisi morte occurri? breui fore respondit quod tunc confectum voluerat; non esse penes se, vt secus faceret, aut secus viueret. Quibus mater summatim acceptis, rescire ex eo particulatim singula voluit, nec sine deliquio animi audiuit. Sed cum esset Suuefeldianæ hæreseos, induisséque in eam filium, eius magis lamentabatur vicem, quam vera remedia requirebat, donec die quodam vidit coram, illum à dæmone corripi, retortóque in tergum corpore, in glomum reuolui, vt medium rumperet, accurrénsque tunc Deo commendauit, tandem vero coacta religiosis hominibus curandum tradidit, quorum ille fastidio nauseam simulans, breui Eistadium aufugit, sceleratius quàm ante victurus. Verum à germano Herbipolensi canonico retractus, tutóque vinculis adstrictus, Molshemium ducitur, committitúrque Societatis patribus, omni ope iuuandus, quam tunc illic S. Ignatius se liberaliter impertiri multis prodigiis testabatur. Quare hinc cruenta bestia prospectans, dolénsque prædam sibi è faucibus abstrahi, dici non potest, quot minis, quot ludis, quanto terrore, & artibus, eam asserere contendit: incursabat iuuenem leoni nigro nunc similis, nunc aliis feris, tanquam in frusta discerpturus;

quibus

quibus perterrefactus, & vociferans miser in patrum brachia procurrebat; ac licet præter illum nemo spectra hæc cerneret, quandoque tamen rugitus, ac fremitus dæmonis etiam alios percellebat. Curationi fecit initium totius vitæ confessio seria, cui apparandæ præmissæ sunt aliquot ex primis Exercitiorum meditationes: sed malignus hostis à patribus, & iis quæcumque suggerent, tam auersum adolescenti animum iniecit, vt eorum conspectum pro supplicio odisset; ac si mentem interdum applicaret meditationi, occinebat in aurem continuo dæmon ne se iis cogitationibus maceraret. Forma demum syluestris hominis pilosa reuersus, perpulit aliud syngraphum fingere priori conuento geminum, & in obuium locum proiicere, vt eo facilè inuento, restitutum à dæmone, verum syngraphum putaretur, & pacta pro irritis dissoluta, libérque in posterum amitteretur à patribus. Subodoratus dolum famulus qui perpetuo lateri hærebat, Rectorem monuit, & acri obiurgatione, adolescentem Rector ita confirmauit, vt confessionem denique integrè pararet, ac rite obiret, at quanto suo cum sudore? ad vsque subinde intercluſi animi defectum, ob simulacra formidabilia, & insultus feros, quibus illum exagitabat dæmon: sed iteratis crebro exorcismis, aqua lustrali, & feruidis ad Deum precibus, confessioni finem qui optabatur imposuit, ex quo mirificè refectus, magnos sibi animos addi sensit ad impugnationes dæmonis frangendas. Inde in sacello S. Ignatij, imploratóque illius auxilio execrationes sacræ instituuntur in dæmonem, vt adigeretur insertum manui detrahere syngraphum, & alterum quod sibi retinuerat reddere. Ad hoc dies dictus Octobris duodecimus, ad quem se iuuenis cum spontaneis pœnis, cilicio, flagellatione, inedia armasset; Rector de S. Ignatio sacrum fecit; iuuenis testibus externorũ, & Patrum plurimis, Catholicam fidem sanctè professus est; eiurauítque pactum omne cum dæmone initum, ac vtrumque sua scriptum manu Rectori tradidit, à quo altari impositum, Deóque oblatum. Post hæc sacra hostia confirmatus, horrendum in modum expauit, & consternatus, ac tremens, proclamauit, duos sibi terribiles hinc inde ad latera dæmones adstare. Corroboratus aduersus hunc metum, peractáque re sacra liberatus est à portentoso illo spectro abactis ab eo dæmonibus repetitione exorcismi, & S. Ignatij inuocatione, qui lectus potissimum fuerat ad vindicandam suo præsidio miseri iuuenis libertatem. Spectri porro quo exterritus est figura hæc erat: stabant vtrimque ad latus altaris duo specie caprorum ingentium dæmones, in posteriores arrecti pedes, anterioribus quisque inter vngulas, vnum tenebat ex singraphis, quæ sacra imprecatione repræsentare cogebantur: iis ergo in fugam compulsis, cum eæ cartulæ quærerentur, ecce tibi ad pedes exorcistæ breuior illa comparuit, quam iuuenis manui inditam diximus, cuius agnitu lacrymans, & eo lætior quo læuam intuens, vnde sine sensu reuulsa fuerat, animaduertit illam quæ ab initio hæserat productiorem cicatricem sic euanuisse, vix vt eius exile vestigium cerneretur. Supererat alia necessariò dæmoni extorquenda,

quenda, instaurantur quæcumque ad recipiendam priorem adhibita fuerant pœnæ, professio fidei, eiuratio dæmonis, exorcismi, S. Ignatij merita, & votiuum de illo sacrum, ac diuini epuli sumptio, sub quæ grandis ciconiæ deformi corpore adest dæmon, minore tunc inuenis iam diuinitus confirmati, quam exorcistæ spectantis metu. Syngraphum alterum rostro bestia sustinebat, quod precibus ad S. Ignatium ardenter, & crebro iteratis, velut sibi excidere passa est, statimque conspici desiit. Curiosius humi diu frustra quæsitum in altari tandem comparuit, eo ipso loco vbi eiurantis dæmonem iuuenis, chirographum fuerat à Sacerdote repositum. Hinc Deo, Ecclesiæ, ac sibi redditus adolescens, suæ post Deum libertatis S. Ignatio debitor, Christianè deinceps vitam instituit.

LVIII. *Certo exitio à S. Ignatio apparente ereptus.*

Noctu cœlo pluuio, & obscuro Ioannes Luzzanus Olbesiensis plaustro vehebatur, cum aliquot itineris sociis, venerátque ad locum, Turriculæ nomine, præcipitem, & angustum. Quare deflectens in prærupta plaustrum, ruinam traxit in subiectum solum altitudine hominum trium. Ioannes cadens exclamauit; ades S. Ignati! Quod autem solutum allisu vehementi plaustrum Ioannem operiret, obtritum comites putarunt, accurrerúntque ad illum inde extrahendum, sed præter improuisum metum, nihil ei acciderat; nam quem in auxilium vocarat, adstiterat iuuantis habitu, atque ipsas quoque in heri gratiam seruarat mulas.

LIX. *In partu periculoso præsidium.*

Fuit Victoria Delphina Laurentij Altierij nobilissimi Romani coniux: ad hanc partui vicinam anno huius sæculi tertio vocatus est è nostris Sacerdos, confessionem audituras, & adfuturus morienti, nam defectiones animi crebræ, suspirioſi anhelitus, & profluuia sanguinis immodica, mortem instare nunciabant. Perfunctus officio confessarius, imaginem illi S. Ignatij protulit adhortans plurimum, ad salutem ab eo certa cum fiducia sperandam: illa imagine reuerenter accepta Sancto Ignatio vicem suam ex totis præcordiis commendat. Sacerdos maritum afflictissimum consolatur, qui eo auctore vouet de sepulchro S. Ignatij ter pie adeundo, Eucharistia sumenda, religioso donario affigendo; quod votum ægrota ratum etiam habuit; Pergebant interea defectiones cordis, virium, sanguinis etiam ad triginta libras, credebatúrque obitus imminere, at confidentior affirmabat confessarius, rem propterea in extrema deduci, vt esset miraculi euidentia clarior. Nec vero illum fefellit opinio; dum enim nostri ex veteribus erga nos domus illustrissimæ meritis, ægrotantis periculo solliciti S. Ignatio supplicant, sensim illam inuadit partus dolor, cessant animæ deliquia, vires instaurantur, intra horæ dimidium, partum edit solito grandiorem, & mortuum, sed viuorum more præmisso capite effusum; & contra quam virium, & sanguinis ferebat iactura, hoc vno se ex partu ægrota robustior & expeditior, quàm ex vllo antea recepit: quod miraculo factum qui iacentem curarant testati sunt medici Marsilius Cagnatus, & Angelus Victorius. Ipsa virtutis tota Roma perspectæ, multas deinceps vitæ horas, quam S. Ignatio acceptam ferebat, ad eius sepulchrum quotidie orando expendit.

Mariam

LX. *Partus item fortunatus.*

Mariam Hieronymi Barardi vxorem Maioricæ partus difficultas iam quatriduum cruciabat, & cum medicis obstetrix, actum de illa censuerat quòd vires iacenti deessent, ad fœtum mortuum expellendum. Afferuntur ad illam sanctorum reliquiæ,& in iis brachium S. Leonardi, ad emerendam illorum gratiam,sed hanc Deus S. Ignatij gloriæ cedere voluit:inferente sermonem nescio quo de fortunatis ab S.Ignatio partubus,accersuntur mox è Collegio aliquæ illius reliquiæ, quas cum religioso affectu sibi imposuisset parturiens, mortuam post paulum eiecit puellam, conglobato, & putri iam corpore, ex quo tamen vtroque nihil planè accepit detrimenti.

LXII. *Mirabilius precedenti.*

Mirabilius aliud Carpentoracti in comitatu Veniesino factum. Matronam nobilem, diuturni iam partus torquebant dolores cum manifesto vitæ discrimine: agebatur dies S. Ignatij quem canonicus, iacentis cognatus, piè veneraturus collegij templum adierat. Illic forte oculos coniicit in votiuam ex partu tabulam, visus sibi est doceri cœlitùs de ferendo, cognatæ remedio: ad eam accurrit, iubet illi suo nomine inculcari, vt spem suam omnem in S. Ignatij precibus locaret: morem gessit suadenti, & peperit, sed deformem, monstrosum, sine sensu, ac motu fœtum, nec satis liquido sacri fontis capacem. Fore tamen haudquaquam mutilam S. Ignatij gratiam, confisus canonicus, qui nostrum in templum reuerterat, sed æquè filio vt matri liberalem; per se ac nostros precando vrgebat, vt beneficio materno infantis sanitas cumulum adderet; cum adest lætus qui domo nunciat insperato reuiuiscere infantem, & incertum quo modo pulchellum euasisse. Ita preces gratulatio excepit, & pij canonici aduersus S Ignatium mirè creuit religiosa fiducia. Foret mihi scriptu difficile periculosos partus numerare quos S. Ignatius suo beneficio fortunauit, & parentes quibus liberos impetrauit, vtrimque Deo magnificè serui sui gloriam propagante. Habuit vrbes quædam vel ab eo subscripta literis chirographa, vel ex eius reliquiis aliquid, quod in occasiones huiusmodi fere perpetuo circumfertur, cum manifesto, & prodigioso diuinæ opis auxilio.

LXII. *Moribunda S. Ignatij viso sanatur.*

Leccij anno 1594. Patientiæ Simoniæ ancilla crudelem in modum, ex renum incendio torquebatur, excreabátque iam triduo cum pure sanguinem; his acuta interuenit Febris qua in delirium, & in extrema redacta est: iamque illi funebria parabantur, cum heræ succurrit experiri S.Ignatij preces, & merita, detractis sibi eius reliquiis frontem, & pectus ægrotæ consignat, fusisque pro illa ad sanctum precibus lecto reliquias appendit. Post quæ in somnum, quo pridem caruerat ægrota soluitur, videtque in somnis venerabili aspectu virum è Societate, à quo iubetur valetudinem à Deo postulare, futurumque omnino, vt eam reciperet. Fecit, vt poterat quod imperabatur: at intulit sanctus; heram tuam moneto, vt de mea veste quod tenet in scrinio frustulum reuirentius habeat. His occupatam audiendis cernendisque excitauit conserua, negotioli cuiuspiam causa, cui

illa magna voce parcat tibi Deus, inquit, somnium abstuliſti, quo nullum videram in vita iucundius. Quamuis prorsus haudquaquam somnium ſit, re ſiquidem vera ſum ſana, & valeo, lectóque mox ſurgens, viſa, & audita heræ ſuæ narrauit. Segmentum veſtis fruſtra diu alibi requiſitum in ſcrinio, vt Sanctus monuerat repertum. Ex quo licet coniici potuit quis mortem ab ægra morbúmque depuliſſet, multo euidentius cum S. Ignatij obiecta ſibi effigiè, illicò agnouit eum ipſum eſſe quem dormiens viderat, fuítque illius cultui dum vixit maximè addicta.

LXIII. *Transfuga à Soc. & pœnitens, ſubito ex peſte ſanatur.*

Ionas quidam Sacerdos Germanus; è Societate, ad Treuirenſis Archiepiſcopi obſequium transfuga, peſte correptus eſt, licet eius vitandæ gratia in arcem ſeceſſiſſet: illic vna eius vicem dolente anicula, omni præter illam ſubſidio, & acceſſu priuatum, ſubinde vis morbi ſibi eripere, ſubinde reddere obiectaréque miſero infeliciſſimum corporis, & animæ ſtatum, cuius vtrobique remedium deſperans, manum ſuomet iugulo violentam intendit; remque peregerat, niſi anicula cultrum inſano abſtuliſſet, prohibere tamen non valuit, quin ſe daret è feneſtra præceps in ſubiectam ſaxorum congeriem. Illic graui afflictum, & attritum caſu, diuina bonitas, vitæ improbæ, mortiſque ſceleratæ horrore perculit, auſúſque ad læſum, & deſertum patrem oculos tollere, S. Ignatio omni fide promiſit, ſi hoc defungeretur exitio, Romam ſe pedibus ad Franciſcum Borgiam iturum, deſertionis ſacrilegæ exſoluturum pœnas, & repetiturum infimis precibus Societatem ex qua profugerat, qua ſi indignus haberetur, ſerui ſaltem perpetui miniſterium domi patribus nauaturum. Hanc promiſſionem cum lacrymis editam conſecuta eſt ſubita valetudo, cui nec de confracti corporis obtritu, nec de peſtilenti, qua necabatur lue quicquam ſuperfuit; paulóque poſt Romam cum Franciſco Coſtero, ſoluturus quod vouerat contendit.

LXIV. *Colico, & calculi dolore liberata.*

Elizabetham Calderoniam, colica tormina, & calculi rabies ſic diſcruciabant, vt ſæpius anima deſtitueretur, caſſiſque iam medicaminibus fere malis confecta putabatur. Huic ſoror, nomine Maria, S. Ignatij imaginem obtulit, ſuaſitque vt eius inuocatione plurimum niteretur. Illa; ô beate Pater Ignati! qui tot ac tantis Gandiæ ſplendes, & clares miraculis, mihi quoque exorabilem te præbe, in te mea omnis ſpes recumbit. Voueo me ſi conualuero, altare tuum nouendiali prece frequentaturum. Poſt quæ dicta confeſtim, dolore omni, quo tunc cruciabatur acerrimo, immunis, noctem totam tranquillè dormiuit, mane abſque vllo punctionis ſenſu inopinatò calculum eiecit è renibus, ſanaque ac vegeta in templum noſtrum venit, actura gratias, votíque fidem præſtitura.

LXV. *Hydropica in ſpecu Manreſana ſanatur.*

Agnes, Ioanne Tibaldo Manreſæ nata, anno huius æui tertio, in dolij modum, vt teſtes loquuntur, hydrope turgebat. Huius longa per annũ & violenta, ſed inanis plane curatio medicos adegit ab ea abſiſtere. Fuit qui Matri auctor eſſet, portandam iuberet in ſpecum S. Ignatij qui ſe tam facilem in audiendis precibus inuocantium præſtaret. Paruit mater, & vicinas quinque

ſibi

sibi socias adiunxit: quibus flexo genu, puellæ salutem efflictim rogantibus, visa est inflatio paulatim discuti, mutari color, virtus, & habitus membrorum reparari, dum tandem haud multo post, pristinam integrè recuperauit sanitatem.

LXVI. *Viso S. Ignatij animo, & corpore sanatur morti proximus.*

Incunte hoc sæculo in morbum incidit Vicarius Auenionensis, vir quidem à puero Deiparæ Virgini, & S. Ignatio mirificè addictus, sed qui occalluerat viuendo solutiùs, aduersus assiduos instinctus Dei acriter admonentis: cum ergo medici iam arti diffiderent, ille maiori fiducia, multisque lacrymis pro vita Virgini supplicare, commemorare illi sua erga ipsam obsequia, mores in posterum emendatos, sanctissimè spondere. At hic Virgo, importunam magis inuocantis audaciam auersata quam exorabilis, oranti adstitit, vultuosa, & exprobrans obstinati duritiem pectoris, delusas eatenus diuinæ clementiæ motiones, inanitatem promissorum; quæ tunc ab eo, mortis exprimeret timor, non desiderium vitæ melioris, quæ autem memorabat officia, ex impuro, & contaminato animo profecta, nec sibi placuisse, nec ab se admissa, nec mercede, aut gratiis digna. Quibus dictis vehementer confusum, & mortis securum, ad parandam illam serio intentum reliquit Sacerdotem vocat è Societate, vitam à principio orditur retexere, iamque promouerat cum accessione insolenti, deliquio cordis, & mentis conturbatione inhibetur. Illi dum solus cum febri luctatur, adest denuo Virgo Parens, vultu quo prius iratæ similis, sed S. Ignatio flexis ad pedes ipsius genibus, prostrato; Filio vero tam prope adstante vt lateris vulnus, sua ipsa manu contegeret. Quod ægrum acerbius quam quiduis antea perculit, interpretatum fontem misericordiæ sibi à Virgine obstrui, etsi alioqui S. Ignatium pro se audiret ardenter deprecantem. Erant autem illius eiusmodi preces, & fideiubentis hæc intercessio, fore illum à primo diuersum penitus, vita sanctiorem, exemplo spectabiliorem, quibus veluti expugnata iam se virgo ægroto præbuit mitiorem, & interrogauit, si condonaretur ei vita, quo pacto esset ea vsurus? Ille flens ac tremens ô Domina! quidquid meo nomine fideiussit, sponsor meus Sanctus, fidelissimè præstabo: ad hæc virgo immersam Filij lateri sacram manum, intinctam viuido sanguine eduxit, quo cum ægrotum inunxisset, visi totius theatrum euanuit. Ipse non modo extra periculum, sed omnino sanus ex eo remansit: inde vitam exorsus est qualem spoponderat viuere ac fideiussori patrono suo gratus, totam rei huius historiam Rectori Collegij scripto dedit, cumque inter beatos, nondum Ecclesia Ignatium adlegisset, petitam ipsius tabulam populo colendam exposuit.

LXVII. *Ignatius adhuc viuens, morituro vitam à B. V. exorat.*

Nec vero tunc primum Ignatius clientum suorum periculis impenderat gratiam, qua summa pollebat apud cœli reginam; fecit hoc etiam dum in viuis esset, eo euentu, quem is ipse cui contigerat legitimo suo testimonio describit. Erat is Petrus Ferrius Patauinus, hic anno elapsi sæculi sexto, & quadragesimo, cum Romam venisset, consuetudine Ignatij profecit ad ineundam vitæ rationem quæ magis decreret Christianum. Ali-

quanto post febri exceptus est continua, quæ cum hominem dies septuaginta tres confeciſſet, in peſtilentem denique deſiit, opinionéſque omnes medicorum præſcidit. Viſebat iacentem frequens Ignatius, & confirmabat quidem patientiæ monitis, ſed erigebat ſanationis fiducia, quam pollicebatur ſemper à matre Virgine, ipſóque adeò, quo ſacro viatico munitus eſt die, ſic aſſeueranter hoc idem inculcauit, vt videretur prænoſſe diuinitùs. Nocte igitur illa quæ fore vltima putabatur, ægroto adſtitit in veſte candida venerabili aſpectu, & placido matrona, cincta Virginum choro, egregiâ formâ præſtantium, compellánſque benignè vigilantem, viſne, ait, Petre ſanari? cui Petrus, ſi Deus id probet, & ſancta eius parens, libenter ſanabor. Tum facta propior imaginem illi ea ſpecie in manus dedit, qua Cryptæ Ferratæ virgo depingitur, iubens, vt cordi apponeret, quod vbi feciſſet quietiſſimo ſomno indormiit. Adeſt poſtridie ſub lucem medicus, an adhuc viueret dubius. Dormientem nactus, & arteriæ temperatiſſimæ, vetuit prius expergefieri quàm eum reuiſeret, addiditque, ineſſe rei miraculum. Venit Ignatius poſtea, ipſóque ingreſſu. Numquid, ait, es ſanus? ſanus; & quidem eximiè, infit Petrus. Nunquidnam dixeram, infert Sanctus, Deiparæ beneficio te ſanandum, aliaque adiunxit ad ſingularem illius conſolationem. Fuit hæc Petro inſtauratio vitæ, ac valetudinis, incitamentum perpetuum propenſæ in Virginem voluntatis, & reuerentiæ qua proſecutus eſt S. Ignatium cui ferebat acceptam à Deipara ſanitatem.

LXVIII. *Ex lethali morborum complicatione ſanatus.*

Peculiarem habet admirationem quòd anno huius æui quinto in Hieronymo Maggio Neapoli actum eſt: huic febri continua, defectionibus, flatibus, hydrope ſimul implicito triduum omnino medici aſſignabant, niſi citiùs illum repentinus aliquis acceſſus extingueret. Quare hominum exſpes, appenſis ad pectus S. Ignatij Lipſanis, medicam illius implorauit manum. Hæſerant appreſſa pectori horas ferè tres lipſana, cum febri, flatibus, hydrope, morbis omnibus ſic abſolutus eſt, vt ne vllius quidem veſtigium vllum ſupereſſet.

LXIX. *Plaga occulta repente ſanata.*

Biennio ante in S. Iacobi vrbe regni Chilenſis primaria, Catharinæ Moraleſiæ nobili virgini nata ſunt diuerſis in partibus vlcera quæ cum incrudeſcerent in dies, lecto demum illam ſine motu fixere. Vnum præ cæteris eò moleſtius, ac periculoſius, quod permitti medentis oculis præterquam matris non poterat; quæ cum eſſet medendi imperita, filiæ inſtabat vt chirurgum ſenem, & antiquæ virtutis admitteret, fore ni faceret, mortis ſuæ ream. Aſſenſit itaque parenti virgo, haud paulo maiori remedij odio quam mali, quod vtrumque, vt ab ſe arceret condictà in ſequentem diem chirurgi operâ, nocte vehementer, ac diu, multiſque cum lacrymis ab S. Ignatio petiit, vt ſi minus diſcrimini vlceris, honeſtati ſaltem ſuæ conſuleret. Annuit tam religioſè, ac impensè precanti Sanctus; ſomno enim mox capta, poſt aliquot horas cum euigilaret, corpus bellè omnino valens abſque vllo plagarum veſtigio comperit.

Cazorlæ,

LXX. *Surda statis locis auditum recipiens.*

Cazorlæ, oppido Toletani Archiepiscopi, Virgo ab teneris in perpetuum Deo sacra, vitam in precibus, & pœnis spontaneis ducebat; afficiebatur autem incredibiliter erga S. Ignatium, atque ad eius effigiem, quotidiana lege magnam partem religiosæ pietatis exigebat, & vndecumque vrgeret necessitas securum in ea sibi perfugium locarat. Accidit vero vt deperditam clauim diu frustra requireret, quâ suas pecunias claudebat: quare noto patrocinio assueta, illam à S. Ignatio rogauit. Per noctem vero appellari se audiens nominatim, apertis oculis, videt sanctum adstare, vultu Beatorum lætitiam spirante, ex eo didicit vbi clauis lateret, atque insuper momenti non leuis aliquanto prius amissa syngrapha. Sed hæc magis ad sancti beneuolentiam, quam ad rationes piæ virginis spectarunt. Mirabilius illud quod paucis ab hinc annis eidem euenit: cum enim sic obsurduisset, vt ne quidem clamores sibi assidentium audiret, Dei quidem ad nutus valdè morigera, ob hoc tamen solum ægrè ferebat surditatem, quòd conciones, & confessarium audire non posset, quibus fere duobus omnis eius consolatio inerat. Quamobrem suscepit depulsionem huius incommodi apud S. Ignatium expedire, sumptáque in manus sacra illius effigie testatur primùm quæ corpus attinent nihili se facere mutum, cæcum, surdum, vtcumque Deo visum foret, quæ animum tangerent; iis vero se tangi, vt erat surditas; quæ multùm ei officeret, & proinde ex cordis intimo precatur, hoc ab se malum amoueri, eò saltem vt aures ad diuina liberas haberet, aliorum auditu facilè carituram. Sub quæ imaginem sancto osculo venerata, vtrique appressit auriculæ, vtque illi mos erat in templum se contulit. Ecce autem ipso ab aditu, Sacerdotum vocem sacris operantium explicatissimè audire; dein confessarij etiam; postea concionatoris. Sed quod miraculi miraculum quoddam est, è templo egressa, surda vt antea nihil audire, ingressa auditum recipere, perpetuata prodigij mirabilitate, hæc enim anno sæculi tertio dum perscriberentur, vnius iam anni continua experientia ea comprobarat.

LXXI. *Infans à mortuis excitatus.*

Die anni eiusdem septimo, Petrus Guijarrus ex S. Iacobi nouæ Cantabriæ, cohortem suorum militum Durangum in oppidum reducebat, ducebatur, & Inda partum suum gerens ante dies viginti editum, sed vsque adeò infirmum vt post iter diei Petrus morti proximum contuens sacro fonte abluerit. Non diu post feliciter functum, mater Mancipium barbarum, leuatura se illo pondere, abiiciebat in viam publicam: milites ob reuerentiam baptismi subitaria humo volebant contegi: dux in pagum Corralem Morcilij, deferri iussit, vt sacro tumulo conderetur; atque ad hoc matri colligari, vt vel ingratiis secum illum portaret. Colligatúsque est tam arctè (quod testes affirmant) vt si foret infans adhuc viuens, vel iis vinculis necari potuisset. Iniecit inter hæc duci Deus vt flagitaret innocentis vitam ab S. Ignatio reddi, quem peculiari sensu pietatis colebat, idemque, vt milites votis communibus facerent magna. Expectatione persuasit exacto in precibus, & itinere illo die, Corralem deuenitur; Indus qui cadauer infantis filij, matri

allligarat, explicitum vinculis, sepeliendum humi sternit. Dux mortuum intuens, ab S. Ignatio etiamtum rogando non absistit, cumque ad cadauer proximè accessisset, repente infans reuiuiscit, incredibili matris, & ducis gaudio qui festis propterea gratiis S. Ignatium celebrauit.

LXXII. *Simile praecedenti.* Sed dignum maioribus fuit, quod sæculi huius anno vndecimo Manresæ sanctus vitam infanti vtramque contulit temporariam, & æternam. Natus fuerat post mortem, & seorsum interim abiectus, dum matri consulitur, ex eo partu pene morienti: à matre obstetrix ad infantem reuersa, liuentem, & mortuum, & Baptismi carentem piaculo, miserata; positis genitus S. Ignatium obsecrat, per quicquid illi esset Manresæ carum, vbi tot à Deo fuerat bonis cumulatus, animam redderet infelici, ad hoc saltem, vt Christi lauacro tingeretur. Quæ dum orat, videt infantem moueri, & oculos aperire, exclamánsque cum iis quæ illic aderant factum miraculum, viuentem, gratulabunda ad matrem retulit.

LXXIII. Burgi anno lapsi sæculi nonagesimo altero, Maria Alaua Pinzocheria ex S. Francisci Ordine, tentationibus indomitis, & angustiis animi nullum pridem flendo, precando, leuamen inuenerat. Franciscæ Bernuiæ extra illam vrbem moniali, cum id indicasset, S. Ignatij ab ea imaginem accepit, de illius adiutorio vnicè secura cuius tot sibi prodigia narrauerat Franciſca, imaginis etiam illius ministerio impetrata. Oblita vero Ignatij nomen quod esset illi vix antea auditum; sic illum precabatur, ô Pater Athanasi quando tàm prodigè tuis supplicibus tua beneficia dispensas, me quoque miseram adspice, hoc egentiorem tua ope, quod mihi non mors, aut morbus agitur, sed grauiùs vtroque peccandi periculum, precantem audi Pater Athanasi, hæc orantem, vox clara distinctè admonet, Ignatium dici quem Athanasium vocabat, æquo tamen animo esset, exoratum enim quod ipsa petierat. Cuius iam tum pignus, serenum animi quoddam hausit, singularémque voluptatem: quod illa demirans, vt quid igitur, ait, vir apud Deum gratia tam potens, nondum vindicatus est inter sanctos? Respondit vox eadem, etsi non est in terris, sed in cœlo, iam est sanctorum numero adscriptus. Nec plura & mulier, omnes quas tolerauerat animi angustias oblita, summa quiete potita est.

LXXIV. *Infans è fenestra lapsus in sinu gerula reponitur.* Anno autem æui huius vicesimo pridiè S. Ignatij Paula Sbarballia, Ioannis Oltramarij cognati septimestrem filiolum inter brachia gestabat. Orto imbris, & turbinum subito conflictu accurrit in superiora conclauia, vt occluderet aquæ specularia vitrea: in eorum vno difficilius laborans sursum versus cum dextro brachio corpus extra fenestram exporrigit, infans pectore tenus præcinctus laxius, subsultans in vicum decidit altitudine vlnarum 8. mulier puero cadente Iesum, & S. Ignatium inclamat, in quem impensius afficiebatur, labitúrque, & ipsa in proximam arcam. Vbi, cum breui animum recepisset; Vidi, (ait ipsamet) his meis oculis S. Ignatium ad latus, qui mihi infantem quem tenebat, in vlnis reposuit, appressitque tam diu sustinens, dum quæ animo linquente exciderant vires rediissent. Erat vir

sanctus

sanctus in vsitata Societati veste, palliatus; ætatis specie virili, vultu quem nullum vbi hoc miraculum contigit satis assimilaret apographum, infans alacer, & festiuus gerulæ corridens, pannus quo fuerat inuolutus in imò fenestræ iacebat.

LXXV. *Infans mortis proximus, minore quam hora spatio sanatur.*

Mutinæ anno 1605. Alberti Fontanæ filiolo ardens febris, capitisque ac faucium tumor, sic animæ viam obstruxerat, vt nisi ægerrimè spiritum ducere non posset, nedum nutricis lac sugere. Lugebat mater iam iam præfocandum; matris cognata Liuia Fontana, eius æquè vt infantis misserta, in genua procidens valetudinem puero ab S. Ignatio petiit cuius mirificè patrocinio confidebat, tum eius reliquiis quas gestabat in cruce argentea, guttur eius signauit, inflatione mox & febri, horæ non integræ spatio diffiatis, puer, vt vnquam egregiè valuit.

LXXVI. *Periculosè ægrotum sanatur.*

Coloniæ Gerardus Otmarsesius Sacerdos è Societate cum anno sæculi duodecimo ex morbo periclitaretur, votum S. Ignatio nuncupauit, & sacris ipsius lipsanis pectus, & caput consignauit, vitæ de cœtero vsque adeo securus, vt cum validissimis febribus per decem dies æstuaret, nunquam illi de morte dubitatio succurrerit: nocte porro hos dies consecuta, ex inopinato deliquio refectus, eos crurum dolores expertus est, quibus in vita nihil passus esset crudelius, ratúsque id præter naturam esse, proximam ex eo sanationem expectauit, inde abalienatus ab sensibus, paulo post sensit inhalari sibi in os exilem flatum, sed vna immensis animum inundare deliciis, argumento receptæ sanitatis: vnde in cantum eucharisticum. Te Deum erupit, festis lachrimis & pio singultu verba pene singula interpungens.

LXXVII. *Similis præcedenti sanatio.*

Maceratæ Anno proximi sæculi nono supra nonagesimum, expetitæ sunt preces Lucretiæ Aurispæ ad S. Catharinam Antistitæ, pro Isabella Moronia, illic educata, tunc grauiter admodum ægrotante. Illa multam in noctem precata cum ad quietem se composuisset, videre visa est Martyres Virgines, Catharinam, & Vrsulam eius cœnobij patronas quæ dicerent saluam fore Isabellam beneficio S. Ignatij Societatis Iesu Fundatoris; mandarent præterea id illi nunciari: moneríque illam, esset in posterum in sospitatorem tam beneficum grata. Sub hæc videbat Isabellam è lecto assurgere in genua, & S. Ignatio gratias agere. Experrecta miratur id somnium, quòd S. Ignatium nec de illa valetudine rogasset, nec eum vnquam peculiariter coluisset; quærit ex Valterio medico, quo statu Isabellæ res essent, & audiens, pessimo, iubet ab se illorum fieri certiorem quæcumque audisset, & vidisset. Sed quo tempore Virgines, Lucretiæ obiectæ fuerant, Isabellæ eodem Ignatius, præstanti ac splendida specie adstiterat, & manu prehensam certa sanitatis expectatione confirmarat, monuerátque de genibus Deo gratias agere, à quo id illi donum impetrasset, & visa sibi erat iubenti paruisse. Huius autem visi, ac promissi gaudio excitata, longè se à periculo cui indormierat deprehendit; matri, & socrui sibi adstantibus, somnium exponit; & valetudinem promissam, quod vtrumque

que ab iis pro delirio febrientis est habitum, donec adueniente medico, antistitæ nuncio conpòsita sunt inter se somnia, exploratum est concors visis, arteriæ indicium, denique sic ægra valuit, vt medico postea non indiguerit.

LXXVIII. *Ex supressa lethaliter vrina sanatur.*

Burburgi in Belgio, anno 1609. puella duodennis ex suppressa vrina, discruciabatur atrociter, puellæ parens Alexander Iurisconsultus, & vrbis consiliarius, flocci pendens itinera, & sumptus circumduxit illam quocumque resciisset mali eius insignem medicum versari Sed nisi violentis artibus, & defectione intolerabili, & quarto vel quinto quoque die ille humor nulla potuit industria educi, cui nouum etiam in diem, obstructis plane meatibus intercluso, ne instrumenta quidem chirurgica dare exitum potuerunt. Crescebat interea doloris acerbitas, cibi horror, & tumor totius corporis; quibus accedens febris ratamcitámque eius mortem medicis indicauit. Hoc loco dum esset Burburgum fortè, Bergæ illuc aduenit Sacerdos è Societate, motúsque illius miseratione, plurimum Deo illam commendauit; tum illi cunctísque domesticis vehementer suasit S. Ignatium intercessorem adhiberent. Parque ab eo, malo remedium fidenter expectarent. Inde Sancti gesta, præsertim miracula legenda iis dedit, & Berga eius reliquias per celerem nuncium petiit. Quæ vbi perlatæ sunt, puella S. Ignatium ex imis visceribus in auxilium aduocans vouet se sancti vigiliam ieiunio annuo, festum communione sacra obituram si compos fieret sanitatis. Postremo quà renum furebat præcipuè dolor, sacra lipsana admouet, lapsáque in somnum horarum aliquot, nouis punctionibus excitatur, quibus non diu tenta se sanam exclamat, febríque vacuam, & valentem. Et vero statim post copiosissimas vrinas, absque vllo dolore, & difficultate, imò quod consueuerat antea sine arenis, & calculis eiecit. Omni adeo tumore, febrísque vestigio absoluta, vt die illo Iulij X V. anni 1610. grates seruatori suo S. Ignatio in templo persolueret.

LXXIX. *Repentina flagitiosæ conuersio.*

Bazaini in Orientalibus Indiis, Christianum femina ethnica perditè deperibat; spe flagitij pronioris, sacrilegè Baptismum suscipit, suscipitúrque domi à pia matrona, moribus secum imbuenda professionis nouæ sanctimonia condignis: at enim scelerata sensim se prodidit longè aliud spectare, quàm precatorios globulos, & sacrorum frequentationem; perflantéque ob violatum baptisma flammam execrabilem diabolo, amens, & teneri non ferens, in hortum se deiecit, ex quo retracta, minabatur se ignem ædibus subiecturam. Itaque matrona nequissimæ bestiæ importunitati propemodum cedens, prius tamen rem omnem Sacerdoti nostro aperuit; qui satis intelligens, suas hic partes dæmonem agere, S. Ignatij reliquias matronæ dedit quas insanientis collo indueret. Dum ergo solito rabiosius baccharetur, minaretur, & fureret, hera quasi optato discessui assensura, velle interim ajt donare illam gemma ingentis pretij, & vittam sericam eius collo iniecit ex qua pendebant sancti reliquiæ. Atque hic illustri, manifestóque portento, ad earum attactum grassantis in venas libidinis, incendium omne

omne illicò concidit; hæsit quasi stupens misera tantisper, tum in fletus effusa, crimen suum, & mentem fassa est contemerati baptismatis. Complexa pœnitentem matrona cum lacrymis S. Ignatium agnoscere docuit, mutationis tam subitæ auctorem; eiusque lipsana gemmam esse quam dare se dixerat; duxit è vestigio in templum rogantem, ac inter eundum multis cum lachrimis, sacra lipsana assiduo osculo venerantem, inde animo apud Sacerdotem expurgato, ille penitus excidit, cuius insanierat amore.

LXXX. *Ariditas mentis repente depulsa.*

Sensit in causa admodum dispari, par S. Ignatij patrocinium alia matrona, agebat illa Catanzari, non modo Christianam vitam sed non vulgaribus studiis virtutum exercitam, potissimum vero contemplationi cœlestium, cui Deus vicissim magnas reponebat animi voluptates. Factum nihilominus aliquando, vt hæc illi vena deliciarum arescceret, & obtenebrata mente, precationis pabulum alias tam dulce pro supplicio haberet; ac tentabat quidem omni ratione teneritatem priorum sensuum, sed frustra reuocare; quoad fortè coniectis in S. Ignatium oculis, quem in altari domestico colebat; supplex, ingentíque affectu, præsenti suæ inopiæ subsidium ex eo petiit, qui tam celso gradu familiaris apud Deum gratiæ fuisset; mox tanquam aperto sibi cœlo, luce subito tam clara tantóque ardore perfundi, vt duarum horarum spatio, Dei amore tota diffluueret, diei reliquum, suauissimis in Deum animi motibus frueretur, quos multis postea identidem mensibus, eius diei repetita memoria accendit.

LXXXI. *Infãtis mors cum miraculo beata.*

Cuenca vrbs est in nouo regno Granatensi. Illic nobilis matrona videns infantem filiolum in oculis morientem, ad S. Ignatium cuius habebat depictam tabulam conuersa, moriturum ei filium obtulit, vt si placitum Deo foret seruaret incolumem. En autem hic latè splendere vultu sanctus, & infantem versùs brachia pandere; vice versa infans exporrigere in sanctum brachia, velut in amplexus mutuos enitens, & in eo conatu innocentem animam efflauit. Mater luctu in iucundissimam consolationem commutato, miris gaudiis prosecuta est filium ab S. Ignatio extra salutis pericula inter sanctos subductum.

LXXXII. *Desperans ab S. Ignatio confirmatur.*

In S. Ignatij (quæ vna est de septem coloniis ad Paranam Paraquaiæ fluuium sitis) nostrorum curæ commissus iuuenis, calumniam passus est, ob quam eiectus è Sodalitate B. V. etiam carcere clauditur, cuius casus dolorem non ferens, laqueo vitam finire decreuit; quod haud scio quo pacto interceptum misero non processit. Itaque de media nocte, eandem animo versabat desperationem, cum ianuæ rimas magna luce distendi aduertit, conspicatúrque esse aliquem ex amicis à quo viseretur. Erat is verè amicus S. Ignatius, qui se illi spectandum præbuit luce immensa fulgens, oréque exporrecto, & hilari, vt qui desperantem erecturus veuisset, tum eius capiti manu blandè imposita; esto, ait securus, fili, nihil istic abs te peccatum est, breuique hinc liber amitteris: quibus dictis recessit. Adolescens ex magna commotione animi, in clamorem erumpens, vicinos

exciuit, qui & carcerem deprehendere clausum, & iuuenem vbertim lacrymantem, paulo vero post, idem fecit promisso, restituta insonti, post compertam innocentiam libertas.

LXXXIII. *Serua Indabis sanatur.* Gaudianæ Mexici pago, serua Inda luxatis vertebris iam biennium iacebat, vt præter grauem cruciatum, corpus nisi admodum ægrè non posset sustinere. Illac transiens è nostris Sacerdos, vicémque infelicis dolens S. Ignatium illi medicum aduocauit, quòd iam nihil spei ab aliis restaret; tum sancti fiducia illam erecturus, recensuit illi prodigia in vicinis ab eo patrata: denique in illam, precationem recitauit qua consueuit orari sanctus, eiusque auxilium implorauit. Quo puncto temporis, sic persanata est vt statim surgeret, inambularet in oculis omnium, & in argumentum receptæ sanitatis sublatum in humeros onus baiularet. Verum redituris, forte doloribus nimis stultè cauens, & foouendo quem receperat vigori; cum à patris discessu calefacto balneo vti voluisset; vix illud subierat, & diro totius corporis cruciamento statim capta, reportanda in lectum fuit, leuitatem suam plurimum incusans, & beneficij accepti frigidam æstimationem. Fletu ergo & precibus, tùm facti veniam, tùm amissi doni restitutionem enixè flagitans, orationes aliquot recitat, nouóque statim miraculo confestim, vt fuerat sana fit, & prudentius quam fuerat cauta.

LXXXIV. *Sudor ex S. Ignatij effigie duas sanat agrotas.* Ibidem anno huius æui secundo, tribus vna occasione miraculis serui sui gloriam illustrauit Deus. Puellam paucorum annorum diuturnæ febres in supremum discrimen redegerant, & desperauerant medici; parens ad nostros accurrit mœstissimus, petiit ab iis quam apud se habent imaginem pictam S Ignatij flexis genibus ante Christum de cruce pendentem; concessam fert domum, & sanctum pro filiæ salute cum familiaribus precatus, illius capiti imaginem admouet; exin prodigiosus sudor ex sacra imagine guttatim fluere, gemmarum instar colore spectabili & magnitudine: stupere adstantes rei nouitate, in quibus mulier graue quo tumebat apostema, intincto reuerenter in sacrum humorem digito inungens, repente curata est. Puellam quoque sacræ imaginis attactus, febris & periculi securam effecit.

LXXXV. *Nouitius apparente sibi S. Ignatio.* Romam venit Guillelmus Guardefordius Sacerdos anglus anno 1594. Societatem quam obtinuerat ingressurus, cupiens autem summoperè die illo tirocinium inire, qui Augustino Anglorum Apostolo sacer est dissimulauit febrim, qua illo ipso die correptus ardebat, sed ea postridiè ingrauescens viréque prosternens, & alia edens tristioris prognostici omina, iacentem grauiter afflixit, vitæ metu tunc statim perdendæ, cum ei primum grata esse cœpisset. Tantisper igitur se lecto attollens, ardenter institit Sancto Ignatio, à quo, iam patre, confidebat se tanquam filium aspici; ne tam præmaturè bono illo orbari se sineret, quod ipse tot annos, & tantis itineribus quæsitum vix tandem possedisset. Differret morbum in aliud tempus, ne Societati attulisse cadauer videretur, & penè illi prius moriens, quam viuens, eam vix dum adeptus amitteret. Mouit orantis gemitus Sanctum

ctum patrem, nocte insequenti spectabilem sese illi exhibuit, in eo cubiculi latere in quod conuersus orauerat. Adstabant illi sex de Societate, habitu erat vsitato, cum superiori veste, & baccillo, vt viuenti mos fuit, accessit ad lectulum propius, & perinde vt coruos, & canes à cadauere abigeret, ita circum scipionem agebat; inde paulum recedens, blando illum, & perquam beneuolo aspectu dignabatur. Accessit & de sociis alius, ex quo æger (quem sensus recuperatæ sanitatis, alacrem fecerat) interrogauit, an possent & ipsi tantumdem præstare, ad quæ ille subridens, prehensum humeris, à dextro in læuum conuertit, stragulisque compositis innuit vt dormiret. Tunc vero altè in placidum, & multarum horarum depressus somnum, cum euigilasset, ita consanuisse se comperit, vt die eodem lecto exiliret, & solita cum aliis ministeria obiret.

LXXXVI. *Adiutoru manus restituitur ab S. Ignatio viuente.*

Hoc inter superos beatus, suum hunc filium beneficio affecit sanctus pater, hunc vero qui sequitur, superstes adhuc, eundemque in finem. Coquum Romæ agebat in domo professa Ioannes Baptista, sanctæ vir humilitatis & sui egregius domitor: hic ministerij opportunitate ad contemplandum æque vt ad laborem vsus, ex illo quem tractabat igne, illos perpendere discebat damnatorum ignes sempiternos, vnaque lethalis inumanitatem culpæ, quæ tam atroces commereretur pœnas; his cogitationibus immersus, & vitæ in seculo actæ horrore, extra fas in sui odium magno impetu raptus, manum iniecit flammis ardentibus, totamque adussit, odoris graueolentia ministrum domus illac fortuitò transeuntem aduertit, culinam ingreditur, causam rogat, cruciamenti violentia extorquente inuito lacrymas, manum profert ambustam, suique iam errati conscius veniam de genibus petit. Defertur ea res ad sanctum patrem, spargitur tota domo, damnant multi, & censent dimitti oportere, qui se suapte insipientia prorsus inutilem Societati effecisset. At perspicacior sancti mens, censuit gratia quam pœna digniorem. Bonam noctis partem pro illo precibus impendit, exorauitque quod petebat adeò cumulatè, vt postridiè fratris manus comparuerit sana, integra, vegeta, & qualis antequam vreretur.

LXXXVII. *Arreptitia à dæmonibus liberata.*

Princeps Itala, Seræniſſima ex domo postridie Calendas Nouembris anno 1605. deprehensa est possideri à dæmone: sesquiannum eam tenuerat. ignotis occupatam morbis quos in atram bilem medici referebant; nam hebdomadas, & menses iacebat amens, immobilis, elinguis, etiam ad interrogata, nec videbatur nosse adeuntes. Multos dies aut cibum respuebat, aut expuebat, ore tenus admissum, exsucca, exanguis, instárque cadaueris, accedentes tamen inuadebat furens, se ipsam quoque nisi cura custodum obstitisset in præceps datura, & cõscissura vulneribus. Suspicati sunt ergo medici fascinũ, qui morbus credebatur; cum obseruassent suo omni labore, cruciatus ægrotæ in cassum augeri, corpúsque adeo defectũ vix posse naturæ viribus animam retinere, parenti duci suspicionem suam aperiunt: adhibetur è nostris Sacerdos qui exorcismos in dæmonem torqueat interposito S. Ignatij

nomine ; & hic demum se palam veríſque indiciis dæmones proferunt. Se illic ſedem ingenti numero habere, obtinere corpus vniuerſum veneficiis obſtrictum ; nihil omiſiſſe quo illud perimerent, fuiſſéque planè rem confecturos, niſi eo ſibi tantoperè exoſo Ignatij nomine compellerentur, ſe prodere ; poſt hoc ſibi viciſſim animos addere, & exſtimulare mutuo ad ſtandum in gradu, & vim quamlibet ſuſtinendam. Egit tamen hæc prima occulti hoſtis manifeſtatio, vt eſſet ægra immunis à febri, ſerenior animo & tractabilior, cibúmque admitteret, tametſi, quam parciſſimum poterat, ſi eſſet ſacris precibus expiatus, quem à profano bellè diſcernebat. Eductis iam in campum hoſtibus initur pugna ; præmittitur à ſereniſſimis parentibus ipſaque ægrota S Ignatio votum, adeundi Romæ illius ſepulcri, ornandique piis donariis in eucharisticum liberationis. Vnaquæque ſacrarum exſecrationum vibratio adiuncta S. Ignatij inuocatione, magno numero hoſtes expellebat ; iuſſi prodire qui laterent, & præſto eſſe ad linguam, vel pedes, imperatis parebant ; ſigna dabant coacti diſceſſus quæ iniuncta fuiſſent ; ab Ieſu Maria vnoque Ignatio ſe pelli conclamabant, licet alios item ſanctos alij Sacerdotes in opem accerſerent. Fuit inter nefarios ſpiritus obſtinatè potens, qui ne tanta vi vrgeretur, poſſeſſam ad extrema redegit, & pertinaciter obluctatus, tandem in exitu tam deformi ſpecie exterruit, vt eius deinde recordatione inhorreret Dierum viginti conflictus hic fuit, & die Conceptæ Deiparæ debellatum eſt denique, ſuaque cum turma reſiduus hoſtium, ſtationem penitus liberam reliquit, morbíſque omnibus quos conſciuerant dæmones abſolutam, decantatæ Deo ex ritu Eccleſiæ laudes, votáque in ſancti honorem religiosè perſoluta.

LXXXVIII. *Societati per infenſus ab S. Ignatio mutatus.*

Condomi Vaſconiæ vrbe, ciuis alioqui honeſtus, perinfenſo erat non modo in Societatem, ſed in eius quoque Parentem odio, tantúmque aberat, vt quæ nomen decerent, honorémque Beati, Ignatio recèns attributum de illo loqueretur, vt paſſim potius ſimulationis illũ ſugillaret, & hiſtrionicæ pietatis, atque ad hoc eius lectitaret geſta, vt ea vel in hypocriſim malignè detorqueret, vel in malam hiſtorici fidem, pergerétque ex iis conuitia, & dicteria fingere. Spectabat hunc ſuum è cœlo Ignatius inimicum velut phreneticum medicus, eique à Deo miſericordiam poſcebat Nocte igitur, incertum dormientinè, an vigili, adſtitit beatâ verendus maieſtate, & choro ſtipatus cœleſtium, tacens quidem, ſed per aliquam horæ partem ſpectandum ſe ſiſtens, ſub diſceſſum vero tam blando illum intuitus eſt vultu, tam dulci amoris perfuſo illecebra, vt hic eius animum oculorum iactus configeret. Lecto deſilit, conturbatus, flens, fronte humum verrens, iniuriarum veniam ab eo petit, ſumptam ex abaco eius vitam ſuauiatur, rigátque lacrymis, ſanctè pollicitus, tum S. Ignatio, tum Societati æterna deinceps obſequia, & obſeruantiam tanto ſanctiorem quanto ipſe fuiſſet iniurioſior.

LXXXIX. Longè aliter ceſſit cuidam alteri, ſed religioſo, cuiuſcumque tandem Ordinis

Ordinis fuerit, indigno certe religiosa veste. Is Girondæ in Aragonia sæculi huius anno vndecimo, seu inuidus siue incredulus, satyram aduersus S. Ignatium aggressus est scribere, cuius cum partem affectam relegit, miratur suam manum, suo ab ingenio diuersam, contraria omnia dictanti ingenio vel malitiæ scripsisse; nam præter laudes nihil re legebat qui nihil præter probra manui suæ dictauerat. Errore igitur factum suo id putans, resumpto stylo, quod conceperat mente, denuo contexit; at ecce tunc etiam dictanti scelerato, manus propria Ignatij laudes, pro conuitiis reddidit, ac mirùm, quantumuis furiose in cœpta incumbenti, non venisse in mentem illam manus, inuito ingenio, operam, non posse errori attribui. Repetitâ ergo tertiùm rabie, eodem successu delusus est, sed nihilominus stupido pariter, sibique indignanti, dum sacrilegium integrat, reuulsus calamus in medium cubiculi dissilit, ipsaque eadem occulta vi intorta eius manus ingentem ipsimet colaphum impegit, quo tandem aliquando pudefactus, & pauens, collegit sese, stylumque, & animum erga S. Ignatium mutauit.

Aduersus S. Ignatium scribens, castigatur.

XC. *Moribundum sanatur.*

Raphaël Valcanerius Maioricensis, quadriennis ægrotus destitutione virium interibat. Cibi quatuor iam dies nihil admiserat, fuerátque ad supremam luctam sacro oleo inunctus, vocatus è Societate, qui eum iuuaret vt Christianè moreretur, reliquias secum S. Ignatij attulit, & licet expertem rationis, & stupentem, iis tamen ducta cruce signauit, commendauítque S. Ignatio, quod ipsum, & vxor præstitit, spondens si conualescceret se diem S. Ignatij Festo annuo culturam, daturámque tribus pauperibus prandium. Votum conceperat, & vires statim redire, circunspicere adstantes, mentem recipere, moueri, cum tanquam cadauer antea iaceret, febri denique posita valere. His soror acceptis, magnoperè indidem remedium carcinomati sperauit, quo erodebatur iam per biennium. Suscepit ex voto sacellum S. Ignatij nouemdiali cultu adeundum, illius imaginem ab vno è nostris patribus acceptam, parti affectæ apposuit, & inde iam sibi melius fieri aduertens, paucos intra dies bellissimè valuit.

XCI. *Aduersus quinq; grassatores, inuocantem se S. Ignatius defendit.*

Benedictum Lopesium iuuenem, præfectum vnius ex Peruuij fodinis, dum fugitiuum requirit mancipium, latrones quinque ex insidiis inuadunt, equo deturbant, proterunt, vulnerant, pro mortuo relinquunt. Cumque illos primum conspicatus, enixè S. Ignatium in sui defensionem inuocasset, vidit illum semper interponentem se illorum furori, vibratósque ictus perinde pallio, vt scuto retundentem; surgens demùm post eorum discessum, vestes, & pileum multis locis punctim, cæsim, forata, & lacera comperit, intacto corpore, ac ne minima quidem punctione præstricto.

XCII.

Gandiæ anno sæculi primo Vincentiæ Cotziæ septenni puellæ, fauces intercluserat angina, iamque triduo nihil cibi transmittens non diu superfutura credebatur; affertur ad eam imago S. Ignatij, quam eius auus sculptor coronide ornandam acceperat, docetur sancti opem rogare, seque ab eo (vti &

aliis Gandiæ contigerat) persanandam erigitur in genua suorum brachiis, Pater, & Aue recitato, iconem faucibus apprimit, ad hanc momento dolor ponit, inflatio residet, expirat inflammatio, cibum poscit, sumit, conualescit.

XCIII. *Quadriennio pedibus captus sanatur.*

De beatorum honoribus S. Ignatio decretis Potosium nuncij venerant, & festis populi gaudiis soluebantur. Hinc tristis Christophoro Martinesio dolendi ansa, quod eorum in partem non veniret, erat enim membris iam quadriennium ita interceptis, vt nisi fulcris alaribus non posset insistere, conjecta itaque in sanctum confidentia, effusóque in eum animo, Itane, inquit, Beatissime Patriarcha Ignati! communes inter lætitias quæ tuo nomini celebrantur, ego doleam solus, & aliis omnibus honori tuo choros ducentibus, vnus ego non possim vel gressum mouere? pios questus non spreuit sanctus Pater, eo ipso temporis puncto vigorem membris infudit tam validum, vt fulcra proiecerit, & die proximè subsequenti omni ex parte conualuerit.

XCIV. *Capta pedibus sanatur.*

Huic plane consimile, hoc eodem anno, sæculi huius nono Maioricæ contigit. Dum enim apud nos, honores tunc recèns Beato Ignatio dicatos, prosequeretur communibus gaudiis gratulatio publica, mulier pedum vsu priuata, iis tamen ingratiis, adesse in templo statuit. Dimouebat hanc soror ab imprudenti consilio, immensum obiiciens populi concursum, deiectum iri à conferta turba, & pedibus proterendam. Quibus nihil mota, domo vt poterat, conatu difficili tandem exit, vixque in vico constiterat, & explicari mox pedum nodos, redire iis spiritus, & vires, ipsa fulcris alaribus procul à se abiectis, valens, & alacris templum petit, sancto gratias agit, epulo sacro illius memoriam, & beneficium celebrat.

XCV. *Liberatus à dæmone cui se manciparat.*

Michaëlem Schrammeum annorum septemdecim iuuenem studiorum causa parens Herbipolim miserat, sed is, quod solent suo arbitrio permissi iuuenes, in consuetudinem se dedit perditorum, à quibus inter alia scelera, etiam dæmonem pro magistro habere didicit in hunc modum res tota gesta est. Dabat operam iuri, & insigni Mago, eius quidem amicus. Michaëlem cum socio eiusdem ætatis, magi domum perduxit. Illic alacriter bibitur; inde magus suas artes iactare; non fuit multa opus mangonia, ad infatuanda capita stultorum iuuenum, & proritandam curiositatem, noua & mira factitandi; præsertim cum sterili curioso, spes quoque vtilis adderetur, suam enim quandam extollebat radicem magus, quæ linguæ indita, nihil non efficeret, iubendo quidem si linguæ inesset; tangendo autem digito inhærens fores referaret, & scrinia; comminueret catenas, subterraneos thesauros in apertum extraheret, & taumaturgiæ similia ederet complura. Cæterum eam vili fore, dum taxat tantillum animi opus esse ad ferendum semel dæmonis conspectum non ingrata specie adfuturi, ad tradendam illi vrbanitatis causa, exiguo syngrapho animæ potestatem: immensum pretium execrandus diaboli proxenetes, teruntij fecerat; sed stolidi iuuenes præpotentis radicis desiderio ebrij, nihil abnuere, sed pactis addi voluêre, animæ potestatem

testatem non se vlterius dæmoni tradere, quam dum ea radice vterentur, vbi lubitum foret eam dæmoni abdicare, tunc se pacto solutos intelligi velle. Contestati hanc legem, mago digitum porrigunt, ex quo stillas aliquot exprimit sanguinis, dictátque nouis discipulis formulam mancipationis, qua se dæmoni suo & sanguine, & chirographo obstringunt. Post hæc baccillis quibusdam instructos extra vrbem ducit, in quadriuio consistit, humum circulo notat; ad caracteres, & carmina comparet in medio circulo improuisus dæmon, adolescentis vultu teneræ ætatis. Horrent ad nefanda spectacula nouitij scelerum, certi, quod erat, cacodæmonem iis tegi, pallent, silent, mutuo contuentes, circumspiciunt at fugam, at consceleratus artifex, sui præsagus periculi arcanis vinculis defixerat miseros, vt nullo conatu valuerint se inde eximere; animauit insuper adeò, vt inserto quisque baccillorum suorum fuscinulæ, chirographo suo, se dæmoni dederet, medium circulum semper occupanti. Quibus ita peractis diu collocutus est cum tyranno spiritu detestabilis magus, sed ignota lingua, postea illorum mediis digitis, rima ex qua sanguinem presserat tenui, promissam radicem nullo sensu doloris infixit, cum ea in vrbem se referunt; illic in ædibus sceleratissimi præceptoris, experimentum radicis & dare, & capere; mira vere, & fictè patrare, quæcumque illis conuento prædicta fuerant; quæuis sera admoto digito recludi, sepultus infra duos palmos ducatus argenteus exilire de terra, & vt ferrum magneti, admotæ manui adhærere. Concha aquæ plena contactu diuidi, attolli & velut conglaciata sublime pendere; catena quam sibi data opera circum adstrinxerant, comminuta frustatim ad pedes concidere, hac illi experientia, duplo quàm quæ agebant incantati, vel decem si tot suppeterent animas pro tam beata radice datas voluissent. Inter hæc Michaël patriam repetit, vbi pueriliter hæc ostentans, palámque factitans, referandis præsertim seris, & scriniis, vix furcam euasit. Furti enim grandis eam ob rem suspectus, reus, an insons, ægrè se laqueo subduxit; nec minus discrimen ab sociis adiit, qui se nactos thesauri latebras arbitrati, iuuenem in syluam pelliciunt, minis vrgent, & præsenti nece, ad prodendam sibi thesaurorum manifestariam radicem; quibus ipse quæ prima se obtulit cum dedisset, idcirco germanam putarunt, quod is eam tenens, nescio quid mirum, incantato digito, coram peregisset. Ita se illorum manibus, & morti eripuit. Ex his oculos sensim ad sua damna aduertere, fructum agnoscere venænatæ radicis, intelligere quam exitiali amentia oppigneasset animam æternis suppliciis, & exitio corporis plusquam probabili ad pacisendum de nugis cum dæmone, denique serio cogitare de rescindendis feralibus conuentis: quæ cum amico Sacerdoti viro probo aperuisset, ab eo imprimis, edoctus est immanitatem culpæ & periculi cui esset obnoxius, deinde plurimùm confirmatus ad ferendum quiduis, & agendum, quò tyrannidis admissæ iugum excuteret. Postremo Molshemium ad Patres Societatis destinatus, vt ope S. Ignatij iam iis in casibus explorata, recuperaret consignatum dæmoni syngraphum, & pacta conuenta rescinderet. Domi apud nos

egit

egit dies duodecim, in ieiunio, cilicio, aliaque simili afflictatione, & paranda tum vitæ omnis expiatione, tum fideli dæmonis eiuratione. Condicto in eam rem die ducitur iuuenis in sacellum S. Ignatij, eiusque patrocinio creditur, aderant complures, inter quos Suffraganeus Argentoractensis, Rector Collegij votiuum S. Ignatio sacrum facit, Michaël fidem solemni ex formula profitetur, quam cum aggreditur legere, horrere mox, tremere & vocem Renuncio pronuntiaturus interstricta gula, præfocari, quoad is penes quem cura eius erat, lateri assidens, cruce sancta signatum, vocato Sancto Ignatij nomine sibi restituit, peruicítque inuito dæmone, vt eiurationem eius absolueret; quam Rector exceptam Deo obtulit, sacróque altari imposuit. Haudquaquam tamen comparebat aut dæmon, aut syngraphum. Quare instauratis per aliquot dies spontaneis pœnis, precationibus, contestatione, & sacro S. Ignatij; solemni commendatione, illius præsidium, dæmonibus ineluctabile denuo iuueni rogatur. Die itaque decimo tertio anni 1613. Rector operans sacris ad Canonem venerat, cum excipitur à cunctis qui aderant stridor quidam velut præstricti carta parietis, nihil tamen vndeuis dimissum conspicitur. Sed vidit Michaël à dextro altaris latere dæmonem, ostentantem sibi suo scriptum sanguine syngraphum quod ei Herbipoli dederat, deinc eo proiecto vanescentem. Hoc vero postmodum peracto sacro sub altaris mappa superiore repertum est, actæque Deo, & S. Ignatio communes, & lætæ ab omnibus gratiæ.

XCVI. *Pestilentia icti sanatur.*

Grassabatur pestilens morbus Paraquaij anno huius sæculi quinto, depascebatur inter alias honesti viri familiam numerosam, ex qua breui iam duo perierant, iacebant alij qua ægroti, qua morti proximi. Patribus è Societate illuc forte appulsis, dum ea loca Apostolicis excursionibus obeunt, lacrimabilem domus suæ statum exponit, & ab iis quidem consolationem quæ Christianum decebat accipit, sed præterea S. Ignatij iconem, vt eius familiam suo patrocinio tueretur, essétque sanis amuletum, & ægrotis salus. Magnam vir optimus sancti fiduciam suis omnibus mouet, iubet huic affectu præcipuo pro valetudine supplicent, faciunt, & quidem ex animo; redit postridie ad patres, gaudio gestiens, narrat ex quo imago domum subierat, & familiares, illius medicam implorauerant manum, omnes ad vnum valuisse etiam illos qui in extremis essent.

XCVII. *Dētium cruciatus sanatur.*

Anno eodem in S. Iacobi, vrbe regni Chilensis, moniali gingiua putris, vermes, & saniem mittebat, cum intolerabili dentium cruciatu, quem nulla sedabant, sed nec leuabant remedia. Nocte aliquando atrocius solito laborans, imaginem S. Ignatij ab vna ex religiosis sororibus accepit, quam flens, & flagitans aliquod tam sæuo dolori solatium, ori piè applicuit, eoque ita dolorem absterserit, vt in miraculi argumentum dentes dentibus quateret, cum absque sensu peracerbo contingi antea mutuo ne leuiter quidem sustineret. Visa simplici feminæ res tanti, tam repentina curatio, vt suspicata sit esse fortuitam potius quam diuinam, reputans nimis alienum, vt leui attactu, imago hominis nondum inter sanctos adlecti, cruciatus momento dissipasset,

dissipasset, quos nulla pharmaca domuissent; at enim, incauta non diu anceps hæsit, vix suspicioni attenderat, cum tormento dentium integrato, incredulitatem suam, & stoliditatem damnare didicit. Quare petitam cum lacrimis veniam & sanationem iteratam obtinuit.

XCVIII. *Pleuritis persanata.*

Rochum Bondium Siculum Sacerdotem anno sæculi voluentis tertio Vibonæ pleuritis opprimebat, accedentéque febri peracuta & excreatione sanguinis copiosa, extra spem humani remedij iam depositum erat. Potentiori ergo confisus medico ab S. Ignatio valetudinem petiit, eius effigie impressam icunculam ori inseruit tanquam præsentem morbo medicinam, & vero quantum sperauerat, tantumdem pia fiducia euicit, cum enim indormisset, post breuem somnum experrectus, febri, sputis cruentis, abscessu, dolore lateris caruit.

XCIX. *Lupi Lanzo pulsi.*

Anno 1626 fœda luporum eluuies montibus delapsa valles aliquot Pedemontiorum fecerat inaccessas, intérque has vallem quæ Lanzus dicitur, numero, ac rabie armati adoriebantur incautos magna strage, nec tuti greges, nec homines, ab iis se satis tuebantur. Fuerat non pridem in templo principe Menezilis positum S. Ignatio sacellum, illuc oppidani nouemdiales supplicationem publicè decernunt, & sacrum solemne, ad auertendam ferarum infestationem, magnis & frequentibus damnis furētium. Supplicantium agmina procedere cœperant, cum statim quod expetierant, impetratum tulere, vi enim diuina Lupi turmatim abacti fugere, vitare occurrentes; puero vel agno si forte obuij fuissent, resilire velut exterriti; duobus, solum ad euidentiam miraculi permissum sæuire, alter pusillum in gregem incidens, custode septenni puella, cum fratre annis duobus minori, omissis ouibus, & puella, ferox puerum occupat, sternit, rostro huc illuc versat, & agitat, presso tamen semper & innocuo dente. Sed erat vicinia, S. Ignatij vsque adeò secura, vt soror accurreret, Lupum baculo cæderet, ac nihilo mitius, eiulanti puero infestum, auribus prenderet, amotúmque à pueri corpore, in montem retruderet: audacior alter tugurium subiens, ex aliquot pueris illic hærentibus, correptum collo, quinquennem abstulit, & in syluam refugit. Mater terram haud procul fodiens ad eiulatus, fletumque pueri accurrit, raptum videns, S. Ignatio ante omnia supplex aduoluitur, post insequitur montem versus, quà Lupus puerum tulerat, sed nullis diu vestigiis assecuta, inopinatò audit inter saxa quædam compellari se ab eo, mater! Adsum mater, & saluus: narrat deinde quo pacto foret de repente ab Lupo dimissus aliquamdiu fixis tuente oculis, exsufflante, ac demum in syluam se abdente: comparatis autem horæ articulis cognouit mater dimissum tunc à bellua filium cum eum S. Ignatij tutelæ crediderat.

C.

Hisolæ, & Turture, pagis vallis eiusdem duobus, magna strage, animalium pestis sæuiebat, pari damno infelicium rusticorum. Huic vt occurrerent ad S. Ignatium studia conuertunt, cuius in exterminandis Lupis experti erant beneficentiam. Ex voto illi sacram ædem designant in monte proximo, cui Bastiæ nomen, construendam; ex veteris castri congestis illic rude-

ribus. Nuncupato voto,cessat strages, difflatur pestilitas, ægra sanantur animalia, sacellum extruitur, quod tanta statim S. Ignatij veneratione, tanto frequentatur populorum concursu, vt ex montis altero latere noua opus fuerit ad sacellum via,præter quod eminens è mõtis vertice,& subiectis latè conspicuum,sua quisque ex domo multi preces illuc, cultúmque mittebant. His sanctus erga se tam piè religioséque animatis paganorum affectibus non crebra modo respondit liberalitate, in supplicum gratiam; verum illic quoque se adpectabilem præbuit. Paulæ, Thomæ Mussani coniugi filium sanarat Ignatius, cum ab hernia tam malè haberet, vt in vno chirurgi ferro remedium omne positum censeretur. Hæc recitatis quas sancto vouerat precibus, si saluum ab eo filium exorasset, vt has ei offerret ad montem oculos conuertit:illic autem sanctum editiori saxo conspicit insidentem:quà eius altari locus fuerat designatus, erat vestium vt solet hominum de Societate, sed pulchrior atque ornatior, vultus cœlum spectabat, assidebat haud procul, sed paulo inferior, eodem ornatu socius, sed minus eleganti. Agnouit sanctum mulier, tùm interiore afflatu monita, tùm voluptate animo impressa, qua se sensit illicò delibutam. Rem communicauit cum parocho Ceris (quæ curia est in confinio Mezenilis) illius suasu precationes, in sancti honorem, & sacræ Hostiæ sumptionem feruentius solito frequentauit, sic enim Parochus futurum confidebat, vt promereretur secundò idem visum spectare, quo prioris fides certior constaret. Nec prudentem virum sua cogitatio fefellit. Paula, anni eiusdem, Decembris vigesimo, casu nescio quo, vehementer afflicta, cum se suáque sancti præsidio ardenter commendasset, in sacellum oculos, montem versus reflectit;& videt secundò, eodémque in saxo S. Ignatium qui aspectus, mœrorem quo obruebatur puncto temporis discussit, & miris animum exaggerauit delitiis. Hæc totis circum vulgata pagis, & oppidis, magnos erga sanctum pietatis Motus exciuere, quibus creuit in eum multis locis religio, ædificatæ aræ,& sacella, cultus, præmisso ieiunio,dies eius anniuersarius,festa, & solemni veneratione.

INDEX

INDEX

RERVM ET VERBORVM,

Quæ in hoc Libro continentur.

A

ADversariorvm insectationes Societati perutiles. pagin.127

Aduersariorum nullum genus periculosius, quàm aduersariis carere. p.128

Ægrotis aderat omni ope S.Ignatius p.17

Afflictandi corporis mensuram communem omnibus, cur Societas non habeat, sed viribus singulorum congruentem? p.215

Amor S. Ignatij quantus in Deum, etiam cum periculo vitæ. p.351

Apparet S. Ignatij in aëre, & domum inuocatis incendio liberat. p.404

Apparet S. Ignatius post mortem Ioanni Pasqualio. p.70.&71

Iacobo Tyrio. p.402

Romæ adhuc viuens, Coloniæ se sistit visendum. ibidem

Guillelmo Guardefordio Nouitio. p.442

Ardor S. Ignatij salutis alienæ, quantus. p.320

Ardor primus S. Ignatij ad pietatem pag.9

Ardor Xauerij in vexando corpore. p.149

Arma capessit Ignatius. p.3

Arma sua appendit in veteri templo montis serrati. p.15

Aspeitiæ Cleri mores dissolutos restituit. p.140

Ludendi libidinem tollit. ibid.

Vsum meridianæ precis inducit. ibid.

Auctorum nomina qui scribunt Ignatium eiusque ordinem, hæresibus nostrorum temporum diuinitus oppositum, & Indorum Conuersioni destinatum. p.2

B

BArnabitæ quanti fecerint Sanctum Ignatium. p.373
Barnabitarum post S.Ignatij obitum consolatoria ad Societatem Epistola. ibidem

C

CAlumniatores Ignatij, latâ iuridicè sententiâ puniuntur.pagin.175
Carcere clauditur Salmanticæ. p.79. & 80
Caritatem inter suos quantam optaret S. Ignatius. p.248
Caritas eius erga Pauperes Ferrariæ. p.63
Caritatis fructus à S.Ignatio collecti Aspeitiæ. p.139
Caritas Sociorum Ignatij Venetiis in Nosodochio. p.154
Caritas eius erga vnum ex sociis ægrotum. p.159
Caritas Ignatij in summis annonæ angustiis. p.180
Caritas in curandis suorum animis. p.275
Castimoniæ dono B. Virgo ornat Ignatium. p.10
Causæ turbarum in Societatem septem. p.114
Causa prima. p.115
Causa secunda. p.116
Causa tertia. p.118
Causa quarta. p.119
Causa quinta. p.120
Causa sexta. p.121
Causa septima. p.124
Colloquium Ignatij cum P.Chartusiano suo quondam Magistro de Societate fundanda. p.142
Concordiam in Societate quibus modis S.Ignatius constituit p 249
Concursus ad eum populi tantus erat, vt nullo templo capi posset, & erat ei sub aperto cælo dicendum Aspeitiæ. p.139
Confessione sacra vitam purgat in monte Serrato. p.15
Constantia Ignatij in susceptis negotiis Dei causa. p.337
Constitutionum S. Ignatij diuisio in decem partes, earumque nexus. p.210
Conuersio eius ad Deum in legenda Sanctorum vita. p.7
Curatur à Sancto Petro. p.5

D

DÆmon recta Ignatij consilia interturbare conatur. p.63
Dæmon per fœminam arreptitiam testatur suam iram & rabiem in socios Ignatij. p.155
Dæmones contemnit Ignatius. p.72
Dignitatum reiiciendarum votum,& contentio S.Ignatij in iis à Societate repellendis. p.250
De exclusis ab Societate dignitatibus Sapientum iudicia. p.253
Quanto foret Societati damno ambitus dignitatum. p.255
Professi dignitates admittere coacti, ex voto debent Generalis consilia audire. p.260
Domus concutitur, dum se Deo deuouet Ignatius. p.10
Dona singularia Ignatio cælitus collata. p.24

E

ELeemosynæ corrogatæ deterrima sibi seruabat: alia in pauperes

peres partiebatur. p.66
Eleemosynarum quærendarum causa Parisiis in Belgium quotannis excurrebat. p.82
Eleemosyna, an possit quæri absque suorum dedecore, abdicato ob Christum sæculo? ibidem
Epigraphe sculpta in Pyramide pro foribus Nosocomij Manresæ in honorem S.Ignatij. p.54
Epigraphe in Memoriam eius ad latus Altaris Montis ferrati, marmoreæ Laminæ affigitur. p.16
Epistolæ Ignatij ad suos quàm efficaces? p.325
Epistola consolatoria Cardinalis Augustani, ad Societatem post obitum Ignatij. p.375
Epistola alia Ioannis Vega Proregis Siciliæ. ibid.
Examinis particularis forma. pagina 348
Exercitia Ignatij, quid sint, quo fine, quo ordine condita. p.27
Exercitia cum fructu tradere non est cuiusuis. p.33
Exercitiorum fructus mirabiles. pagin.35
Exercitia S. Ignatij quanto magis impugnata, tanto illustriora, & magis probata. p.42
Exercitia S.Ignatij approbata à Paulo Papa tertio ann.Domini 1548. p.47
Exercitiorum S. Ignatij vsurpator, falsi damnatur. p.49
Existimatio magna Ignatij in locis proximis Manresæ. p.26

F

FAma sanctitatis eius apud suos. p.365
Familiaris agendi ratio Ignatij cum proximo. p.337
Familiaritas agendi cum fœminis nimia, vel ignem vrentem creat, vel fumum denigrantem. pagin.386
Fiducia Ignatij in Dei prouidentiam. p.56. & 343
Fiduciæ Dei edita ab Ignatio exempla. p 343
Franciſc. Strada quomodo ad Deum & Societatem adductus. p. 168. & 169

G

GEneralis Societatis Ignatius eligitur. p.189
Gradus professorum, Adiutorum, Scholarium in Societate, & cur? pag.221

H

HAbitu certo cur Societas non vtatur. p.211
Hæreticorum fraudes ad inficiendam Romæ Ignatij domum. pagin.340
Hæreticorum in Germania cum sociis Ignatij congressus. p.150
Hæreseos suspectum Ignatium dæmon facit. p.135
Hozius primus moritur ex Societate. p.163

I

IGNATII ortus, genus, patria, ingenium. p.1
Ieiunium & inediam à Sabbato ad sequens Sabbatum producit Ignatius. p.21

Eius statura & habitus corporis. p.364
Visus est ad quatuor & quinque palmos à terra efferri, & flexis genibus pendere in aëre. pagin.67
Exceptus pro sancto Aspeitiæ. p.137
Exemplar fuit suis optimæ Gubernationis. p.262
Animi sui motibus quàm perfectè imperaret. p.265
Mira eius dexteritas accommodandi sese singulis. p.266
Eius cautio in suis occupandis. p.270
Magna eius de suis opinio & in eos amor. p.281. & 272
Suis prospicit curâ ingenti, præsertim ægrotis. p 273
Ægros noctu, bis terue tacitè inuisebat. p 275
Nemo non gratam ab eo repulsam tulit, adeò explicitas rei negatæ dabat rationes. ibidem
Quanta vi & sapientia, tentatos in proposito confirmaret. pagin.276
Mirus eius modus peccatores ad Confessionem inuitandi. p.277
Quanti esset violatio communis disciplinæ Ignatio regente. pagin.285
Alienus erat à statuendis legibus ob priuatos errores p.288
Quantopere tutatus sit Societatis famam. p.290
Peculiaribus Dei donis ad maiorem sui abiectionem vtitur. pagin.301
Suorum affectuum Dominus. pagin 310
Summa in purgando animo cura, p.347
Illius examina. ibidem
Hora ei exibat nulla quin sese colligeret. ibidem
Rebus terrenis omnibus superior Ignatij animus. p.349
Ex re qualibet in Dei cognitionem assurgebat. p.353
Obiit vltimo Iulij 1559. p.360
Qui sensus sociorum in obitu eius. p.364

L

Libri famosi aduersus innocentes quantùm noceant. p.111
Litterarum fasciculum à Loiola exceptum, statim in ignem coniecit Ignatius præsente illo qui tulerat. p.12
Loiolæ palatium, quantæ sit venerationi. ibid.
Loiolæ, dies festus celebratur magno animarum bono. p.13
Loiolæ hospitio exceptis, quid mali acciderit, quòd quid minus castum tentassent? contra verò quid nonnullis bonæ mentis ibidem pernoctantibus. p.13

M

Miracvla. Mortuus qui sibi vitam laqueo abruperat, in vitam reuocatus ad confessionem peccatorum. p.69
Trecentis passibus remoti æquè vt proximi distinctè audiebant, licèt exili voce ac debili loquentem. p.139
Aridum brachium fœminæ restitutum. p.393
Homini manus quàm ignis perdiderat restituta. ibid.

Tabida Sanatur cuius nulla spes erat. ibid.
Arreptitius à Dæmone liberatus. ibidem
A comitiali morbo epilepticus. ibidem.
Alius à torminibus stomachi. ibidem
A febri pestifera & lethali, complures. ibid.
Tentationes & spectra dæmonum dissipabat. p.394
Miraculorum S. Ignatij derisor, morte id luit Arbosij in Comitatu burgundiæ. p.397
Simile præcedenti accidit prope Cordubam. ibidem
Arrepitiæ quatuor liberantur. pagin. 397. & 398
Cretensis pueri vulnus sanatur repente. p.401
Iacobus Mongiardinus, ob suppressam iam quinque diebus vrinam moribundus, & desperatæ salutis, pectori admota S. Ignatij imagine, sanatur. p.401
Opilatio triennis in hydropem effusa sanatur. ibidem
Florentiæ domus, à comparente S.Ignatio, incendio liberatur. p.404
Hispali mulier ab Incubo liberata. ibid.
Thomasa Baiona febri hecticâ tabida & moribunda Gandiæ repente sanatur. p.406
Siliquę semen ex aure pueri octensis post septennium miraculo eductum. ibid.
Collegium Societatis Laureti ab infestatione dæmonum purgatum. p.407
Iosepha Castellina, Gandiæ, morbo comitiali à quindecim annis laborans, emisso voto ad Sanctum Ignatium, sanatur. p.409
Puella linqui animo solita, sanatur. p 410
Moribundus osculo chirographi Ignatij repente sanatur. ibid.
Hydrops & aliis ex opilatione morbis, S. Ignatij reliquiis repente sanatur. p.411
Dæmon ab hæretica expellitur. p 412
Cæca visum recepit reliquiis sancti Ignatij. p.413
Mamillæ dolor repente sanatur effigie S. Ignatij. p 418
Concionator è Societate egressus, S.Ignatij Chirographo admoto oculum amittit p.423
Ex lapsu moriturus, effigie S.Ignatij capiti dolentis piè imposita sanatur anno 1600. p 424
Grauissimè ægrota, visu S. Ignatij sanatur anno 1600. ibid.
Philippus Lopesius ex lethali vulnere sanatur voto ad eius sepulchrum emisso. p 425
Paralitica sanatur, promissâ nouendiali prece in eius sacello. p. 426
Crure capta repente sanatur emisso voto. ibid.
Puellæ mortuæ vita redditur, effusis à matre ad S. Ignatium precibus, & paulò post ad oues pascendas rediit. p 427
Infans mortuus suscitatur litus oleo lampadis in eius sacello lucentis. ibid.
Lupi, voto emisso ad S. Ignatium Lanzo pelluntur. pagin. 449

Irridens

Irridens miracula eius punitur. p.428
Adolescens à dæmone cui se tradiderat liberatur. p.429
In partu periculoso præsidium fuit. p.432
Partus item fortunatus impositis sibi à prægnante reliquiis Sancti Ignatij. p.433
Transfuga à Societate, & pœnitens subitò ex peste sanatur. p.434
Infans à fenestra lapsus altitudine vlnarum octo, in sinu gerulæ reponitur. p.438
Sudor ex S. Ignatij effigie duas sanat ægrotas. p.442
Aduersus S. Ignatium Satyram scribens, castigatur. p.445
Pestilentiâ icti sanantur. p.448
Dentium cruciatus sanatur Imagine S. Ignatij ori dolentis applicata. ibid.
Vno tantummodo mense, supra centum virtus S. Ignatij patrauit miracula Munebregæ. pagin.428
Sanatarum mentium plura prodigia quàm corporum. ibidem
MIRACVLA animorum varia à S. Ignatio. p.415
Adiutorem ad desertionem obstinatum, præsentiæ suæ obiectu reuocauit Ignatius. ibid.
Stulta menti restituta. p.417
Infans respondet velle se vocari Ignatium. ibid.
Puella Lemurum infestatione liberatur exhibita S. Ignatij effigie. p.418
Modestia exterior Ignatij. p.314
Moniales Barcinonenses in meliorem frugem reuocat. p.67
Monser ratensem Deiparam adit. p.14
Moriendi Ignatij desiderium ad Deum videndum. p.358
Mortificatio sui. p.17
Naufragio manifesto nauis eripitur, appensa temoni Ignatij imagine. p.421
Naufragium patitur nauta, spreto lusoque Ignatio. p62. & 346

O

OBedientia S. Ignatij. De coniunctione partium cum capite quam nectit obedientia, & de vnius, quam statuit Ignatius, Gubernatione. p.241
De obedientia, Dictata à S. Ignatio sub vitæ exitum. p.243
Epistola S. Ignatij de obedientia ab vno de Societate, impugnatur. p.244
Quàm perfectam à suis Ignatius obedientiam exigeret. p.246
Oratio Ignatij erat horarum septem, eaque de genibus præter diuina officia & sacrum quibus intererat in Manresano Nosocomio. p.16

P

PArisiensem adit vniuersitatem. p.82
Paupertas Ignatij & Societatis. pagin.306
Paupertas sociorum Ignatij tanta vt toto triduo panem non inuenirent ad leuandam famem. pagin.155
Petrus Faber primus Ignatij socius, eius

eius dotes, qua via illi adiunctus. p.90. Prodigia multa & clara edidit Aſpeitiæ. p.141
Tres Ignatio, ſocios Pariſiis adiungit. p.146
Pœnitentia, & vitæ aſperitas Ignatij in Noſocomio Manreſano. p.16
Pœnitentia & vitæ aſperitas Ignatij in ſpelunca. p.18
Prædictiones Ignatij de quibuſdam volentibus illi adiungere ſe. pagin.69
Prædictiones de ortu, ſpiritu & operibus Societatis. p.185
Præſidia quæ S.Ignatius ex contemplatione & actuoſa vita ad finem ſuum elegit. p.203
Præſidia Societ. augendæ à S. Ignatio præſcripta. p.226
Præſidia iuuandarum animarum Societati ab Ignatio præſcripta. pagin.322
Præſidium primum, eſt delectus admittendorum. p.226
Præſidium ſecundum, de probandis Tyronibus. p.229
Præſidium tertium, de dimittendis à Societate. p.230. Qui & quomodo ab Societate dimitterentur à S.Ignatio. p.231
Profeſſio ſolemnis Ignatij & ſociorum ad S. Pauli extra muros. pagin. p.192
Prudentia mira Ignatij in regendo. pag.264. Et paſſim per totam illius vitæ hiſtoriam, & ſeorſum in ſingulis, non tantum mira, ſed etiam diuina, & cœlitus hauſta.

R

RAtionem à ſuis exigebat accuratam geſtorum in proximi ſalutem. p 325
Regulæ quædam religiosè viuendi à S. Ignatio Societati initio traditæ. p.196
Regulæ ſtrictioris, eſſe Inſtitutum Societatis, in multis. p.218
Ribadeneira interrogatus Madriti coram Pontificis Nuncio de vita & ſanctitate Ignatij: manu pectori admota, reſpondit habere ſe Ignatium pro ſancto. p.368
Ribadeneira adductus fuit vt haberet Ignatium pro ſancto, decem rationibus quas deducit. p. 368. & 369. & 370
Ribadeneiram à conſilio deſerendæ Societatis paucis verbis dimouit Ignatius. p.277

S

SCrupulis vexatur à dæmone Ignatius. p.20
Scrupulos peritiſſimè cernebat, & curabat. p.22
Scrupulus quid ſit? p.23
Senſus idem Xauerij cum Ignatio de Societate ab indignis purganda. p.236
Senſus idem Simonis Roderici cum Ignatio & Xauerio quoad dimiſſiones. p.238
Sepultura Ignatij in Societatis templo Romæ. p.389
Seruitutis fructus quam B. Virgini Societas profitetur. p.130
Singularia quædam Sancti Ignatij in Paleſtina. p.60
Societas in domo Virginis concipi-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

tur Parisiis, & Romæ nascitur. p.133
Societas authoritate Apostolica in religionem formatur. p.182
Societas exagitata electionibus & famosis Libris. p.109
Societatem domi suæ natam B. Virgo vt rem suam tuetur. p.130
Societatem esse Clericalem, nihil Hierarchiæ officit,& præstat summo Pontifici eam voto teneri quàm Episcopo. p.204
Societatis fundandæ consilio in Italiam venit. p.143
Societatis in Religionem formandæ deliberatio. p.180
Socij accedunt Ignatio, Iac. Lainius,Alfonsus Salmero, Nicolaus Bobadilla, & Simon Rodericus. p.99
Socij Ignatij Parisiis Venetias petunt. p.148
Socij eius in varias Vrbes sperguntur. p.162
Socij de nomine Societatis Iesu assumendo statuunt. p.163
Sociorum pia opera, & molestiæ Paduæ & Bononiæ. p.164
Sociorum Ignatij primorum leuitas, & exitus infœlix. p.83
Speluncam S. Ignatij, ingressis impudicis, quid acciderit. p.56

T

TEntat frustra frater eius maior natu, an possit eum à proposito dimouere. p.10
Tentationes, & mentis agitationes variæ Ignatij. p 8
Testimonia sanctitatis Ignatij externa, domesticis accedunt. pagin. 371
Tyrones quomodo exerceret Ignatius,maximè si forent alicuius authoritatis p.268
Translationes corporis Ignatij, & quid in eis contigerit. p.390

V

VATICINIA. Absentia, longéque dissita nouerat: vt fugam vnius ex nouem sociis,obitum amicorum trium,Hozij, Codurij,Agnetis Pasqualiæ,& multa alia. p 394. 395. & 366
Videt B. Virginem Infantem Iesum brachiis sustinentem. p.10
Vidit animam Hozij inter Beatos. p.164
Vestes suas dat pauperi, & pœnitentis cultu induitur in Monte serrato. p 14
Vindicat Deus honorem Ignatij morte calumniatoris. p.78
Virginitatem Deiparæ contra Maurum Mahumeti sectatorem tuetur. p.14
Visiones Ignatij. p 24
Virtutes sanctorum scribere difficilius est quàm alia ad eos spectantia. p.295
Vitæ vnius rationem, quæ ab omnibus seruaretur, statuit. p 162
Voluptates mundi posthabuit carceribus, & catenis pro Deo. p.81
Vota Ignatij & sociorum in Sanctæ Mariæ de Monte-Martyrum prope Parisiios, quod fuit primum Societatis Iesu rudimentum. pagin.106
Vota simplicia in Societate, licèt non solemnia, Religiosos verè efficiunt:sunt per se perpetua, quo modo tamen solui possint? p.223

Vulgus malus Iudex Virtutum. p.319
Vulneratur Ignatius. p 5

X

XAuerio desperata valetudo miraculo restituitur. p.150
Xauerio per noctem adstitit B. Hieronymus. p.162
Xauerius primùm Ignatij contemptor, pòst eius socius. p.95
Xauerius quo pacto Deo & Ignatio adiunctus. ibid.
Xauerius Lutetiam profectus, tertio pòst, studiorum anno, artium Magister appellatur. p.95
Xauerius quanta patrarit publicè Venetiis in Nosodochio. p.154

FINIS.

ERRATA

p. 4. Alberti	L. Albreti p.3. Maurico l. Manrico
p. 8. iisce	l. his se l. iturum.
vir	l. vix.
13. Nazareto	l. Nauareto
19. viui	l. vicit.
68. obiecit.	l. obierit
288. Ferro & signi	l. & igni
ibid. vetaret	l. iuberet.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN